ACTA ROMANA SOCIETATIS IESU

VOLUMEN XIV

FASCICULUS V — ANNO 1965

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
—
1966

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

INDEX

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. - PRO SOCIETATE

II. PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS ET VICARII GENERALIS

I. PRO SOCIETATE

II. PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, MISSIONIBUS

III. PRO EXTERNIS

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. — PRO SOCIETATE

1. **5 ianuarii 1965**

De praecepto confessionis annuae et communionis paschalis in Missionibus et Exercitiis spir.

SACRA CONGREGATIO
CONCILII
N. 96088/D.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Societatis Iesu, perdurantibus iisdem causis, a Sanctitate Vestra humiliter postulat ut sibi prorogetur indultum iampridem concessum per rescriptum Sacrae Congregationis Concilii diei 2 Februarii 1960, N. 49362/D., vi cuius christifideles, qui sacras Missiones vel Spiritualia Exercitia a sodalibus Societatis Iesu, quocumque anni tempore tradita, frequentant et tunc ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accedunt, hoc actu impleri possint, posito Ordinarii loci consensu, praeceptum annuae confessionis et Communionis.

Sacra Congregatio Concilii, attentis expositis, petitam prorogationem, in terminis et forma praecedentis rescripti, benigne impertita est ad aliud quinquennium.

Datum Romae, die 5 Ianuarii 1965.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

P. Palazzini, *a Secretis*

5 ianuarii 1965

S. Congregatio Concilii *renovat ad quinquennium dispensationem a praescripto canonis 694 2 C. J. C. circa necessitatem inscriptionis in Albo Associationis Apostolatus Orationis in omnibus nationibus quae sub regimine Communistarum inveniuntur.* (N. 96071/D).

2. **23 ianuarii 1965**

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali *renovat ad triennium facultatem ut presbyteri orientalis ritus Societatis Sacrum litare queant diebus quoque qui aliturgici vocantur — excepta feria VI Maioris Hebdomadae.* (N. Prot. 703/48).

3. **7 maii 1965**

Sodalibus e Societate Iesu, qui ad religiosae suae communitatis Praesidum Coetum Romam convenerunt, ut Generalem Praepositum eligerent. (Allocutio S. P. Pauli VI).

Dilecti filii,

Sincero animo et bene ominatis verbis salvere iubemus vos, dilectissimi Nobis Sodales Societatis Iesu, quos hodie coram excipere gaudemus.

Romam vos una simul idcirco convenistis et congressi estis, ut ex praescripto primariae legis Societatis vestrae, postquam terrestri vita functus est Ioannes Janssens, Generalis Praepositus vester, quem vobiscum mortuum deflemus, ad alium deligendum, qui in eius locum succederet, religiosae communitatis vestrae praesidum coetum cogeretis. Arduum hoc est munus, praegravis momenti negotium, quo prosperitas, emolumentum, salus et progressio religiosi Instituti vestri continetur.

Quapropter sano et considerato iudicio, tranquillo sagacis prudentiae consilio omnia librate, quae ad rem feliciter explendam pertinent, et, quod potissimum est, puris et ardentibus vo-

tis Divini Spiritus invocate lumen ductumque, ut suffragia vestra cum Dei voluntate conspirent: *Ostende quem elegeris* [1].

Nos autem, sollicitudinis vestrae admodum participes, dum precibus vestris Nostras adiungimus, optamus cupimusque vehementer, ut deligendus optimi cuiusque exspectationi par sit, et necessitatibus, in quibus Religiosa Familia vestra versatur, plene planeque suppetat.

Quali singulari natura et indole, quali efficientia actuosae virtutis Ignatius, sanctissimus legifer pater vester, Societatem vestram voluerit praeditam esse, inter omnes constat. Societatem Iesu, quam et magnanimo et divino quodam instinctu condidit, is voluit cumprimis catholici nominis esse robur solidissimum et Apostolicae Sedi addictum deditumque agmen, exercitata virtute instructum.

Vestrum profecto pernobile insigne, laus vestra perillustris, dos praeclara est *sub Crucis vexillo Deo militare et soli Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, servire* [2]. Quo in servando sacramento militiae, si alii religiosi sodales fideles debent esse, vos autem fidelissimi, si alii fortes, vos fortissimi, si alii lecti, vos lectissimi.

Incliti historiae vestrae annales luce clarius ostendunt, sanctissimi parentis placitis filiorum proposita moresque congruisse ac nomen decusque legionis semper fidelis in catholicae fidei et Apostolicae Sedis tutelam vos meruisse.

Vestri Sancti Martyres, Confessores, Ecclesiae Doctores Petrus Canisius et Robertus Bellarmino, innumerus numerus piorum, doctorum strenuissimorumque virorum, quibus sicut caelum sideribus Ordo vester collustratus est, quemadmodum factis dictisque hoc docuerunt, ita iter post futuris ad eadem premenda vestigia exemplum et incitamentum reliquerunt numquam periturum.

Vitae vestrae tenor, qualis addecet bonos milites Christi, operarios strenuos nec umquam reprehendendos, firmiter innitatur oportet sanctitatis moribus, vobis propriae, evangelicae asceseos forma austera et virilis animi robore spectanda; componatur oportet disciplina nequaquam nutabunda nec proprii

---

[1] *Act.* 1, 27.

[2] Ex Litteris Apostolicis *Exposcit debitum, die* XXI *Iulii anno* MDL datis.

animi inclinationibus fracta, sed alacri, prompta et omnibus in suis modis et rei effectibus aequa et stabili. Quodsi in exercitu instruendo, ab hoc vel illo agmine vel manipulo non servetur ordinis compages, est veluti si in simphonia fidium vocumque vox abnormis discrepet. Attentam dabit operam curamque eligendus Generalis Praepositus vester, ut concentus vester nullum abruptum sonum eliciat, sed contra sit laus plena integrae fidei pietatisque decora: quem quidem rectum concentum plurimis vestrum contingere gratulando animadvertimus et animadvertendo gratulamur.

Idcirco sempre omnibus cavendum est, ut in sentiendo, in docendo, in scribendo, in agendo nolint conformari huic saeculo et circumferri omni vento doctrinae [3] et praeposteris novitatibus concedere, praeter modum proprio indulgentes arbitrio.

Quin potius hanc unusquisque vestrum reputet praecipuam laudem, qua nulli cedendum est, Ecclesiae Matri et Magistrae nostrae deservire, non propria ipsius, sed Hierarchiae consilia, iudicia, opera sequi, et ad rem deducere animarique spiritu afflatuque communionis, potius quam privilegii. Ecclesia agnoscit singulariter erga se vos esse filios deditissimos, apprime vos diligit, vos in honore habet et, liceat Nobis audax adhibere verbum, vos reveretur. Nunc maxime, cum ex praescriptis Oecumenici Concilii Vaticani secundi amplissimi pateant apostolatus campi finesque, Ecclesia sancta Dei vestra eget sanctimonia, sapientia, intellegentia rerum, strenuitate, idque a vobis poscit, ut, priscae fidei retinentissimi, de thesauro cordis vestri nova et vetera proferatis in auctum universae gloriae Dei et in humani generis comparandam salutem, in nomine Domini Nostri Iesu Christi, quem Deus exaltavit et donavit illi nomen, quod est super omne nomen [4].

Huius sanctissimi nominis, cuius appellatione cumprimis gloriamini, adsiduum habetote praesidium ac tutamen et ad dilatandum eiusdem amorem et honorem aemula concipite studia: illinc enim salutis fons verus et inexhaustus oritur profluit-

---

[3] Cfr. *Eph.* 4, 14.
[4] Cfr. *Phil.* 2, 9.

que: *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [5].

Occasionem, quae Nobis nunc oblata est, libenter arripimus. De formiduloso periculo humanae consortioni instanti loquimur, de atheismo scilicet. Qui, ut apud omnes constat, non semper unus idemque patefit, sed varius prodit et panditur, multas induens sibi formas. Quarum certe omnium deterrima putanda est, cum de antitheismo agitur, de pugnaci impietate, quae non solum sententia mentis et actione vitae denegat esse Deum, sed etiam contra theismum arma sumit eo consilio, ut religionis sensum et quidquid est sanctum piumque radicitus evellat. Est atheismus etiam eorum, qui philosophica doctrina ducti asseverant Deum non esse vel eum cognosci non posse, eorum qui omnia in voluptate ponunt, eorum qui omnem religionis cultum et honorem respuunt, cum superstitiosum, inutile, sibi onerosum aestiment vereri Creatorem omnium nostrum, ei servire eiusque legi parere, et vivunt sine Christo, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo [6]. Hic est qui nostra aetate atheismus serpit sive apertus, sive occultus, veste saepenumero tectus progressionis, quae ad humanas artes et disciplinas, ad rem oeconomicam, ad rem socialem attinet.

Societati Iesu, cuius apprime proprium est Ecclesiae et religioni sanctissimae praesidio esse, cum acerbiora tempora vertunt, hoc demandamus munus, ut coniunctis viribus atheismo obsistant validissime sub signo et adiutorio fulti S. Michaëlis, principis militiae caelestis, cuius ipsa appellatio victoriam vel fulgurat vel futuram portendit.

Quapropter Ignatiani sodales, omni experrecta virtute, hoc bonum certent certamen, nullo praetermisso consilio, ut cuncta bene disponantur et feliciter cedant. Ob id igitur investigent, omnigenos colligant nuntios, typis, si oportet, cudant, inter se disceptent, parent huius rei peculiariter studiosos, sacras preces fundant, iustitia et sanctitate eniteant, pollentes et instructi eloquentia oris et vitae, caelesti coruscante gratia, cui referri possit illud S. Pauli Apostoli: *Sermo meus et praedicatio mea*

---

[5] *Act.* 4, 12.
[6] Cfr. *Eph.* 2, 12.

non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis [7].

Quod libentius et alacrius perficietis, si mente vestra versaveritis illud munus, in quod absolvendum incumbitis, et nova contentione incumbetis, non fuisse lubito vestro statutum, sed munus ab Ecclesia, a Summo Pontifice vobis concreditum esse.

Quam ob rem in legibus et institutis, quibus Societas vestra temperatur, a Paulo III et Iulio III sancitis, haec enuntiata sunt: « Quicumque autem in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suae foribus intelligant, sed, quoad vixerint, memores sint, Societatem hanc universam et singulos qui in ea profitentur, sub sanctissimi domini nostri Pauli Papae III et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli oboedientia, Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa teneamus omnes christifideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Iesu Christi Vicario, subesse; ob devotionem tamen maiorem et oboedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem et certiorem Spiritus Sancti directionem, summopere conducere iudicamus, singulos nos, et quicumque eandem in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid hodiernus et alii Romani Pontifices pro tempore exsistentes iusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit ... exsequi teneamur » [8].

Huic voto pro sua ipsius religione ac natura prorsus congruere putandum est, ut non tantum conscientiae insideat, sed etiam ex operibus fulgeat et omnibus pateat.

Sanctus Ignatius, pater legifer vester, tales vos voluit, tales Nos quoque volumus, pro certo habentes eam, quam in vobis collocamus fiduciam, amplissime impletum iri ac impleta huiusmodi vota Societati Iesu, ubivis ipsa toto orbe terrarum militat, orat, agit, largifluam messem reflorentis vitae et praeclarorum meritorum, quibus digna Deus praemia attribuet, paritura esse.

---

[7] *1 Cor.* 2, 4.

[8] Ex eisdem Litteris Apostolicis *Exposcit debitum.*

Haec imo pectore ominati, vobis omnibus sodalibus Societatis Iesu, festae laetaeque coronae, qua hodie circumsaepimur, cunctis inceptis vestris et magnae spei, quae pectora vestra ad pura et celsa attingenda accendit, Apostolicam Benedictionem impertimus.

4. **24 maii 1965**

Gratulationes ob electionem Praepositi Generalis.

SUMMUS PONTIFEX PAULUS VI *gratias agit ob nuncium de P. Petro Arrupe, nuper electo Praeposito Generali Societatis, eique statim peculiarem benedictionem Apostolicam impertit* (Epist. Secret. Status).

Ex pluribus Romanis Congregationibus et Praesulibus gratulationes et omina Patri Nostro Praeposito Generali electo pervenerunt; inter quae hic publici iuris fit epistola Em.mi Card. Agagianian, Praefecti S. C. de Propaganda Fide.

SACRA CONGREGATIONE
DE PROPAGANDA FIDE
Prot. n. 2069/65

Roma, 25 Maggio 1965

REVERENDISSIMO PADRE,

Si è appreso con vivo piacere che la Paternità Vostra Reverendissima è stata chiamata ad assumere, come nuovo Preposito Generale, la direzione della Compagnia di Gesù.

Tale nomina, mentre testimonia della fiducia e della stima che i confratelli nutrono per la Sua persona, costituisce anche un solenne riconoscimento delle elevate doti di mente e di cuore che Ella ha saputo mostrare nei delicati incarichi finora ricoperti e, in special modo, nella organizzazione e nello sviluppo della provincia religiosa del Giappone.

Ed è proprio per questa peculiare attività da Lei svolta nell'Estremo Oriente e per la conseguente, particolare conoscenza da Lei acquisita dei problemi di apostolato di quell'importante e vasto settore del mondo missionario, che questa Sacra Congregazione si rallegra in maniera del tutto speciale

della Sua nomina e tiene ad esprimerLe, per mio tramite, le sue sentite felicitazioni e gli auguri più fervidi per il migliore espletamento di così alto compito.

La collaborazione che la tanto benemerita Compagnia di Gesù ha sempre dato, con dedizione e zelo veramente encomiabili, all'immane opera della Chiesa Missionaria e per la quale Propaganda è lieta di riconfermare oggi tutto il suo apprezzamento e la sua più profonda gratitudine, trarrà certamente dalla Sua sapiente ed esperta guida nuovo impulso per sempre maggiori espansioni e conquiste.

Impetrando dal Signore le più elette benedizioni su Vostra Paternità e sulla grande Famiglia religiosa che è stata affidata alle Sue cure di supremo moderatore, mi valgo ben volentieri della circostanza per professarmi con sensi di deferente ossequio

della Paternità Vostra Rev.ma
devotissimo nel Signore
G. P. Card. AGAGIANIAN, *Pref.*

P. SIGISMONDI, *Segr.*

R. P. PIETRO ARRUPE
Prep. Gener. d. C. d. G.
ROMA

5. **25 maii 1965**

Litterae Apostolicae de cultu erga SS. Cor Iesu.

DILECTIS FILIIS
HENRICO SYSTERMANS SS. CC., LEONARDO CARRIERI M. SS. CC., JOSEPHO VAN KERCKHOVEN M. S. C., IOSEPHO DE PALMA S. C. I., ARMANDO LE BOURGEOIS C. I. M., PETRO ARRUPE S. I.

PAULUS PP. VI

Dilecti Filii,
salutem et Apostolicam Benedictionem

Diserti interpretes facti religiosarum Sodalitatum, quibus sollertes moderamini, nomine etiam ceterarum Societatum,

quae aeque ac vestrae a SS.mo Corde Iesu nomen impulsionemque ducunt, Nobis animum gratum singulari filiorum pietate exhibuistis, ob missam ad universae Ecclesiae sacros Pastores die VI superioris mensis februarii Apostolicam Epistulam, a verbis incipientem « Investigabiles divitias Christi », cum secundum exiret saeculum, postquam liturgicum festum in honorem eiusdem Cordis ab hac Petri Sede institutum est.

Suavi sane cum oblectatione, neque modico cum commotae mentis affectu vestrum observantiae excepimus testimonium, vestraque verba ex imo pectore prompta perlegimus, e quibus probe animadvertimus, quam flagranti caritate vos, istique religiosi Sodales, in Divini Servatoris Sacratissimum Cor, in eiusque aeterni amoris mysteria feramini, quantaque fidelitate augusto illi nomini adhaerere cupiatis, e quo vestrae Societates vivendi rationem, virtutum incitamentum, missionalisque studii causam et originem trahunt.

Quandoquidem vero, ut in commemorata Epistula mentem aperuimus Nostram, maximopere cupimus, ut « cultus SS. Cordis ... cotidie magis refloreat, et ab omnibus existimetur veluti egregia probandaque verae pietatis forma [2] », admodum sane laetamur, conspicientes vestrorum Sodalium generosos humilesque manipulos, qui, ex instituto suo, nostrae huius aetatis hominibus eximio exemplo atque documento sunt, quanam ratione hanc praeclaram religionem illi colere debeant, indeque vires sumant « ad vitam Evangelio strenue conformandam, ad sedulo emendandos mores, ad divinae legis praescripta in rei effectum deducenda [3] ».

Hoc igitur vestrum officium, has vestras partes prorsus esse putamus: ut scilicet vos, sacrae vocationi sponte susceptae obsecuti, amorem erga SS. Cor Iesu magis magisque diffundatis, atque verbo et exemplo omnibus probetis, sive exspectatam mentium morumque renovationem, sive maiorem institutorum, quae in Ecclesia sunt, efficientiam atque vigorem — sicut ab Oecumenico Concilio Vaticano II postulatur — illinc afflatum et impulsum oportere suscipiant maximum.

Etenim, ut omnes norunt, Sacrosancta Synodus eo potissimum spectat, ut huiusmodi publicae privataeque disciplinae re-

[2] AAS LVII 1965, p. 300.
[3] Ibidem

stauratio in universis christianae vitae finibus et campis perficiatur, atque hanc ob causam in luce collocavit Ecclesiae Sanctae fulgens mysterium. Id autem digne intelligi nequit, nisi animi intendantur in Incarnati Verbi aeternum illum amorem, cuius praeclarum symbolum est vulneratum Eiusdem Cor: nam ut in Dogmatica Concilii Constitutione eiusdem nominis legitur, « Ecclesia, seu regnum Christi iam praesens in mysterio, ex virtute Dei in mundo visibiliter crescit. Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere Iesu crucifixi exeuntibus [4] ». Etenim e scisso Redemptoris Corde nata est Ecclesia, indeque ipsa nutritur, quoniam Christus « seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae [5] ».

Quam ob rem, prorsus necesse est, ut christifideles sive reconditae pietatis sensibus sive publici cultus obsequiis Cor illud, *de cuius plenitudine omnes nos accepimus,* venerentur et colant, atque ab eo perfecte discant, qua ratione vitam instituant, ut huius temporis postulatis apprime ipsa respondeat: illic enim, in SS. Corde Iesu dicimus, Sacrae Liturgiae origo et principium invenitur, cum illud sit *templum Dei sanctum,* e quo Aeterno Patri placationis sacrificium ascendit, « unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum [6] »; illinc praeterea incitamentum Ecclesia accipit, ad omnia inquirenda instrumenta et subsidia, ut fratres a nobis seiuncti ad plenam Petri Cathedrae unitatem perveniant, immo vero ut ii quoque, qui adhuc christiani nominis expertes sunt, nobiscum « cognoscant solum Deum verum et quem ipse misit Iesum Christum [7] »: namque pastorale studium et missionalis flamma tunc potissimum ardent, cum sacerdotes et fideles, divinae gloriae provehendae causa, aeternae caritatis exemplum intuentes, quam Christus nobis exhibuit, suas vires eo intendunt, ut investigabiles divitias Christi cum omnibus communicent.

Nemo autem est quin videat, haec in primis esse flagrantissima optata, quae Oecumenica Synodus provido consilio, nec sine Spiritus Sancti instinctu, in fidelium animis nutrit; dum

---

4 De Ecclesia, n. 3.
5 Eph. 5, 25-26.
6 Hebr. 7, 25.
7 Cfr. Io, 17, 3.

igitur enitamur oportet, ut ea quae nunc fovet spes felici exitu fiant res, a Divino Servatore lumen et robur iterum iterumque expetendum est, cuius vulneratum Cor tam vehementes stimulos ad id efficiendum praebet.

Quae dum vobis vestrisque Sodalibus paterna exspectatione aperimus, utpote qui peculiari religionis titulo cum SS. Iesu Corde devinciamini, vobis hortatus adhibemus Nostros, ut apostolatus munera, quae in Ecclesia pro vestra parte obeunda suscepistis, strenua serenaque constantia persequamini, atque adiutricem navetis operam huic magno probandoque incepto. Alat sancta proposita vestra exoratum Sacratissimum Cor Iesu; sospitet vos Deipara Virgo Maria, Ecclesiae Mater suavissima, quae cum Redemptionis opere et mysterio intima communione cohaeret.

Ut autem superna dona in vos effluant abunde, Apostolicam Benedictionem, benevolentiae Nostrae testem, vobis, universis religiosis Familiis, quibus praeestis, cunctisque sacris utriusque sexus Sodalitatibus, quae e Corde Iesu nomen utcumque sumunt, vel Id peculiari modo colunt, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis Maii, sacro Ascensionis Dominicae die, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI.

6. **1 iunii 1965**

De popularibus interpretationibus propriorum diocesium et religiosarum familiarum.

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM
CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

Prot. N. 2809/65

Popularibus interpretationibus Missalis et Breviarii romani pro singulis Nationibus confirmatis. iuxta textus a Coetibus Episcoporum approbatos, restat ut et interpretationes populares Propriorum cuiusque dioecesis vel familiae religiosae Apostolicae Sedis confirmationi proponantur.

Cum autem saepius ab hoc « Consilio » quaeratur quanam

ratione sit hac in re procedendum, opportunum videtur sequentes praebere normas:

1. Usus linguae vernaculae in Propriis diocesanis vel familiarum religiosarum subiacet limitibus a Coetibus Episcoporum pro unaquaque Natione legitime statutis, et ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis (*Const.*, *art.* 36, § 3).

2. Interpretatio popularis Proprii diocesis vel familiae religiosae paranda et approbanda est, ad mentem eorum quae in n. 88 *Instructionis* diei 26 septembris 1964 habentur, « a respectivis Ordinariis eiusdem linguae ». Proinde:

a) si agitur de Propriis diocesanis, ab Episcopo, vel Episcopis, quorum interest;

b) si agitur de Proprio familiae religiosae, a Superioribus Maioribus regionum eiusdem linguae.

3. In interpretatione populari exaranda, ea serventur, congrua congruis referendo, quae in n. 40 memoratae *Instructionis* habentur.

4. Ut in qualibet Natione uniformitas, quantum fieri potest, in textibus liturgicis, habeatur:

a) partes Proprii, quae etiam in textibus lingua vernacula conversis et ab Episcoporum Coetu approbatis atque ab Apostolica Sede confirmatis inveniuntur, ex his sumantur. Ita, ex. gr., partes e Communi vel Proprio Breviarii aut Missalis derivatae, ponantur iuxta popularem interpretationem pro universa Natione iam approbatam; item lectiones, si Coetus Episcoporum aliquam popularem interpretationem Sacrae Scripturae ad usum liturgicum approbavit, ex hac sumantur; formulae aliquae Ritualis, quae in textu a Coetu Episcoporum approbato inveniuntur, ex hoc deriventur, et ita porro;

b) partes item quae pluribus diocesibus vel familiis religiosis forte sunt communes, communi consilio parentur, iis servatis, quae supra dicuntur.

5. Textus qui uni tantum ecclesiae sunt proprii, a respectivo Ordinario approbari debent.

6. Interim, scilicet donec interpretatio popularis magis perfecta conficiatur, assumere licet etiam textus apud fideles iam usitatos: qui tamen, ut ad usum liturgicum adhiberi possint, Apostolicae Sedis probatione seu confirmatione indigent.

7. Ad confirmationem obtinendam, textus, ab Episcopo si agitur de Proprio dioecesano, aut a Supremo Religionis Mode-

ratore si agitur de Proprio familiae religiosae, duplici exemplari mittantur « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia », addita brevi relatione circa criteria, quibus opus interpretationibus innixum est (cf. Instructionem, nn. 29 et 30).

8. Textus tunc tantum evulgentur et in praxim deducantur, cum ab Apostolica Sede probati seu confirmati fuerint.

7. **20 iulii 1965**

S. Rituum Congregatio *renovat ad triennium concessionem Indulgentiarum pro christifidelibus qui observando regulas communes Congregationum Marianarum, vitam religiosam quadantenus perfectiorem ducunt in coetibus largioribus* (Rescr. S. R. C. N. 2858/65).

8. **17 octobris 1965**

Venerabilis Dei Famulus Iacobus Berthieu, Sacerdos et Martyr, e Societate Iesu, Beatus renuntiatur. (Litterae Apostolicae - AAS. LVII 817).

PAULUS PP. VI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« " Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia," (S. August., *Civ. Dei*, 18, 51 2; *PL* 41, 614), crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat » (cfr. *1 Cor.* 11, 26; Conc. Oec. Vat. II, Const. *De Eccl.; A. A. S.*, LVII, 1965, p. 12). Cuius rei effectores ac testes praecipui sunt martyres, quorum « multitudinem in omni tempore illa praemittit ad Patrem » (cfr. S. Iren., *Adv. Haer.* 4, 33, 9; *PG* 7, 1078). Atque gaudemus, quod Nobis datur hac ipsa aetate, qua Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum agitur, cuius ope mysterium Ecclesiae clarius et efficacius est propositum, egregium eiusdem piissimae Matris filium, humilem patientemque sacerdotem, studio apostolico flagrantem praeconem Evangelii, dignum Societatis Iesu sodalem, Iacobum Berthieu, Beatorum Martyrum agmini sollemni ritu inserere. Hi sunt gloria summa Ecclesiae, quae « tanto magis pullulat, quanto uberiore marty-

rum sanguine rigatur » (cfr. S. August., *De cat. rud.* 24, 44; *PL* 40, 341). Laetamur etiam quod copiosa seges spiritualis, quae ex cruore profuso ab eo, quem hodie celebramus, surrexit, Madagascariae insulae contigit, ad Africam adiacenti, terram illam amplissimam, quam, Ugandenses Martyres Sanctorum albo annumerantes, appellare non dubitavimus « regionem Evangelio patentem novamque patriam Christi » (cfr. Homil.; *A. A. S.* LXI, 1964, pp. 907-908). Iacobus in praedio, quod, *Monlogis* appellatum, agro Polminhacensi ac finibus dioecesis Sancti Flori continetur, die vicesima septima mensis Novembris anno millesimo octingentesimo duodequadragesimo est natus, secundus e septem filiis agricolarum Petri Berthieu et Catharinae Lamoure, qui animi virtutes Arvernorum proprias christianae vitae institutis locupletabant. Eodem die Christo renatus, in domestico convictu pie innocenterque adolevit. Cum, undecimum fere annum agens, divinam Eucharistiam primum sumpsisset, coepit, ut videtur, de capessendo sacerdotio cogitare. Vocanti Deo tunc, quemadmodum per totius vitae cursum, animo prompto et alacri obtemperavit. Studia in seminario minore oppidi *Pleaux* et maiore urbis Sancti Flori diligenter exercuit. Quibus absolutis, die vicesima prima mensis Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto sacerdotium iniit munusque pastoris animarum. Episcopi iussu in paroecia *Roannes-Saint-Mary* ut adiutor a sacris salutari est functus officio; propter studium religionis et caritatem populo acceptus, domesticas difficultates aequo demissoque animo est perpessus. Veteri propensioni obsecundans, post novem annos in paroecia illa exactos, Societati Iesu nomen dare constituit, in qua Deo devotius vitae genus obiret et crucis salvificae nuntium ad ethnicas gentes deferret. Postquam igitur matrem et fratres, quos unice amabat — pater immatura morte erat ademptus — reliquit, in urbe Palo seu, ut vulgo appellant, *Pau* tironibus provinciae Tolosanae eiusdem Societatis est adiunctus. Ibi praeceptis Sancti Ignatii a Loyola conformatus, validus Christi miles evasit, paratus omnia facere et pati ad eius gloriam procurandam. Cuius exemplum Gabriel frater natu minor est secutus, exemplum praebens verae altiorisque germanitatis. E religiosa domo oppidi Valli seu *Vals*, quo probationis tempus expleturus, secesserat, in Madagascariam insulam, voti compos factus, se contulit. Haec enim ei assignata fuit quasi virtutis operisque apo-

stolici palaestra. « In nomine Domini tantum laxabo rete »: haec eius verba fuerunt, cum ad illam appulisset regionem, unde se numquam reversurum esse praescivit. Vir igitur Dei, omnia e re et veritate christiana aestimans, nihil quaerens nisi regni Christi propagationem, in insula Sanctae Mariae, quae Madagascariae est finitima, apostolatus missionalis initia posuit: totus fuit in tradenda catechesi, Sacramentis administrandis, fidelibus invisendis, aegrotis relevandis, maxime leprosis, quos singulari complectebatur caritate. Praeterea, pro ingenio suo ad omnia versatili, agrorum culturam provexit, autochthonas hoc modo in meliorem statum socialem traducens et efficiens, ut statio missionalis ludum puerorum posset sustinere. Ab iis vero, in quos tot conferebat beneficia, impense est redamatus. Attamen saeva tempestas mox est coorta: anno enim millesimo octingentesimo octogesimo a Moderatoribus Galliae, sub cuius dicione Madagascaria erat, decreta lata sunt religiosis sodalibus, nominatim Societati Iesu, infesta. Hac de causa Famulus Dei de insula Sanctae Mariae discedere coactus est « post tot labores, nisus, incepta, studia », ut ipsemet scripsit. Subsequenti tempore, inter res secundas et adversas, pluribus in locis est versatus, non sibi, sed Deo vivens et ovibus. In pago *Ambohimandroso,* intra fines insulae Madagascariae posito, novo impetu novaque cum fructuum copia missionale instituit opus, sed bello inter Gallos et Madagascarienses suborto, e vico illo expulsus est et, inter pericula et vexationes, una cum sociis in oppidum *Tamatave* deductus; ubi dum tenetur, otio usus est ad sacrum ministerium exercendum, praesertim inter milites Gallos, qui frequentes aderant, et ad necessitates sodalium horti cultura sublevandas. Pace composita, in oppidum *Tamatave* rediit, unde Tananarivum, in urbem Madagascariae principem, est devocatus. Merito gaudebat, quod tot inter turbas, insectationes, orbitates, non pauci laici fide et constantia in exemplum praeluxerant. Deinde indefatigatus apostolus stationi *Ambositra* est praefectus, ubi iterum « omnibus omnia fieri » (cfr. *1 Cor.,* 9, 22) contendebat. Sed post quinque amplius annos Christi athleta tandem in arenam est arcessitus, ut coronam acciperet. Etenim e Moderatoris voluntate, discidii molestiam fortiter tolerans, amplam stationem *Andrainarivo,* quae et *Anjozorofady* appellabatur, missionali labore excolendam suscepit. Dum vires corporis extenuabantur, animi vigor videbatur augescere: ma-

gis magisque a rebus terrenis se abstrahebat, voluntariis se dabat castigationibus, humilitatem sectabatur; vitae ipse inhians aeternae, de ea et resurrectione mortuorum ad fideles saepius loquebatur. Bello renovato, aliquandiu coactus est exsulare. Ubi primum revertendi copia fuit, fideles suos pastorali caritate est amplexus. Sed gravius periculum impendebat: catervae seditiosorum, qui *Fahavalo* seu *Menalamba* vulgo nuncupabantur, regionem percurrere coeperunt. Rebellantes maxime Evangelii praeconibus erant infensi, quod, christiana religione inducta, numina sua et amuleta potentia et vi essent destituta: illos igitur de medio esse tollendos et fidem ab iisdem annuntiatam funditus evertendam. Iam in territorium curis Famuli Dei commissum invaserunt: bonus pastor, oves nullo modo relinquens, iis adest, eas solatur, confirmat. De sede sua cum iis abductus et extrema paupertate gravibusque afflictationibus vexatus, nihil queritur, utpote qui summas divitias, Deum, possideat. Febri correptus, a christianis Tananarivum est delatus. Ubi, cum e morbo convalesceret, multas horas in adorando augusto Eucharistiae Sacramento ducebat. Sed iam a fidelibus suis diutius se abesse non est passus. Quamvis vires eius adhuc essent infirmae, eo properavit, ubi filios suos sciebat periculis urgeri. Sed post non multum tempus iussus est cum duobus fere milibus profugorum inde recedere; proficiscitur lacrimabile agmen: iuveni, qui iter pedibus pergere nequit, sollicitus sacerdos equum, quo ipse vectus est, tradit; corpus trahentes erigit, afflictis solacium et levamentum studet afferre. Seditiosis irrumpentibus, in vicum munitum, qui *Ambohibemasoandro* vocatur, confugiunt. Ibi Iacobus postremum divinam victimam in Eucharistico Sacrificio offert, victima ipse mox futurus. Iam sceleratus furor Christi quaerit praeconem: is captus plectitur, veste sacra exuitur, cruce, quam ante pectus gerit, spoliatur. Accusant eum, quod Deo adhibet preces et ad adhibendas alios adducit, quod coniugii indissolubile vinculum defendit. Raptant eum extra pagum, mittunt ad ducem. Unus e prioribus conatur ei persuadere, ut a religione catholica deficiat: « Hac de re », ita respondet Famulus Dei, « tecum consentire nequeo prorsus; malo mori ». Nudatum, Deo supplicantem — precatoria Rosarii corona est in manibus eius —, opprobriis affectum, ad necem producunt prope oppidum *Ambiatibe*. Genibus nisum semel, iterum, tertio petunt plumbeis glandibus e manubal-

listis emissis; denique ferocissimus dux fusti caput eius deffringit. At non expletur immanitas patrato facinore. Nam corpus, sepulcri carens honore, in vicinum proicitur flumen. Sic ergo die octava mensis Iunii anno millesimo octingentesimo nonagesimo sexto Iacobus Berthieu, pius et intrepidus sacerdos Christi, praeclarissimum testimonium praebuit fidei et amoris; atque adeo recte in eum cadunt haec verba Sancto Ambrosio ascripta: « Appellabo Martyrem, praedicavi satis » (cfr. *De Virg.* I, 2; *PL* 16, 200, annot.). Tanta autem virtus et religionis causa toleratum supplicium e populi et sodalium memoria non exciderunt. Quapropter, huiusmodi fama percrebrescente, de Famuli Dei Iacobi Berthieu martyrio et martyrii causa, post ordinarios, quos vocant, processus, apud Sacram Rituum Congregationem acta est quaestio. Commissionem autem Introductionis Causae de eodem Famulo Dei Beatis Caelitibus accensendo Pius Pp. XII, Decessor Noster fel. rec., die vicesima sexta mensis Iunii anno millesimo nongentesimo quadragesimo manu sua obsignavit. Absolutis deinde omnibus, quae secundum Sacri illius Consilii instituta cognoscenda fuerant ac pertractanda, coactisque de more Comitiis, Nos, lato decreto die octava mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo sexagesimo quarto de Venerabilis Iacobi Berthieu martyrio et martyrii causa tam manifesto constare ediximus, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna dispensatione, ad reliqua pergi potuerit. Id unum igitur superfuit excutiendum, utrum, stante approbatione martyrii martyriique causae necnon dispensatione a signis seu miraculis, tuto procedi posset ad sollemnem eiusdem Famuli Dei Beatificationem. Quod quidem factum est. Purpurati enim Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, Praelati Officiales Patresque Consultores id fieri posse cunctis sententiis affirmaverunt. Quorum exceptis suffragiis ac Deo enixis precibus admotis, Nos die octava Iulii anno millesimo nongentesimo sexagesimo quinto ad Venerabilis Famuli Dei Iacobi Berthieu sollemnem Beatificationem *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos, vota Societatis Iesu necnon fidelis populi Gallici et Madagascariensis implentes, Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Famulus Iacobus Berthieu, Martyr, *Beati* nomine in posterum appelletur, eiusque reliquiae, si exstent, non tamen in sollemnibus

supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque ut eiusdem imagines radiis decorentur. Praeterea, eadem Nostra auctoritate concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium de Communi unius Martyris cum Lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa cum partibus propriis approbatis celebretur iuxta Breviarii et Missalis Romani rubricas. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in diocesi Sancti Flori, intra cuius fines Beatus ipse ortus est, et, ex peculiari indulto, in tota Madagascaria, ubi, martyrio coronatus, migravit e vita; itemque in omnibus templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Societas Iesu utitur, ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beati ipsius festum agatur, convenientibus. Largimur denique, ut sollemnia Beatificationis eiusdem Famuli Dei, servatis servandis, in praedictis dioecesibus ac templis et sacellis, die legitima auctoritate statuenda, celebrentur, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis necnon Decretis de non cultu editis ceterisque quibusvis contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Octobris, Dominica XIX post Pentecosten, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

✠ HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

9. Anno 1964

ACTA QUAEDAM IN CAUSIS NN. BB. ET VV.
SACRA CONGREGATIO RITUUM

In Causa:

1. BB. MM. Angliae et Cambriae

   S. Congregatio Postulationi tradit Copiam Publicam Processus apostolica auctoritate in Curia Salforden. constructi super asserto miro, *die 13 aprilis;*
   Toto anni 1964 tempore, Postulatio, sub directione Sectionis Historicae S. Congregationis, documenta historica collegit, adnotavit atque ad editionem scientificam paravit circa martyrium illorum BB. MM. Angliae et Cambriae qui aequipollenter beatificati sunt.

2. S. D. Iosephi Anchieta

   Em.mus Cardinalis Augustinus Bea nominatur Ponens Causae, *die 29 februarii.*

3. S. D. Iacobi Berthieu

   Coram Summo Pontifice celebratur Congregatio Generalis super martyrio, *die 10 martii*;
   Coram Summo Pontifice legitur et eius auctoritate promulgatur Decretum quo declaratur constare de martyrio S. D., *die 8 aprilis.*

4. S. D. Villelmi Eberschweiler

   S. Congregatio emittit Decretum super scriptis, *die 19 decembris 1963;*
   S. Congregatio Postulationi tradit Copiam Publicam Processus super Non Cultu, *die 15 novembris.*

5. S. D. Francisci Garate

   Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet facultatem transferendi exuvias S. D. ad alium locum, *die 25 iunii.*

6. S. D. Salvatoris Garcidueñas

   Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet sic dictum privilegium Missionum eo fine ut Processus ordinaria auctoritate in Curia Mexicana constructus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere expeditius ad finem perduci queat, *die 10 aprilis.*

7. S. D. Ruperti Mayer

In Curia Monacen. celebratur ultima Sessio Processus apostolica auctoritate constructi super virtutibus, *die 14 februarii;*
Postulatio S. Congregationi tradit Transsumptum praedicti Processus, *die 15 februarii;*
Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet Decretum aperitionis praedicti Processus, *die 18 februarii;*
Incipit voluminosi Processus versio in unam e linguis officialibus S. Congregationis.

8. S. D. Petri Olivaint

Ex audientia Summi Pontificis emittitur a S. Congregatione Decretum Introductionis Causae SS. DD. Georgii Darboy, Matthaei Henrici Planchat et Sociorum, *die 10 decembris.*
Anno 1964, sub directione Sectionis Historicae S. Congregationis, varia studia historica parantur a Postulatione, ita ut — ex speciali indulto S. Sedis, interim concesso — haec Causa una cum Causa S. D. Petri Olivaint statim in Congregatione Praeparatoria disceptari possit.

9. S. D. Michaelis Augustini Pro

Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet dispensationem a praescripto can. 2101, *die 16 iulii;*
S. Congr. in Ordinario Congressu disceptat de validitate Processiculi a. 1963 apost. auctoritate in Curia Mexicana constructi super martyrio, ac emittit Decretum de validitate, *die 22 iulii;*
Postulatio petit et obtinet a S. Congregatione Copiam Publicam Processus Rogatorialis ordinaria auctoritate in Curia Elpasen. constructi super fama martyrii, *die 20 septembris;*
Postulatio curat praeparationem Summarii super martyrio, *anno 1694.*

10. S. D. Ioseph M. Rubio Peralta

Postulatio conficit, typis edit ac S. Congregationi tradit Informationem et Summarium super Non Cultu, *die 25 iulii;*
S. Congregatio Postulationi tradit Animadversiones R. D. Promotoris Generalis Fidei super Non Cultu, *die 21 octobris;*
Postulatio praeparat, typis edit et S. Congregationi tradit Responsiones ad praedictas Animadversiones, *die 22 novembris;*
S. Congregatio in Congressu disceptat et Decretum de Non Cultu edit, *die 12 decembris.*

11. S. D. Francisci De Paula Tarin

S. Congregatio Postulationi tradit Novas Animadversiones R. D. Promotoris Generalis Fidei super heroicitate virtutum, *die 1 iunii;*

Postulatio statim incipit curare et praeparare Responsiones ad praedictas Animadversiones, *anno 1964.*

Anno 1965

In Causa:

1. BB. MM. Angliae et Cambriae

Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet facultatem ut apostolica auctoritate in Curia Brentvooden. construatur Processus super asserto miro, *die 21 ianuarii;*

In Curia Brentvooden. praedictus Processus celebratur, *diebus 8 - 13 februarii*;

Postulatio a S .Congregatione petit et obtinet Decretum aperitionis praedicti Processus, *die 23 februarii;*

Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet Decretum aperitionis quorundam documentorum additionalium quae pertinent ad Processum auctoritate apostolica anno 1964 in Curia Salforden. celebratum super asserto miro, *die 23 aprilis;*

Postulatio labores investigationis historicae (de quibus supra: Anno 1964, n. 1) ad finem perducit ac S. Congregationi tradit manuscripta ut eius auctoritate ex officio edantur. Quae scripta actu sub prelo sunt, *anno 1965.*

2. S. D. Iacobi Berthieu [1]

Postulatio conficit, typis edit ac S. Congregationi tradit Positionem Super Tuto, *die 13 maii;*

Summus Pontifex mandat ut publici iuris fiat Decretum Super Tuto, *die 8 iulii;*

In Basilica Vaticana celebratur sollemnis Beatificatio S. D., *die 17 octobris;*

In templo Romano Sanctissimi Nominis Iesu celebratur sollemne Triduum in honorem Beati Iacobi, *diebus 19 - 21 octobris.*

---

[1] Pro festo liturgico Beati Iacobi Berthieu statuta est dies octava iunii.

3. S. D. Villelmi Eberschweiler

Postulatio conficit et typis edit Summarium super fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum in genere, *die 7 septembris;*
Postulatio praeparat Informationem super eisdem, *anno 1965.*

4. S. D. Ferdinandi De Huidobro Polanco

Em.mus Cardinalis Henricus L. Dante nominatur Ponens Causae, *die 8 maii;*
In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria Particulari disceptatur super scriptis, *die 11 maii;*
S. Congregatio emittit Decretum super scriptis, *die 8 iulii.*

5. B. Ioannis Ogilvie

Em.mus Cardinalis Villelmus Heard nominatur Ponens Causae, *die 20 februarii;*
Postulatio praeparat, typis edit ac S. Congregationi tradit Positionem super Reassumptione Causae, *die 17 martii;*
In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria disceptatur de Reassumptione Causae, *die 25 maii;*
Summus Pontifex signat Decretum Reassumptionis Causae, *die 8 iulii.*

6. S. D. Petri Olivaint

Studia historica anno 1964 (cfr. supra, sub n. 8) sub directione Sectionis Historicae S. Congregationis incepta ad finem perducuntur et ex officio typis mandantur, *anno 1965.*

7. S. D. Adulphi Petit

In Palatio Apostolico Vaticano habetur Congregatio Praeparatoria super heroicitate virtutum, *die 6 iulii;*
Summus Pontifex de exitu utcumque favorabili huius Congregationis certior factus, decernit ut ad ulteriora procedatur, *die 8 iulii.*

8. S. D. Iosephi Picco

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria disceptatur super scriptis, *die 30 martii;*
S. Congregatio edit Decretum super scriptis, *die 13 aprilis;*
Postulatio conficit et typis edit Summarium super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, *die 20 iulii;*
Postulatio praeparat Informationem super eisdem, *anno 1965.*

9. S. D. Michaelis Augustini Pro

Postulatio conficit et typis edit Summarium super martyrio, *die 15 decembris;*
Postulatio praeparat Informationem super eodem, *anno 1965.*

10. S. D. Francisci Rodriguez da Cruz

In Curia Lisbonen. celebratur ultima Sessio Processus ordinaria auctoritate instructi super Non Cultu, et sic absolvitur triplex Processus super scriptis, super Non Cultu ac super Fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum in genere, *die 23 iunii;*
Postulatio S. Congregationi tradit transsumpta praedictorum Processuum, *die 17 septembris*;
Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet Decretum aperitionis trium praedictorum Processuum, *die 21 septembris;*
Incipiunt statim labores vertendi praedictos Processus in unam e linguis officialibus S. Congregationis.

11. S. D. Iosephi M. Rubio Peralta

Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet dispensationem a praescripto can. 2087, § 2, *die 13 ianuarii;*
Postulatio a S. Congregatione petit et obtinet expeditionem Litterarum Remissorialium et Compulsorialium pro Processu apostolica auctoritate in Curia Matriten. construendo super virtutibus et miraculis in specie, *die 13 ianuarii;*
In Curia Matriten. celebratur prima Sessio praedicti Processus, *die 6 aprilis.*

12. BB. MM. Iacobi Sales et Villelmi Saultemouche

Postulatio petit et obtinet a S. Congregatione facultatem perquirendi praesumptum sepulchrum BB. MM., *die 23 ianuarii.*

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS

10. **31 iulii 1965**

S. Congregatio de Seminariis *et Studiorum Universitatibus erigit Facultatem Theologicam in Pontificio Seminario Maiore Nationali in Vietnam, Societati Iesu iam concredito, cum iure gradus academicos conferendi* (Decr. S. C. de Sem. et Stud. Univ.).

11. **28 septembris 1965**

Consilium ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia *approbat interpretationem anglicam « Proprii » Breviarii Romani pro Societate, ad usum Provinciarum linguae anglicae.*

12. **16 decembris 1965**

S. Congregatio de Religiosis *litteris Em.mi Card. Antoniutti* (N. Prot. 01872/55) *statuit relationes inter Societatem Iesu et* « Motum pro Mundo Meliore »: *hoc enim opus, ita statuente Summo Pontifice, inter opera Societatis Iesu plene connumeratur, ea etiam intentione ut Societas impensius contra atheismum possit vires impendere.*

Relationes inter Societatem Iesu et
« Motum pro Mundo Meliore »

1. — Motus pro Mundo Meliore pleno iure Societati Iesu concreditur.

2. — Bona igitur, quae Motus pro Mundo Meliore in dominio habet, eidem Societati in proprietatem concreduntur salvis aliorum iuribus.

3. — Collaboratores stabiles, etiam ad Motum pro Mundo Meliore dirigendum, adhiberi valent, praeter socios Societatis Iesu, personae saeculares, sive clerici sive laici, etiamsi sodales sint alicuius Instituti saecularis.

4. — Instituti religiosi sodales ad exercitationes tradendas aliaque opera exercenda invitari possunt ut occasionaliter, de licentia suorum Superiorum, talia ministeria cum Motu pro Mundo Meliore collaborantes exerceant.

5. — Exercitationes omnibus Christifidelibus de licentia Ordinarii loci tradi possunt, Religiosis vero plurium Institutorum simul coadunatis, praevia licentia Sacrae Congregationis de Religiosis.

13. **Anno 1965**

Nominationes Pontificiae quorundam e Nostris:

28 decembris 1964 — P. Ioannes Diamond, (Pr. Angliae) nominatur Rector Chishawashensis Seminarii Regionalis SS. Ioannis Fisher et Thomae More, in Missione Salisburiensi.

15 ianuarii 1965 — P. Gulielmus Le Saint (Prov. Chicag.) nominatur Praeses Pontificiae Facultatis Theologicae in Seminario Mundelein.

11 Februarii 1965. — R. P. Ioannes L. Swain, Vicarius Generalis Societatis cooptatur a Summo Pontifice inter Membra Commissionis de Religiosis Concilii Vaticani II, durante eius munere.

23 februarii 1965 — P. Raimundus Bidagor (Prov. Tolet.) nominatur Secretarius Pontificiae Commissionis pro revisione Codicis Iuris Canonici (Biglietto d. Segreteria di Stato).

22 martii 1965 — R. P. Ioannes Martensen (Prov. Germ. Infer.) nominatur Episcopus pro Dioecesi Copenhagensi (Dania).

26 aprilis 1965 — P. Rodericus A. MacKenzie (Prov. Canadae Sup.) annumeratur inter Consultores Pontificiae Commissionis pro Studiis Biblicis (Biglietto d. Segreteria di Stato).

3 maii 1965 — P. Iacobus Loze' (Prov. Madurensis) nominatur Rector Tiruchirapallensis Seminarii Regionalis Sancti Pauli (Decr. S. C. de Prop. Fide).

15 iunii 1965 — R. P. PETRUS ARRUPE, Praepositus Generalis S. I., cooptatur inter membra Commissionis de Religiosis Concilii Oecumenici Vaticani II (Epist. Secret. Status).

11 octobris 1965 — P. IOSEPHUS P. LOGAN (Prov. Oregon.) nominatur Rector Mpimensis Seminarii Minoris Regionalis S. Stanislai Kostka in Missione Lusakensi (Decr. S. C. de Prop. Fide).

12 novembris 1965 — P. IOSEPHUS FUCHS (Prov. Germ. Infer.) annumeratur inter Qualificatores S. Congregationis De Doctrina Fidei, tunc S. Officii (Biglietto d. Segreteria di Stato).

23 novembris 1965 — P. VALERIANUS D'SOUZA (Viceprov. Kanarensis) constituitur Rector Mangalorensis Seminarii Interdioecesani Sancti Iosephi (Decr .S. C. de Prop. Fide).

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

ET VICARII GENERALIS

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS
ET VICARII GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE

14. **13 ianuarii 1965**

Statuitur tempus Congregationis Generalis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

Reverende in Xto Pater,
P. Xti

Litteris diei 13 novembris 1964 ad omnes Praepositos Provinciarum et Viceprovinciarum necnon Superiores Regulares Missionum datis, Congregationem Generalem ad novum Praepositum Generalem eligendum aliaque gravia Societatis negotia aggredienda indixi, in nostra Curia Generalicia habendum, die autem conveniendi tunc nondum ob adiuncta constituto.

Cum vero interim Summus Pontifex die 4 ianuarii statuerit quartam sessionem Concilii Oecumenici incipiendam fore proximo die 14 septembris, tempus etiam nostrae Congregationis definiri potest.

Ex una parte omnino optandum est ut ante Congregationem sufficiens tempus habeatur, quatenus fieri potest, ad absolvendam praeparationem rerum considerandarum, iam pluribus mensibus abhinc a Patre Generali inceptam, necnon ad necessarias praeparationes materiales perficiendas. Ex altera parte tamen patet Congregationem Generalem, cum electione Praepositi Generalis, differri non posse ad finem proximae sessionis conciliaris, et praeterea tempestive incipiendam esse ut ante calores aestivos romanos saltem maiore ex parte in finem deduci possit.

Propterea, re coram Domino diligenter perpensa, consentientibus autem Patribus Assistentibus, his litteris diem conveniendi decerno proximum diem sextum maii, ita ut postero die, prima feria VI mensis, SS. Cordi Iesu peculiari modo dicata, primus Congregationis Generalis XXXI consessus habeatur.

Consilia igitur tempestive capiantur ut saltem vespere illius diei sexti maii 1965 Provinciales et Electores Romae in his nostris Curiae aedibus (Borgo Santo Spirito, 5) adsint. De die autem et hora, qua Romam pervenient, in antecessum certior fiat Pater Minister nostrae Curiae.

Benignissime in privata audientia die 18 decembris a Summo Pontifice receptus, inter alia brevem notitiam de nostra Congregatione Generali submisi, benedictionem apostolicam super eius praeparatoriis laboribus implorans. Quam benedictionem amplissimam Paulus Papa VI in universam Societatem perlibenter elargitus est, atque paterno animo sensus magnae in Societatem fiduciae ostendit, multum ac multa egregia opera e Societatis filiis sese expectare affirmans.

Haec verba et benedictio Summi Pontificis nobis pignori sunt divini luminis et auxilii pro praeparatione et celebratione nostrae Congregationis Generalis. Iam nunc praeterea animadverti potest quanta diligentia plures habitae sint Congregationes Provinciales, quarum Acta in dies huc perveniunt, id quod bonam spem pro futuro consessu generali confirmat. Attamen opportunum duco his meis litteris omnes Nostros, cuiuscumque sunt gradus vel aetatis, hortari ut intensius cum divina gratia cooperentur ad obtinendos quam saluberrimos Congregationis Generalis fructus. Ut autem, praeter opera, preces et sacrificia, quae singuli pro sua devotione et interna Sancti Spiritus inspiratione Deo offerent, etiam communes fiant supplicationes pro felici exitu electionis et Congregationis, ab acceptis his litteris ad diem trigesimum primum martii *semel in habdomada,* a die vero primo aprilis usque ad Congregationem Generalem absolutam cotidie in omnibus domibus tempore opportuno a communitate recitetur hymnus, *Veni Creator Spiritus,* cum oratione, *Deus, qui corda fidelium.*

Commendo me ss. SS.

Romae, die 13 ianuarii 1965,
in commemoratione Baptismatis D.N.I.C.

Rae Vae
Servus in Xto
IOANNES L. SWAIN
Vic. Gen. Soc. Iesu

15. **20 ianuarii 1965**

Praeceptum annuum confessionis et Communionis in Missionibus et Exercitiis Spiritualibus.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Mandante Patre Vicario Generali, cum Rª Vª communico Rescriptum S. Congregationis Concilii die 5 ianuarii huius anni datum (Prot. N. 96088/D), quo ad aliud quinquennium prorogatur facultas de adimplendo praecepto annuae confessionis et Communionis Paschalis in sacris missionibus ad populum vel in Exercitiis Spiritualibus a Nostris, quocumque anni tempore traditis (Cfr. *Elenchus Facultatum* n. 11).

Velit Rª Vª id cum iis, quorum interest, opportuna ratione communicare, simul advertens eandem clausulam perdurare de consensu Ordinariorum locorum.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 20 ianuarii 1965.

Rae Vae
Servus in Xto
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

16. **7 martii 1965**

De morte R. P. Antonii Pat. Prešeren Assistentis Slavici.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Hodie, die dominica 7 martii, in Curia nostra Generalicia circa horam 2,00 matutinam pie in Domino obiit R. P. Antonius Pat. Prešeren, e districtu Sloveniae in Provincia Croatiae, Assistens Slavicus, aetatis annum agens 82um, sacerdotii 57um, Societatis 55um.

---

[1] Cfr. superius pag. 577.

Inde a postrema Congregatione Generali eius vires decrescere incipiebant, sed muneri suo operam dare perrexit, quamvis condiciones Provinciarum eius curae commissarum, quae ultra aulaeum ferreum, uti dicitur, sitae sunt, non nimium officii laborem postulaverint, immo in aliquibus Provinciis quaelibet cum Nostris communicatio evanuerit, id quod ei magno et constanti fuit dolori.

Vespere autem festi Nativitatis Domini anni 1963 thrombosi celebrali correptus est cum consequenti levi paralysi lateris sinistri, quae ei deinceps consuetum pedis sinistri gressum aliquatenus impediebat. Sacramentis morientium die 28 decembris munitus per aliquot dies in periculo vitae versabatur, sed post duas circiter hebdomadas sufficienter convalebat ut ad nosocomium transferri potuerit. Curis peritorum medicorum, sine tamen notabili progressu, per tres hebdomadas subiectus, domum reversus est atque, contra exspectationem, viribus gradatim recuperatis, Missam sedens celebrare necnon in triclinium venire atque communi recreationi interesse incepit. A tempore autumnali vero, sclerosi arteriarum cum comitantibus complicationibus internis in dies magis progrediente, lecto adstrictus est et tandem in tantum discrimen adductus ut die 20 novembris Sacrum Oleum infirmorum ei iterum subministratum sit. Hac quoque crisi inopinato superata, aliquatenus melius se habebat, donec his postremis hebdomadibus crescens corporis debilitas monstravit eum morbi impetui diu resistere non posse; luciditatem tamen mentis et plenam conscientiam usque ad extremum conservavit.

Pater Prešeren, die 8 iunii 1883 Zabreznicae in Slovenia (Jugoslavia) e familia numerosa et profunde pia natus, affinitatem habuit cum maximo poeta sloveno Francisco Prešeren et cum illustri. Archiepiscopo Labacensi (Ljubljana) Jeglič, suae matris fratre. Hic speciali cura sui nepotis educationem prospiciens, eum misit primo in Seminarium Travnicense, ubi optimo successu studia media absolvit, dein Romam, ubi, alumnus Collegii Germanici et Hungarici, septem annos studiis philosophicis et theologicis in Pontificia Universitate Gregoriana incubuit atque Lauream in Philosophia et Theologia consecutus est, sacerdotio die 28 octobris 1908 auctus. Eius vocatione religiosa in Urbe maturescente, admissionem in Societatem impetravit, accepta dispensatione (pro alumnis Collegii Germanici et Hungarici necessaria) a S. Pio X manu propria subscripta. Domum reversum cooperatorem parochialem eum constituit Archiepiscopus Labacensis, cum quo et peregrinationem in Terram Sanctam aggressus est. Post annum deinde in cura animarum transactum, die 3 octobris 1910 ingressus est in noviciatum apud S. Andream in Provincia Austriae, ad quam tunc Slovenia

pertinebat. Tertia probatione inter secundum annum noviciatus apud Linciensem Domum Probationis absoluta atque primis votis die 4 octobris 1912 emissis, Oenipontem missus est, ubi Professor philosophiae et Minister Scholasticorum per quattuor annos fuit atque theologiam fundamentalem uno anno docuit, donec ad finem belli mundialis anno 1918 in Jugoslaviam recenter politice formatam rediit.

In Viceprovincia Jugoslaviae, eodem anno a Provincia Austriae seiuncta et sui iuris facta, vocatus est ad Sarajevense Seminarium Maius regendum, in quo etiam philosophiam docuit. Ad sollemnem Professionem quattuor votorum die 2 februarii 1921 promotus, Praepositus Viceprovinciae die 22 aprilis 1922 constitutus est et insequenti anno Congregationi Generali XXVII tamquam Procurator Viceprovinciae interfuit.

Optimus Pater Viceprovinciam Jugoslaviae tamquam Praepositus quasi funditus aedificavit. Parvum enim Seminarium Societatis penes Collegium Travnicense, necnon Labacensem et Zagrabiensem Domos Exercitiorum construxit. In capite tunc regni Jugoslaviae Belgradensem Residentiam atque, petente Visitatore Apostolico, Exc.mo D. Angelo Iosepho Roncalli, Summo Pontifice Ioanne XXIII futuro, parvum Seminarium Sophiae in Bulgaria aperuit. Magno zelo promovebat Apostolatum Orationis cum duobus Nuntiis SS. Cordis Iesu, croato et sloveno. Tria periodica, pro Missionibus, pro Congregationibus Marianis, et pro cultura generali, « Život » (« Vita »), fundavit.

In munere Viceprovincialis perseveravit usque ad diem 11 ianuarii 1931, cum secundus Assistens Slavicus renuntiatus est. Etiam Congregationi Generali XXVIII ut Assistens adfuit, atque in Congregatione Generali XXIX die 23 septembris 1946 iterum electus est ad munus Assistentis, quo usque ad suum felicem obitum, ultra 34 annos, functus est, diutius quam ullus alius Assistens sive in antiqua sive in restituta Societate. Romae praeterea per plures annos Delegatus Patris Generalis fuit ad regendas Domus interprovinciales et ad curam habendam Nostrorum ritus orientalis sive in Urbe sive alibi degentium.

Si propter graves Assistentiae Slavicae aerumnas Pater Prešeren minores habuit de rebus internis labores, Providentia divina apertum campum eius apostolicis et beneficis operibus praebuit inter concives e patria exsules. Difficile admodum esset numerare quot angustiis pressi, praesertim ecclesiastici, Religiosae et mulieres pauperculae ad consilia et auxilia Patris accurrerint per longos annos post bellum. Quamplurimi eius tacitae sed actuosae caritatis fructum perceperunt, ut conicere possumus e vivido desiderio

quo expectabantur a multis nuntii de eius valetudine ac de pio obitu.

Varias constantesque curas exercuit erga Seminarium Maius (cum Facultate Theologica usque ad annum 1960) et Seminarium Minus Labacense, saepius per varias oras profugum; plurimos annos Praeses fuit Sloveni Circuli religiosi culturalis « Slomšek », qui sessiones singulis mensibus habet; tandem, opus quod valde illi cordi fuit, Collegium Slovenum in Urbe, probante ecclesiastica auctoritate, perseveranti cura condidit et moderatus est, ad ecclesiasticos viros colligendos dum Romae studia superiora peragunt.

Pater Prešeren fuit vir fidelis, Societatis et boni communis amator, magna prudentia praeditus, in gubernando fortitudinem cum suavitate scite coniungens. In nova Assistentia Slavica provehenda alacritate et ponderato iudicio necnon haud communi zelo animarum Patrem Generalem adiuvare enitebatur, cognitione sex linguarum slavicarum, quarum aliquibus perfecte utebatur, et linguae romenicae magnopere adiutus. Praelucenti simplicitate et modestia praeditus, indolem paulisper irritabilem severe reprimebat, et si quem, etiam ultimum subditum, offendere videbatur, veniam ab eo petere non detrectavit. Devotione et pietate excellebat, coram SS. Sacramento visitationes protrahebat atque Provincias dure probatas et dissolutas SS. Cordi Iesu continuo commendabat.

Toto morbi tempore per 1 circiter menses protracto eximium virtutum exemplum praebuit, suavi caritate affluens et indole quasi transformatus, ita ut de nulla re conqueretur et, oboedientia religiosa fretus, omnia in spiritu fidei grato animo e manu Dei acciperet suaque incommoda et dolores pro Societate offerret. Quasi uno tenore rosarium in manibus tenens infirmitatis tempore orando transegit. Summus Pontifex Benedictionem Apostolicam ei bis mittere dignatus est, alteram duos ante dies quam a temporali ad aeternam vitam placide transivit.

Suffragia pro anima cari defuncti, prout Institutum nostrum praescribit (Coll. Decr. d. 290; Epit. n. 854 § 2), haec persolvantur: praeter tres Missas in Provincia Croatiae, ad quam adscriptus erat et cui olim praefuit tamquam Praepositus, singuli sacerdotes in tota Assistentia Slavica tria Sacra faciant, in reliqua autem Societate unum; ii vero qui sacerdotes non sunt, totidem Missas, Communiones et coronas pro eo offerant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 7 martii 1965.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
IOANNES L. SWAIN
Vic. Gen. Soc. Iesu

17. 19 aprilis 1965

Nuntiatur Atlas Societatis.

AD SUPERIORES OMNIUM DOMORUM

Reverende in Xto Pater,
P. Xti

Dum postremum nostrum Annuarium imprimebatur, opportunum videbatur maiorem exemplarium numerum conficere secundae illius partis, scilicet Atlantis, quem praevidere licebat usui aptissimo futurum esse plurimis e Nostris, praesertim iuvenibus, quibus integra notitia de universa Societate, geographice descripta, non solum solatio sed incitamento esse posset. Et siquidem Annuarium integrum, sua ipsius destinatione, saepe non apud Nostros permanet sed, praeter pauca illa exemplaria quae in bibliothecis servantur, ad amicos, benefactores et familiares regulariter remittitur, placuit A. R. P. Generali felicis memoriae ut ipsius Atlantis editio separata fieret 8.000 exemplarium.

Editio Atlantis est eadem prorsus quae in Annuario inclusa est: series scilicet chartarum quae post illius paginam 56 incipiunt. Praemissae sunt 8 tantummodo paginae novae, sola lingua latina; hae, cum dedicatione in memoriam Patris Janssens, continent duos graphicos: alterum de incremento Societatis 1814-1964, alterum de praecipuis nostris migrationibus: colliguntur hic non solum statisticae quae in ipso Atlante sparsae iam erant, sed alii minores numeri qui silentio praetermissi fuerant. Tandem additur indicatio erratorum praecipuorum, quae in opere tantae complexitatis necessario irrepserunt.

Totus fasciculus religatur eadem materia plastica ac Annuarium, licet alius coloris: utrumque ideo potissimum selegimus ut ATLAS Societatis, quem Nostri frequentius consulent, manuum contrectationem diutius sustinere possit. Eius pondus est grammorum 400 (Annuarii erat 530), pretium autem 500 italicis libellis.

Velit igitur R^a V^a, per annexam schedulam rite implendam et ad nos remittendam, significare quot exemplaria Atlantis pro suis subditis et domibus requirantur. Distributio fiet statim ac petitiones Romam pervenire inceperint.

Romae, die 19 aprilis 1965.

R^ae V^ae
Servus in Xto
Iacobus W. Naughton
Secr. Soc. Iesu

18. 22 aprilis 1965

Imminente Congregatione Generali, preces petuntur.

AD OMNES SUPERIORES

Reverende in Xto Pater,
P. Xti

Imminente iam Congregatione Generali, opportunum mihi videtur iterum omnes Nostros hortari ut labores et eventum huius Congregationis Deo instantissime commendent. Satis est in hac re ipsa Sancti Patris Ignatii verba ex Constitutionibus afferre: « Curabunt praeterea Superiores ut omnes, qui sub oboedientia Societatis vivunt, cotidie in orationibus et in Missarum sacrificiis plurimum Domino commendent eos qui ad Generalem Congregationem se conferunt, et simul ut, quidquid in ea transigetur, ad maius obsequium et laudem et gloriam divini Nominis cedat » [1].

Deinde, post sapientissimas normas datas de modo deliberationis cum de electione Generalis agitur [2], Sanctus Pater, tractans de modo tenendo in deliberationibus quando in Congregatione Generali de aliis rebus agitur, inter alia scribit haec:

« Sed, quia ex prima et summa Sapientia descendat oportet lux ea, qua diiudicari possit quid statuere conveniat, in primis, Missarum Sacrificia offerentur, fietque oratio in loco Congregationis et aliis partibus Societatis, per totum illud tempus quo congregantur et quo tractantur res in eo Conventu definiendae, ad gratiam impetrandam, ut omnia ad maiorem Dei gloriam constituantur » [3].

Sine dubio omnes Nostri sive ex propria devotione sive iuxta normas a Superioribus statutas pro his intentionibus multas preces et Missas Deo obtulerunt et oblaturi sunt. Optandum sane est ut die 7 maii, prima feria sexta mensis, cum prima sessio Congregationis habebitur, necnon ipsa die electionis Praepositi Generalis (quae omnibus Nostris tempore opportuno nota fiet), omnes in Societate, alioquin non impediti, Missas suas offerant ad lumen divinum Patribus Congregatis impetrandum.

His postremis mensibus in universa Societate, exceptis dispersis Provinciis et Viceprovinciis Bohemiae, Hungariae, Lituaniae, Romenica et Slovakiae atque Missione independenti Lettoniae et Estoniae, Congregationes Provinciales cum zelo et sollicitudine Electores

---

[1] *Const.* p. VIII c. 5 n. 4 [693].
[2] *Const.* p. VIII c. 6 [694-710].
[3] *Const.* p. VIII c. 7 n. 1 [711].

eorumque Substitutos elegerunt atque magnum postulatorum numerum ad Congregationem Generalem et ad Praepositum Generalem destinaverunt. Haec omnia postulata sive a Congregationibus Provincialibus sive a privatis personis missa praesto erunt Patribus Congregatis, cum Romam pervenerint.

Hanc nactus occasionem, non possum quin gratias agam coetui peritorum qui strenue laboraverunt et laborant in parandis relationibus, quae ad Provinciales et Electores missae sunt, atque in illustrandis multis problematibus iuridicis et doctrinalibus, quae in Congregatione praeparanda orta sunt. Optime de Societate merentur hi Patres, quorum collaboratio, iam vivente Patre Generali incepta, semper valde discreta fuit nec ultra limites informationis et consultationis perrexit.

In hoc die festo B. V. M. Reginae Societatis, anniversario votorum S. P. Ignatii et primorum Sociorum in Basilica Sancti Pauli extra Muros emissorum, intercedat Regina Nostra apud Filium dilectum, ut in his Societatis Comitiis hereditas Sancti Fundatoris integra servetur, dum iuxta mentem Ecclesiae pro mutatis temporum condicionibus opportunae fiant accommodationes.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 22 aprilis 1965,
in festo B. V. M. Reginae Societatis.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
IOANNES L. SWAIN
Vic. Gen. Soc. Iesu

19. **22 maii 1965**

Nuntius de electione Praepositi Generalis.

TELEGRAMMA

missum a R. P. Ioanne L. Swain ad omnes Superiores Provinciarum et Viceprovinciarum statim post electionem Praepositi Generalis:

ROMAE 22 MAII - ELECTUS GENERALIS PATER PETRUS ARRUPE PRAEPOSITUS PROVINCIAE IAPONICAE

SWAIN

20. **17 iunii 1965**

Communicantur Litterae Pontificiae de cultu SS. Cordis Iesu [1].

AD UNIVERSAM SOCIETATEM

REVERENDI PATRES, FRATRESQUE IN XTO CARISSIMI,
P. XTI

Cum his brevibus litteris, primis post susceptum Praepositi Generalis munus mittendis ad omnes socios nostrae Societatis, quos per NUNTIOS Congregationis Generalis ipsa electionis die, 22 maii, salutare iam potui, me valde iuvat, idque, appropinquante iam Festo SS. Cordis Iesu, summopere opportunum censeo cum vobis communicare Litteras Pontificias circa cultum SS. Cordis Iesu, quas Summus Pontifex die 25 maii 1965 mittere dignatus est ad quaedam Instituta religiosa, « peculiari religionis titulo cum SS. Iesu Corde » devincta, inter quae etiam nostra Societas recensetur. Quamvis Congregationis Generalis XXXI sit postulata accepta de cultu SS. Cordis Iesu examinare suasque commendationes de eo proferre, convenire tamen iudicavi ut iam nunc Litteras Pontificias ad vos omnes transmitterem et ita adimplere inciperem partem illam praecipuam mei muneris, scilicet communicare cum Societate desideria Summi Pontificis.

Quibus litteris iterum clare manifestatur voluntas Summi Pontificis ut « cultus SS. Cordis ... cotidie magis refloreat, et ab omnibus existimetur veluti egregia probandaque verae pietatis forma ». Aeque clare patet responsum a nobis dandum, tum ob nostram traditionem in hac devotione exercenda et fovenda, tum praesertim ob nostram erga Christi Vicarium oboedientiam et fidelitatem, quam in audientia privata die 31 maii huius anni ei denuo significare mihi peculiari gaudio fuit, nempe: huic novo Summi Pontificis incitamento et hortationi prompto animo obsecundantes, strenuo pro viribus atque renovato vigore cultum SS. Cordis Iesu praestare atque promovere pergemus.

Vobis omnibus ex corde benedicens, commendo me sanctis Sacrificiis et precibus vestris.

Romae, die 17 iunii 1965,
in festo SS. Corporis Christi.

Vestrum omnium
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

---

[1] Cfr. epist. pag. 584 ss.

21. **20 iunii 1965**

De interpretatione populari Proprii Missalis et Breviarii.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Mandante Patre Generali, ad Ram Vam mitto brevem Instructionem Consilii ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia, « De popularibus interpretationibus Propriorum Diocesium et Religiosarum Familiarum », die 1 iunii communicatam (Prot. N. 2809/65), quae sine dubio ubique iam exspectatur.

Diligenter servanda sunt ea quae in Instructione statuuntur de modo procedendi in translationibus nostri Proprii Missarum et Breviarii in diversas linguas rite faciendis.

Provinciales ceterique Superiores Maiores cuiusque regionis linguisticae inter se convenientes (eo fere modo quo anno superiore Ordinarii locorum), designent aliquem peritum Patrem, immo plures iuxta adiuncta, qui huic negotio incumbant et textus vulgares parent.

Quos textus dein ipsi Superiores Maiores a se revisos approbent atque eorum *tria exemplaria* ad me mittant, addita brevi relatione circa criteria, quibus opus interpretationis innixum est. Consilio autem placeret ut *intra proximos sex menses* Propria particularia eius approbationi subicerentur.

Patris Generalis erit textus proponere atque approbationem seu confirmationem Sedis Apostolicae impetrare. Postea autem cura textuum edendorum ad usum liturgicum, et etiam, si videbitur, pro parvis missalibus, ad usum v. g. Fratrum Coadiutorum, ad ipsos Superiores Maiores spectabit.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 20 iunii 1965.

Rae Vae
servus in Xto
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

---

[1] Cfr. superius pag. 587.

22. 22 iunii 1965

Dispensatio a litteris ex officio scribendis. - De diebus aliturgicis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

R^am V^am certiorem facio Patrem Generalem Superiores locales et Consultores Provinciae vel Viceprovinciae, qui ex officio obligantur ad litteras ineunte mense iulio 1965 ad Generalem mittendas (cfr. Epit. nn. 859, 861 § 2), ad hac obligatione dispensavisse. Ex una parte enim Pater Generalis, laboribus Congregationis Generalis tum praesentibus tum, ea absoluta, proxime futuris detentus, tot litteris debito modo studere non possit; ex altera autem parte a Provincialibus et aliis Romae pro Congregatione Generali degentibus plura de Provinciis et domibus Patri Generali referuntur. Velit igitur R^a V^a eos, quorum interest, de hac dispensatione concessa certiores facere.

Hac data occasione, R^ae V^ae etiam notum facio S. Congregationem pro Ecclesia Orientali, Rescripto die 23 ianuarii 1965 dato (Prot. N. 703/48), ad aliud triennium prorogasse facultatem ut Sacerdotes ritus orientalis nostrae Societatis Sacrum litare queant diebus quoque qui aliturgici vocantur, excepta feria VI maioris Hebdomadae (cfr. AR XIV 147, 165).

Commendo me ss. SS.

Romae, die 22 iunii 1965.

R^ae V^ae
servus in Xto
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

23. 28 iunii 1965

Promulgatur decretum de Assistentibus.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Nomine Congregationis Generalis XXXI, cum Rª Vª communico, ut per domos divulgetur, decretum hodie ab ipsa Congregatione latum:

DE ASSISTENTIBUS:

1 - Ad exercendam providentiam Societatis erga Generalem eliguntur quattuor tantum Assistentes. (Const. P. IX, C. V)

2 - Illi quattuor Assistentes habent votum deliberativum vel consultivum in eis casibus in quibus ius commune etiam in Societate requirit ut Praepositus Generalis habeat consensum suorum Consultorum eosve audiat.

3 - Generalis ius est et officium eis alios sufficiendi, si, auditis reliquis Assistentibus, eos iudicat, propter notabilem virium imminutionem vel aliam rationem, ita muneri impares, ut exinde Societas grave damnum acceptura praevideatur. (Cf. Coll. Decr. d. 269 § 2, 3°)

Debet tamen Generalis quamprimum Assistentium et Provincialium approbationem petere, apta eis tradita informatione de electo.

4 - Si Congregatio Generalis ad negotia convocata declarat velle se ad novorum Assistentium electionem procedere, priores Assistentes ipso facto a munere cessant, sed possunt ad idem munus iterum eligi.

5 - Addendum in numero 136 Formulae Congregationis Generalis: Primi duo Assistentes in eadem sessione singillatim eligantur in scrutiniis diversis et successivis; tertium in sessione sequenti; et quartus in tertia sessione.

6 - Omnes dispositiones contrariae, sive in Collectione Decretorum, sive in normis Formulae Congregationis Generalis, sive in Regulis Assistentium, et nominatim in Decretis 263, 264, 268 § 1,

269 § 2, 3°, in Formula n. 130, suspenduntur, donec proxima Congregatio Generalis de dispositione praesenti ad experimentum inducta iudicium ferat.

7 - Ex speciali dispositione Congregationis Generalis, hoc Decretum promulgatur eo ipso die quo latum est secundum normas Formulae Congregationis Generalis, n. 144 § 2.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 28 iunii 1965.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

24. **29 iunii 1965**

Communicantur nomina Assistentium electorum.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Decreto Congregationis Generalis XXXI de Assistentibus hesterno die promulgato, cum Rª Vª communico nomina, ordine alphabetico disposita, quattuor Patrum, qui ab eadem Congregatione Generali hodie electi sunt Assistentes ad exercendam providentiam Societatis erga Generalem (Cf. Const. P. IX c. V):

P. PAULUS DEZZA, e Provincia Veneto-Mediolanensi, hactenus Delegatus Praepositi Generalis pro Romanis Domibus Interprovincialibus.

P. VINCENTIUS T. O'KEEFE, e Provincia Neo Eboracensi, hactenus Rector Neo Eboracensis Collegii Maximi, Universitatis Fordhamensis.

P. IOANNES L. SWAIN, e Provincia Canadae Superioris, munere Vicarii Generalis die 22 maii 1965 defunctus.

P. ANDREAS VARGA, e Provincia Hungariae, hucusque Viceprovincialis Provinciae Hungariae in dispersione.

Velit R^a^ V^a^ curare ut hae nominationes omnibus Nostris notae fiant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 29 iunii 1965,
in festo SS. Petri et Pauli.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

25. **8 iulii 1965**

Communicantur nomina Admonitoris Generalis et Assistentium Regionalium.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

R^am^ V^am^ certiorem facio Admonitorem Generalis a Congregatione Generali XXXI die 30 iunii 1965 electum esse P. Ioannem L. Swain, qui Assistens Generalis pridie electus erat.

Item R^ae^ V^ae^ notum facio me, secundum ea quae Congregatio Generalis statuerat suffragatione diei 24 iunii 1965, hodie constituisse hos Assistentes Regionales, eodem numero ac Assistentiae:

P. HYGINUM GANZI, Assistentem Regionalem Italiae, e Provincia Taurinensi, hucusque Instructorem Tertiae Probationis in Provincia Romana.

P. MARIUM SCHOENENBERGER, Assistentem Regionalem Germaniae, e Viceprovincia Helvetica, hucusque Superiorem Turicensis Domus Academicorum S. Petri Canisii.

P. MAURITIUM GIULIANI, Assistentem Regionalem Galliae, e Provincia Galliae Mediterraneae, hucusque Superiorem Parisiensis Domus Interprovincialis Scriptorum S. Petri Canisii.

P. VICTOREM BLAJOT, Assistentem Regionalem Hispaniae, e Provincia Tarraconensi, hucusque Praepositum Viceprovinciae Bolivianae.

P. ANDREAM SNOECK, Assistentem Regionalem Angliae, e Provincia Belgica Septentrionali, olim Praepositum eiusdem Provinciae et nuper Visitatorem Viceprovinciae Proximi Orientis.

P. HAROLDUM SMALL, Assistentem Regionalem Americae, e Provincia Oregoniensi, usque ad diem 22 maii 1965 Assistentem Americae.

P. ANTONIUM MRUK, Assistentem Regionalem Slavicum, e Provincia Poloniae Minoris, hucusque Superiorem Religiosum apud Pontificiam Universitatem Gregorianam.

P. CANDIDUM GAVIÑA, Assistentem Regionalem Americae Latinae Meridionalis, e Provincia Argentinensi, hucusque Rectorem et Instructorem in Marplatensi Domo Tertiae Probationis B. Claudii La Colombière.

P. HIERONYMUM D'SOUZA, Assistentem Regionalem Indiae, e Provincia Madurensi, usque ad diem 22 maii 1965 Assistentem Indiae.

P. EMMANUELEM ACÉVEZ, Assistentem Regionalem Americae Latinae Septentrionalis, e Provincia Mexicana Septentrionali, hucusque Superiorem Regularem Missionis Tarahumarensis.

P. HERBERTUM DARGAN, Assistentem Regionalem Asiae Orientalis, e Provincia Hiberniae, hucusque Superiorem Regularem Missionis Hongkongensis.

Velit R^a^ V^a^ curare ut hae nominationes cum omnibus Nostris communicentur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 8 iulii 1965.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

26. **13 iulii 1965**

Promulgatur Decretum de Scholasticorum Institutione.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Nomine Congregationis Generalis XXXI, cum Rª Vª communico Decretum « De Scholasticorum institutione praesertim in studiis », quod die 7 iulii a Congregatione Generali latum est et hodie his litteris promulgatur.

Simul cum Decreto, Relationem mitto, a Commissione III Congregationis Generalis praeparatam, quae ad meliorem Decreti intelligentiam et applicationem iuvabit.

Meum erit quamprimum membra Commissionis nominare, quae, ad normam n. 15 Decreti, Rationem Studiorum recognoscere debebit; etiam Patres Provinciales rogo ut viros peritos seligant, qui Ordinem Studiorum in diversis regionibus, ad normam n. 16 Decreti, opportuno tempore praeparare possint. Omnibus vero novi Decreti, una cum ceteris Ecclesiae et Societatis legibus de studiis, fidelem exsecutionem commendo, ut Scholasticorum institutio consuetam soliditatem et profunditatem servet, ac novis apostolatus necessitatibus plenius respondeat.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 13 iulii 1945.

Rae Vae
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

RELATIO SUPER DECRETO
DE SCHOLASTICORUM INSTITUTIONE PRAESERTIM IN STUDIIS

Plurimis postulatis perpensis, quae de hac materia Congregationi Generali pervenerunt, opportunum visum est unicum decretum conficere in quo datur *solutio* quaestionum quae *statim* solvi possunt et *orientatio* circa quaestiones quae non statim solvi possunt.

Decretum sequentes partes complectitur:

I. De formatione in genere
II. De studiis: A. De generali studiorum curriculo
B. De studiis specialibus
C. De doctrina tradenda

I. *Prima pars* decreti agit *de formatione in genere* et brevior est, quia plures quaestiones, vitam spiritualem et disciplinam religiosam spectantes, omissae sunt, cum in aliis decretis ex professo tractandae sint. Vitanda enim videbatur inutilis et damnosa repetitio; ideoque suppositis iis quae in aliis decretis dicentur, illa tantum hic recoluntur, quae peculiaria adiuncta respiciunt eorum qui in formatione sunt; nihil vero impedit quominus, in altera Congregationis Generalis sessione, praesens decretum apte componatur et coniungatur cum decreto de spirituali scholasticorum institutione, quod a Congregatione approbetur.

Fortasse etiam ea quae in hac prima parte dicuntur, parum novi afferre videntur, cum Societatis traditio iam ex origine ea in genere sit professa. At tot postulata de his rebus, eorum momentum et actualitatem suadent; ac revera iuventus hodierna praebet characteres simul maturitatis et immaturitatis evidentiores quam in praeterito; maturitatis quidem, quia, iam a pueritia, maxima gaudet libertate agendi, laborandi, decernendi; at simul immaturitatis, quia eius evolutio tam biologica quam psychologica, praesertim affectiva, serius quam antea perficitur. Huc accedit quod et ipse mundus, in quo iuniores hodie versantur et ad quem evangelizandum sese aptos reddere debent, omnium rerum unitatem et omnium hominum solidarietatem postulat.

His diversis et novis exigentiis respondere conatur prima decreti pars in qua, post commemoratum nostrae vocationis finem apostolicum (1) et necessariam unitatem totius formationis (2) sive spiritualis (de qua in 3), sive apostolicae (de qua in 4) sive doctrinalis (de qua in II parte), specialiter attenditur ad *maturitatem psychologicam* (5), ad *sensum responsabilitatis* eiusque exercitium (6), ad spiritum *solidarietatis et collaborationis* (7). Quaedam praeterea notantur de disciplina religiosa (8) et de numero scholasticorum (9) comparandum cum 32), de scholasticorum *dialogo* cum Superioribus et Professoribus (10) eorumque relationibus ad extra (11) et in specie de spiritu qui totam institutionem informare debet (12).

Hae generales normae postulatis respondere videntur et meliori formationi Scholasticorum providere secundum nostrorum temporum exigentias.

II. *Secunda pars* agit de *studiis* et multo amplior est, quia haec materia ex professo ad hoc decretum pertinet.

Revocato fine studiorum in Societate (13) et distinctione facta inter formationem *generalem,* quae omnibus Nostris est necessaria, et *specialem,* quae diversa est pro diversitate munerum vel ministeriorum ad quae singuli destinantur (14), normae dantur ad *Rationem Studiorum retractandam* (15).

Ad hunc finem quaedam praenotanda videntur, ut clarius appareat quid in hac re, attentis legibus Ecclesiae et Societatis, praesens Congregatio Generalis facere possit vel non possit.

Plures dantur *leges Ecclesiae* in materia studiorum, quarum aliquae Scholasticos nostros respiciunt quatenus ad sacerdotium praeparantur, aliae vero quatenus ad gradus academicos contendunt.

Ex his legibus:

a) quaedam *nunc vigentes* sunt (Const. Apost. « Deus Scientiarum Dominus », Const. Apost. « Sedes Sapientiae », Const. Apost. « Veterum Sapientia » etc.);

b) quaedam *proxime a Concilio* promulgabuntur (Decr. « De Institutione Sacerdotali »);

c) quaedam *futurae post Concilium* praevidentur (retractatio Const. Apost. « Deus Scientiarum Dominus »).

Cum hae leges a Congregatione Generali non pendeant neque ab his dispensationem nunc petere possibile vel opportunum sit, decretum de studiis ita redactum est ut *non contradicat* legibus nunc vigentibus, *conforme sit* legibus proxime a Concilio promulgandis, et *facile conformabile* futuris legibus post Concilium ferendis, quatenus praevideri possunt.

Dantur praeterea *Statuta Facultatum Societatis Iesu,* quae a nostra Societate sunt praeparata, sed a Sancta Sede approbata, ideoque mutari nequeunt sine Sanctae Sedis approbatione. Attamen facilius eorum mutatio obtineri poterit, etsi non statim; cum enim intrinsece connexa sint cum Const. Apost. « Deus Scientiarum Dominus », eorum retractatio cum ipsius Constitutionis retractatione connectitur.

Tandem dantur *leges Societatis,* quae a Congregatione Generali, etsi diversa ratione, mutari possunt.

Sunt imprimis *Constitutiones*; attamen in decreto nihil est contra Constitutiones, nisi quod in n. 29 dicitur *de materia examinis ad gradum.* Ibi statuitur ut philosophia, tanquam pars separata a theologia, in examine ad gradum supprimatur; et ratio est quia pars philosophica examinis ad gradum, pluribus fatentibus, iam seria non est; Scholastici ex una parte, examen de universa philosophia iam subierunt; et examen de universa theologia paran-

tes, tempus non habent rursus recolendi totam philosophiam; ex alia parte professores theologiae, qui sunt examinatores, graviora problemata hodiernae philosophiae communiter non callent, ideoque de illis tantum quaestionibus philosophicis examinare solent, quae cum theologicis connectuntur et quae bene cum his integrari possunt, ut in n. 29 dicitur.

Sunt praeterea *Decreta praecedentium Congregationum Generalium,* quorum praecipua de studiis continentur in Coll. Decr. 84-128. Congregatio Generalis haec decreta abrogare vel retractare potest; et de facto in novo decreto « De scholasticorum institutione praesertim in studiis », plura sunt quae illis decretis contradicunt. Cum vero Congregatio singulorum decretorum considerationem et retractationem perficere nequeat, Patri Generali et novae Commissioni, quae *Rationem Studiorum* recognoscere debet, munus committit omnium dcretorum de studiis retractationem parandi et normas statuendi, donec proxima Congregatio Generalis, studiis et experimentis factis, definitivam sententiam ferat.

Quare praecedentium Congregationum Generalium Decreta atque Patrum Generalium Ordinationes, quae et quatenus praesenti Decreto adversantur, abrogata sunt; cetera vero vim suam servant donec novae normae statuantur; ad quaedam vero dubia praecavenda et difficultates solvendas nonnullae normae infra traduntur.

Cum postulatum sit ut maior permittatur studiorum adaptatio ad diversas regionum et adiunctorum necessitates, non tantum facultas, sed obligatio datur Provincialibus (vel coetui Provincialium) *Ordinem studiorum regionalem* per viros peritos praeparandi, in quo intra limites legum Ecclesiae et Societatis universae, accommodationes fiant iuxta legitima desideria, nimiae tamen diversitates vitentur, ne practice impossibilis fiat Scholasticorum transitus ab una in aliam nationem ad studia facienda, sicut fructuose nunc fieri solet (16).

Hoc praescriptum plene congruit cum lege a Concilio proxime promulganda « De Institutione Sacerdotali », quae statuit ut a Conferentiis Episcoporum, in singulis nationibus vel ritibus, peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » conficiatur, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur; Ratio vero ab Apostolica Sede approbanda erit, et certis temporibus recognoscenda, ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum erit. Analogo modo in Societate a coetibus Provincialium « Ordines Studiorum Regionales » conficiendi erunt, certis temporibus recognoscendi atque a Patre Generali approbandi.

III. Post has generales animadversiones circa universum Studiorum Rationem, breviter indicare iuvabit elementa nova quae inveniuntur in decreti parte, quae inscribitur *De generali studiorum curriculo,* quorum aliqua discedunt a decretis praecedentium Congregationum Generalium.

1) Norma servatur ut Scholastici communiter consequantur *gradus academicos,* qui per ordinarium studiorum nostrorum curriculum obtineri possunt, at solvitur necessarius nexus hucusque vigens, ita ut iam non requiratur licentia Generalis ut quis studia faciat in ordine ad gradum Societatis, et non in ordine ad gradus academicos, et pariter ut qui studia faciat in ordine ad gradus academicos, etsi non iam in ordine ad gradum Societatis (21).

2) Cum plura postulata petant possibilitatem abbreviandi *generale* curriculum studiorum, ut magis et melius provideri possit formationi *speciali,* licentia datur, sine recursu ad Generalem, reducendi ad biennium curriculum philosophicum et differendi vel etiam omittendi magisterium, ita ut praeter sexennium philosophicum-theologicum possit Scholasticus omnia studia convertere ad suam specialisationem (22).

3) Libertas praeterea datur ut, in Ordine studiorum diversarum regionum, ea statuantur de *magisterio* scholasticorum, quae meliora videantur; nempe illud servandi sicuti nunc est, vel differendi post theologiam, vel alia ratione instituendi. Oportet tamen ut magisterii finis non negligatur et, si magisterium non fit, alio modo obtineatur; v. g. toto formationis curriculo, durantibus feriis aestivis, Scholastici per mensem mittantur ad experimenta apostolica, ipsis adaptata, viro perito dirigente, exercenda (30).

4) Quando *curriculum philosophicum ad biennium reducitur,* servanda sunt ea quae in n. 122 Rationis Studiorum praescribuntur de scholis Philosophiae scholasticae et Historiae Philosophiae, atque de examinibus tum de universa Philosophia scholastica tum de Historia philosophiae. Curandum enim est, ut, quamvis nonnullae disciplinae auxiliares vel speciales in cursu biennali omitti debeant solidam formationem philosophicam Nostri accipiant, prout in n. 22 describitur, et Baccalaureatum in Philosophia consequi valeant.

5) Ad mentem Concilii (cfr. decr. « De Institutione Sacerdotali ») et secundum plurium optata, *introductio in mysterium Christi et historiam salutis* praescribitur, saltem ineunte curriculo philosophico, nisi iam antea fiat, quae, considerata mentalitate hodiernorum iuvenum, magni momenti erit pro eorum formatione religiosa, doctrinali et apostolica (20).

6) Maior *coordinatio inter curriculum philosophicum et theologicum statuitur,* et programmatum recognitio, ut inutiles repetitio-

nes vitentur, quae frequentes nunc dantur (v. g. inter theologiam naturalem et tractatum « De Deo Uno », inter ethicam et theologiam moralem etc. (21 et 25).

7) *In curriculo theologico* maius tribuitur momentum Sacrae Scripturae; et eius cursus (qui in n. 155 Rationis Studiorum tradendi dicuntur potius secundo biennio) utiliter iam primo biennio inchoari possunt; et nihil obstat quominus theologia moralis adhuc in tertio anno tradatur et examen « ad audiendas » differatur post ordines sacros susceptos, sed antequam quis confessiones audire incipiat.

8) Non urgetur distinctio quoad praelectiones inter *cursum theologiae maiorem et minorum.* Patet quod inter theologos semper aliqui erunt qui contendunt ad gradum Societatis et non ad gradus academicos, vel ad gradus academicos et non ad gradum Societatis, vel tandem ad nullum gradum; hoc non necessario requirit divisionem scholarum, quae in nonnullis Scholasticatibus de facto iam non exsistit et, ubi exsistit, ingrata interdum discriminatio videtur. Attamen secundum diversas Scholasticorum ingenii dotes et ad futura ministeria aptitudinem, diversa ratione (per peculiares praelectiones et exercitationes) eorum cura a Professoribus habenda est (24).

9) Circa *scholarum frquentationem,* etsi solutio definitiva nondum dari potest ob leges vigentes, quaedam scholarum imminutio permitti potest, servatis tamen Rat. Stud. 44, 3, Ordin. art. 29, 1, Sedes Sap. Stat. Gen. art. 42, 4; et pariter permitti potest ut loco aliquarum praelectionum, seminaria vel exercitationes habeantur quibus activa participatio scholasticorum foveatur. In hac re opportuna experimenta a Patre Generali permitti possunt in variis Scholasticatibus, ut rationes inveniantur melius providendi Scholasticorum formationi (26).

10) Quamvis ob scientiarum evolutionem etiam in generali curriculo studiorum *novae disciplinae* interdum introducendae sint, tamen commendatur ne facile multiplicentur disciplinae, sed potius novae quaestiones in disciplinis traditionalibus inserantur apto loco; ita fiet ut hae disciplinae continuo renoventur et ad nova problemata solvenda amplientur (25). Sic v. g. omnino curandum est ut nostrorum scholasticorum formatio socialis multum foveatur; quod fieri debet per peculiares disciplinas iam praescriptas vel commendatas, at praesertim magis evolvendo in multis disciplinis philosophicis et theologicis, earum aspectum et dimensionem socialem.

11) Plura nova habentur quoad *examina* (28). Imprimis facultas datur, a multis optata, examina scripta introducendi praeter oralia, etiam in disciplina praecipua. Ordinum regionalium erit statuere qua mensura, in suffragio finali, ratio habenda sit examinis

scripti et aliorum exercitiorum scriptorum, quae forte durante anno scholastico facta sunt. — Permittitur, post examen, Examinatorum inter se consultatio, at singuli suffragium personale et secretum tradere debent. — Facilius permittitur repetitio examinis sive annui sive de universa philosophia et theologia, sine recursu ad Generalem. Immutata interim manent cetera praescripta de Examinibus, quae in Ratione Studiorum habentur, v. g.quoad examinis oralis tempus, numerum examinatorum, suffragiorum computationem etc. — Examinatores collegialiter examinare debent in examinibus de universa philosophia et theologia; in examinibus annuis separatim examinare possunt, prout in Ordine Regionali statuatur. — Pro iis qui neque ad gradum Societatis neque ad gradus academicos contendunt, serventur normae praescriptae in Ratione studiorum pro examinibus cursus theologiae minoris.

12) Quoad *examen ad gradum,* consequenter ad limitationem materiae, de qua antea dictum est, limitatur duratio ad unam horam cum dimidio (hucusque erant 80' pro theologia et 40' pro philosophia; in posterum 90' pro theologia). Possibilitas datur ut semel repetatur; permittitur consultatio inter Examinatores, et non prohibetur, immo suadetur, ut Examinatores scientia aliunde habita utantur et rationem habeant quoque suffragiorum totius curriculi, praesertim theologici, quae propterea Examinatoribus praesto sint oportet (29).

13) Quoad *ordinationem sacerdotalem* consideranda proponitur opportunitas eam differendi, quando theologia statim post philosophiam peragitur. Nulla norma omnibus praescribitur, sed experimenta fieri poterunt in variis regionibus, a Generali approbanda (31).

14) Tandem solutio innuitur problematis, quod oritur a necessitate ex una parte numerum Scholasticorum in unoquoque Collegio non nimis augendi, ut vera communitas religiosa sit, non veluti militum turma, et ex alia parte *non multiplicandi Scholas superiores et Facultates,* quae iam nimiae sunt in Societate et sine magno dispendio personarum et pecuniarum convenienter servari nequeunt. Commendatio etiam fit ut novi Scholasticatus ne erigantur in locis desertis, sed quantum fieri potest apud centra universitaria, ut commercium cum his centris scientificis facilius habeatur, in bonum tum Professorum, tum Scholasticorum. Pericula sane adsunt, ideoque cautelea sunt adhibendae, ita ut Nostrorum institutio damnum non patiatur, immo robustior evadat (32).

IV. *De Studiis specialibus,* secundum ea quae in postulatis exoptantur, normae quaedam indicantur, quae in genere iam spar-

sae inveniuntur in decretis CC. GG. vel ordinationibus PP. Generalium, etsi non semper de facto impleta sunt.

Recolitur imprimis necessitas semper maior *studiorum specialium,* non tantum ad docendas scientias sacras et profanas, sed ad « specialisata » ministeria exercenda, *vel saltem praeparationis specialis* secundum diversa munera, ad quae Nostri destinantur. Etenim praeparatio generalis est omnibus necessaria, at multis insufficiens, ideoque praeparatione speciali compleri debet.

Quo vero difficilior est praeparatio specialis, eo magis requiritur *accurata et tempestiva selectio* Scholasticorum et in studiis specialibus *directio et constantia.* Societas magnum damnum patitur ex nimia facilitate qua iuvenes nostri, etiam optimi ingenii et virtutis, ad munia omnino diversa successive implenda applicantur ita ut in nullo vere insignes evadant. Omni ope conandum videtur ut bonum maius et universalius intendatur, etiam cum minoris et particularis boni sacrificio.

V. In ultima parte « *De doctrina tradenda* », decretum retractat et, modo magis organico atque ad necessitates hodiernas accommodato, proponit plura quae a praecedentibus Congregationibus Generalibus in variis adiunctis statuta erant.

Quaedam magis particularia de doctrina tradenda, sicut multa alia particularia sive de studiis generalibus sive de studiis specialibus, explicite non considerantur in decreto, non quasi considerationem non mereantur, sed quia *nunc* a Congregatione Generali tractanda non sunt. Etenim ea potius videntur remittenda ad Commissionem pro Ratione Studiorum retractanda, quae post Congregationem, attentis legibus quae ab Auctoritate Ecclesiastica ferantur et experimentis quae in Societate instituantur, serio et tranquille omnia considerando, meliores normas parare poterit et proximae Congregationi Generali probandas praesentare. Interea, praesens decretum, a Congregatione Generali approbatum, iam viam aperit ad sanam evolutionem et verum progressum in Scholasticorum institutione, praesertim in studiis, secundum ea quae tot postulatis instanter petita sunt.

DECRETUM
DE SCHOLASTICORUM INSTITUTIONE PRAESERTIM IN STUDIIS

I. De formatione in genere

1. *Nostrorum formationis scopus* est apostolicus nempe ut Nostri « suis et proximorum animis Dei favore aspirante prodesse » (Const. IV, 5, 1) valeant. Quapropter Scholastici a Christo Domino ut futuri Sacerdotes in servitium Ecclesiae universalis vocati « ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana » (Form. Inst.), divinae gratiae cooperantes, idoneos se reddere debent ut, vitam familiarem cum Deo gerentes, per profundum fidei intellectum simul ac per vitalem hominum cognitionem, veri fiant Christi ministri, qui mundo moderno Deum praesentem exhibeant.

2. In Scholasticorum institutione *organica servetur unitas totius formationis,* ita ut inde a Novitiatu, per integrum Scholasticatum, intima fiat integratio et spiritualis institutionis et studiorum occupationis et apostolicae exercitationis; atque ad hunc finem sedulam concordemque operam praestent quotquot, sive regendo sive docendo, formationis Nostrorum curam habent.

3. Scholastici, *Societatis spiritualitatis principiis innixi,* secundum ea quae in decreto « de vita spirituali » statuentur, ad plenitudinem vitae christianae in caritate contendant; veram sui abnegationem praesertim in studiis constanter persequendis exerceant; ad intimam cognitionem ac liberalem observationem Constitutionum assuescant; atque cum Christo Domino, qui ad suum sacerdotium participandum eos vocat, tam in familiari oratione quam in sacrae liturgiae mysteriis, personalem unionem continuo colant.

4. Toto formationis decursu, *experimenta apostolica* apto modo instituantur, atque ea dirigant iisque invigilent viri periti, qui ita spiritu sacerdotali et pastorali sint ipsi praediti, ut formatio tota tam spiritualis quam doctrinalis eodem spiritu imbuatur; ad quod etiam iuvabit frequens conversatio cum iis qui iam in apostolatu laborant.

5. In unoquoque formationis gradu, *maturitati personali,* singulariter quidem affectivae, provideatur (consilio quoque adhibito, ubi opus est, peritorum in rebus psychologicis), ita ut, ex aequo sese evolventibus vita spirituali, intellectiva et affectiva, sanum aequilibrium veraque maturitas totius personae instaurentur.

6. Scholastici, per totum studiorum decursum, verae seriaeque *responsabilitatis sensum* foveant, depulsa quavis immaturitatis for-

ma quae ineptos eos redderet ad difficultates vitae obeundas. Quapropter occasiones frequentius iis praebeantur responsabilitatem exercendi, tum in vita spirituali et intellectuali magis active et spontanee ducenda, tum in munere aliquo domi assumendo, tum in variis experimentis apostolicis viriliter peragendis.

7. Diligenter curandum est ut unusquisque scholasticus secundum propria dona tam naturalia quam supernaturalia dirigatur; simul vero ita constanter promoveatur *sensus solidarietatis et collaborationis* in tota Scholasticatus vita, ut a nostra formatione penitus removeatur omnis nota illius individualismi qui iure improbatur.

8. *Vitae communis disciplina* ex interna caritatis lege amplectenda est, tanquam formationis necessarium elementum; ad voluntatem Dei in quotidiana vita fideliter exsequendam, ad solidam personae maturitatem promovendam, ad munera caritatis erga socios adimplenda. Ita quidem exerceatur haec disciplina religiosa ut Scholastici, humili reverentia et oboedientia Christum Dominum ac Magistrum sequentes, vera libertate filiorum Dei in Spiritu fruantur.

9. *Numerus Scholasticorum in domibus formationis* ne plus aequo excedat curandum est, ita ut spirituales et fraternae evadant mutuae relationes, disciplina sit familiaris et regimen vere paternum.

10. Inter Superiorem, Professores et Scholasticos verus habeatur *dialogus,* quo opiniones et suggestiones omnium aperte et sincere declarari possint, ita ut, quaecumque se tandem praebeat Superioris decisio, intimior sit consensus et oboedientia, atque magis in dies crescant inter omnes socios et spiritus filialis et fraterna animorum communio.

11. Exerceantur Scholastici, servatis prudentiae regulis, *in relationibus opportune instituendis,* sive cum coetibus universitariis externis, sive cum clericis et religiosis, necnon et laicis tum propriae tum aliarum nationum, ita ut (omni reactione nationalismi vel alius particularismi reiecta) apertum atque universalem animum habeant erga culturas, civilisationes et formas mentalitatum diversas, prout ipsa postulat nostra vocatio apostolica.

12. Integra Scholasticorum institutio informetur oportet *Concilii Vaticani II spiritu,* qui Constitutionibus et Decretis manifestatur, quae a Concilio iam promulgata sunt (ut Constitutio de Ecclesia, Constitutio de Sacra Liturgia, Decretum de Oecumenismo) et mox promulgabuntur.

II. De studiis

13. Sicut totius formationis, ita etiam *studiorum finis* in Societate est apostolicus; per ea Scholastici illam doctrinae copiam atque excellentiam consequi debent, quae ad hunc finem requiritur.

14. Formatio in studiis distinguitur generalis et specialis: *generalis* quae omnibus Societatis sacerdotibus est necessaria, et *specialis* quae magis in dies requiritur secundum diversa ministeria quibus Nostri destinantur. Formatio vero generalis eam mentibus scholasticorum christianam visionem aperiat, quae futuri specialis studii et activitatis campum illuminet et aliis quoque lucem afferre valeat.

15. Ad formationem Nostrorum doctrinalem ordinandam secundum temporum necessitates, a speciali Commissione recognoscenda erit tota *Ratio Studiorum,* quae in tanta regionum et adiunctorum diversitate nonnisi generales normas tradet, ratione habita tum legum Ecclesiae sive vigentium sive earum quae a Concilio vel post Concilium ferantur, tum eorum quae a praesenti Congregatione Generali statuantur. Nova Ratio Studiorum discedere poterit a praecedentium Congregationum Generalium decretis, quatenus opportunum videbitur, donec proxima Congregatio Generalis definitivam sententiam ferat. Interea definita quaedam experimenta, Patre Generali probante, fieri possunt, quorum exitus Commissioni Rationis Studiorum accurate communicetur.

16. In singulis regionibus (coetus) Provincialium erit curare ut specialis *Ordo Studiorum* conficiatur, qui normas generales ad peculiaria locorum adiuncta accommodet et compleat; speciales Ordines Studiorum, qui a Patre Generali approbandi sunt, certis temporibus recognoscendi erunt ut Nostrorum institutio semper respondeat apostolicis necessitatibus diversarum regionum.

A. De generali studiorum curriculo

17. Antequam studia philosophica et theologica incipiant, Scholastici eam *in litteris et scientiis institutionem* absolverint oportet, quae in unaquaque natione ad studia academica inchoanda requiritur; atque eam *linguae latinae cognitionem* habeant qua tot scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta facile intelligere et adhibere valeant. Quae institutio, si ante ingressum in Societatem nondum completa est, in Novitiatu et, quatenus opus est, in Iunioratu, perficienda erit.

18. In Provinciis, in quibus secundum proprias Ordinationes, altiora studia *in Iunioratu* peraguntur, oportet ut haec studia ad harmonicam maturitatem humanam ac religiosam, necnon ad vitalem hominis et mundi moderni cognitionem obtinendam Iuniores nostros apte adducant. Quae humanistica formatio tum litterarum antiquarum et modernarum, tum historiae tum scientiarum studio consequenda est; neque sensum aestheticum Iuniores colere omittant. Praeter propriam, *unam alteramve linguam modernam* Scholastici mature addiscere conentur. Denique sicut per totum studiorum curriculum, sic et magis Iunioratus tempore, Scholastici *media sese exprimendi,* hominibus aetatis nostrae accommodata, ita exerceant ut artem et dicendi et scribendi percallentes, aptiores evadant praecones Evangelii Christi.

19. Cum in hodierna civilisatione *media audio-visiva* primum facile locum teneant ad animos cuiuscumque coetus movendos, Scholasticis praebeatur non tantum congrua opportunitas ad ea accedendi, sed etiam addiscendi modum quo illa media apte et apostolice adhibere possint.

20. In Novitiatu vel Iunioratu vel saltem ineunte curriculo philosophico Scholasticis tradatur introductio, eorum mentibus accommodata, *in mysterium Christi et historiam salutis,* ita ut omnium studiorum sensum, ordinem et finem apostolicum conspiciant, ac simul ad propriam vitam religiosam fide fundandam iuventur et in vocatione sua prosequenda firmentur. Lectio vero methodica Sacrae Scripturae iam a Novitiatu per gradualem initiationem fiat. Per totum similiter formationis curriculum Liturgiae active participare eamque profundius intelligere Nostri addiscant.

21. *Curriculum philosophicum et theologicum inter se componantur et disciplinae* apte ordinentur ita ut concordi ratione conspirent ad apostolicum studiorum nostrorum finem obtinendum; qui finis in Societate non obtinebitur nisi per studia ipsa praeparentur viri apostolici optime instructi. Ideo *gradus illos academicos,* sive in philosophia sive praesertim in theologia, qui per studiorum nostrorum curriculum obtineri possunt et ad illum finem apostolicum conferunt, Scholastici nostri communiter consequantur.

22. Omnes Scholastici saltem per biennium *studio philosophiae* incumbant quo, introductione in mysterium Christi praelucente, patrimonio philosophico perenniter valido innixi, ad personalem reflexionem vere philosophicam in exsistentiam humanam eamque christianam inducantur. Haec autem reflexio tum philosophiae tum scientiarum progressus rationem habeat et vitalibus hominum recentium problematibus, praesertim eis quae in propria regione maiorem influxum exercent, respondere intendat. Inde visionem univer-

salem realitatis secundum eius rationes metaphysicas aperiat et ad cognitionem Dei perducat ideoque viam ad ipsam theologiam parandam curet.

23. Institutio communis *in sacra theologia*, quae quadriennium complectitur, ita pastoralis sit oportet ut Scholastici nostri, per studium accuratum fontium et per inquisitionem intellectus fidei, divitias revelationis divinae intime penetrent, easque tum propriae vitae spiritualis reddant alimentum, tum in ministerio sacerdotali hominibus sui temporis apte communicare valeant. Studio Sacrae Scripturae sedulo incumbant ita ut Verbum Dei, ope exegeseos accuratae et convenientis synthesis doctrinalis, omnes disciplinas veluti anima inspiret. Ad illum vero altiorem intellectum fidei, nostris coaetaneis tam necessarium, consequendum, pio et aperto animo perscrutentur tum mysteriorum inter se nexum, tum illorum relationem ad urgentes philosophicas quaestiones sui temporis, fideliter vestigia prementes SS. Patrum tam Orientis quam Occidentis et magnorum Ecclesiae Doctorum.

24. Distincti praelectionum cursus, *maior et minor*, in theologia non requiruntur; distincta tamen habeatur Scholasticorum cura ut peculiari ratione secundum diversam aptitudinem et destinationem melius instituantur.

25. *Programmata* totius curriculi philosophici et theologici recognoscantur ita ut disciplinae integrae tradantur, materiae aptius distribuantur, earundem repetitiones vitentur, quaestiones obsoletae omittantur, et quae vere actualem influxum exercent profundius tractentur. Novae disciplinae ne facile introducantur, sed potius novae quaestiones in disciplinis tradi solitis apto loco inserantur. Quare ad formationem socialem scholasticorum fovendam, praeter peculiares huius materiae disciplinas, curandum est ut magis evolvatur in aliis disciplinis philosophicis et theologicis earum aspectus et dimensio socialis.

26. *Methodi quoque didacticae* accurate recognoscantur et diminuto, prout opus sit, praelectionum numero, augeatur Scholasticorum activa participatio et mutua cooperatio, sub personali professorum ductu, frequentibus seminariis et scriptis exercitiis, studio privato vel in parvis coetibus.

27. Optandum etiam est ut singuli Scholastici, sub Praefecti studiorum ductu, aliquem *specialis studii campum* sibi inveniant secundum uniuscuiusque talenta, cui tempore ab ordinariis studiis libero incumbant, personale ' interesse ' in studiis foveant, et ad proprium futurum apostolatum in mundo moderno remote se praeparent.

28. *Examina* serio fiant et, secundum normas in Ratione Stu-

diorum determinandas, scripta et oralia poterunt esse; de disciplina vero praecipua non solum scripta sint. Examinatores iudicium personale et liberum ferre debent, at eis licita est post examen inter se consultatio. Examina semel repeti possunt; qui vero in disciplina praecipua repetitum examen non superat, ius amittit ad gradum tum Facultatis tum Societatis.

29. *Examinis ad gradum* materia est universa theologia; quaestiones philosophicae includantur quatenus cum theologicis integrantur. Ideo examen duret per horam cum dimidio, et candidatus a singulis examinatoribus examinetur per circiter viginti momenta. Etiam examen ad gradum semel repeti potest; licita est consultatio inter examinatores, qui iudicare quoque poterunt ex scientia aliunde habita et rationem habere suffragiorum totius curriculi studiorum, quae propterea examinatoribus praesto sint.

30. *Magisterium* post philosophiam peragi potest vel, ubi melius videatur, post theologiam differri, vel omitti, vel cum studiis specialibus coniungi. Finis vero a magisterio intentus, etiam magisterio omisso, curandum est ut obtineatur per apostolica experimenta quae, discrete et absque damno studiorum, toto formationis tempore, ut in n. 4 dictum est, ac praesertim feriis annuis, viro perito dirigente, instituenda sunt.

31. *Ordinatio sacerdotalis,* praesertim ubi magisterium ante theologiam non fit, opportune differri potest secundum peculiares normas a Generali pro regionum condicione approbandas.

32. In *Nostrorum Collegiis* Scholastici ne nimis numerosi sint ob rationes in n. 9 allatas. Cum vero ad intellectualem institutionem copia professorum, bonae bibliothecae aliaque scientifica subsidia necessaria sint, ne multiplicentur Scholae et Facultates, sed ubi commode fieri potest, plures habeantur religiosa communitates, quarum Scholastici eandem scholam vel Facultatem frequentant. Immo curetur, quoad fieri potest, ut Nostrorum Collegia prope centra universitaria constituantur, ut Scholastici aliis quoque Professoribus et bibliothecis frui possint, opportunis adhibitis cautelis ita ut eorum formatio nedum damnum patiatur, robustior evadat.

B. De studiis specialibus

33. Cum magis in dies oporteat ut non tantum qui ad docendum destinantur, sed etiam qui diversa ministeria Societatis exercere debent, *specialem praeparationem* habeant, curent Provinciales non paucos viros ad varia munera obeunda peritos efformare ratione habita tum necessitatum apostolicarum tum capacitatis et inclinationis Scholasticorum.

34. Qui *studiis specialibus* incumbere debent, accurate et tempestive seligantur, a speciali studiorum Praefecto iam durante generali curriculo opportune dirigantur, suae specialisationi dein generose et exclusive se dedant et in ea constanter permaneant ut, quantum fieri poterit, insignes evadant.

35. Ii quoque qui *ad varia administrationis munera* in magnis domibus, praesertim formationis Nostrorum, destinantur praeter dotes naturales et supernaturales quae ad haec officia requiruntur, congruo tempore, etiam per peculiaria studia, praeparentur. Quod specialiter dicendum est de iis qui *oeconomi* magnarum domorum vel provinciarum fieri debent.

36. Speciali vero cura praeparentur qui ad munus *Patris Spiritualis* tum Nostrorum tum externorum destinantur, sive in schola Romae vel alibi ad hoc instituta, sive privatim, duce Patre perito, sive alia opportuna ratione, secundum ea quae in decr. 40 Congr. Gen. XXX statuta sunt. Quod quidem peculiari modo valet de futuro *Magistro Novitiorum* et *Instructore III Probationis*.

37. Qui *scientias sacras* in Seminariis Maioribus ac praesertim in nostris Facultatibus docere debent, specialia studia accurate perficiant sive in Institutis internationalibus romanis sive in aliis Universitatibus, prout Provinciali, auditis viris peritis, magis convenire videbitur, ut congruentes gradus academicos, imprimis ecclesiasticos, consequantur et ad docendi munus apte disponantur.

38. Cum progressus scientificus et technologicus magnam partem hodie habeat et scientiae positivae influxum semper crescentem in mentalitatem et in ipsam structuram vitae nostri temporis exerceant, specialibus studiis formentur qui *ad investigationem scientificam et ad scientias profanas* docendas destinantur, ita ut apti fiant ad apostolatum scientificum, qui tanti momenti est, exercendum; immo ut aliqui sint in Societate, qui supremos etiam gradus academicos obtineant et vere excellentes deveniant.

39. Curetur quoque ut specialibus studiis viri *in re pastorali* periti formentur, qui nostrorum ministeriorum aptam ordinationem et ad hodierna tempora ac specialia adiuncta accommodationem promovere valeant.

40. Ii vero qui *ad alias regiones* destinantur, praeter generalem praeparationem, antequam ad novam regionem accedant requisitam proprie dictam specialisationem, ubi opus est, ita accipiant ut rationem habeant adiunctorum regionis in qua laborandum eis erit.

C. De doctrina tradenda

41. Ad hoc studia diriguntur ut Nostri idonei reddantur qui veritatem in Christo revelatam et Ecclesiae commissam hominibus apte annuntient et transmittant. Quapropter talis doctrina tradenda est, quae « semel traditae sanctis fidei » (Iud. 3) fideliter inhaereat, et quae hanc fidem in cordibus hominum, pro mutatis loquendi ac cogitandi modis et pro diversis totius mundi culturis, iugiter iuvenescere faciat.

42. Nostri fiduciam ponant in ipsius divinae Veritatis vigore et in illa Spiritus intima unctione quae Christi Ecclesiam in omnem veritatem ducit. Quare cum studiis suis coniungere satagant familiaritatem cum Deo, qua secura via tam ab animi timiditate quam ab innovandi levitate caveant. In omnibus vero soliditati studeant secundum normas a Sancta Sede Societati traditas.

43. Memores sint Professores se non proprio nomine docere, sed in Ecclesia, ex missione ab Ecclesia accepta, caritate coniuncti in Societate Iesu. Itaque ab Ecclesiae sensu et voluntate dirigi se sinant, magisterio ecclesiastico debitum obsequium exhibeant, rationem habeant aedificationis in fide tum auditorum tum omnium fidelium; simul vero eos respiciant qui a nobis seiuncti sunt.

44. Tam Professores quam Scholastici Verbo Dei scripto et tradito fideliter inhaereant illudque assidue scrutentur; magni etiam faciant SS. Patrum et aliorum Doctorum doctrinam, eorumque Societatis auctorum quorum laus est in Ecclesia; ac mentem et principia S. Thomae imprimis sequantur, cuius opera sibi familiaria reddere conentur.

45. Professores distincte doceant ea quae tanquam doctrina fidei ab omnibus tenenda sunt et ea quae consensu doctorum probantur. Probabiles, novas et proprias explicationes modeste proponant.

46. Ut debitus doctrinae progressus securius ac fructuosius obtineatur, valde iuvabit quod Professores sua nova concepta iam antequam scripto edant, libenter et sincere cum collegis communicent ut, si opus est, ab eis emendari, et eis etiam prodesse possint.

47. Scholastici tempore studiorum doceantur, sub professorum directione, opera etiam auctorum non catholicorum critice legere et prudenter adhibere, ea praesertim quae in hodiernam mentem maiorem influxum exercent, ut discant quae bona sunt retinere, quae improbanda corrigere.

27. **15 iulii 1965**

Promulgantur tria Decreta Congregationis Generalis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Nomine Congregationis Generalis XXXI cum Rª Vª communico tria Decreta ab ipsa Congregatione lata, quae hodie his litteris promulgantur.

Primum est *De secunda sessione Congregationis Generalis XXXI*, quod normas continet de fine primae sessionis, de inchoatione secundae sessionis et de tempore interiecto inter utramque.

Secundum est *De duratione muneris Praepositi Generalis* quod substitui debet Decreto 260 Collectionis Decretorum, quodque propter eius momentum in iure constitutionali Societatis iam nunc promulgandum erat.

Tertium est *De munere Societatis erga atheismum*, quod pariter statim promulgandum Congregatio decrevit, ut manifestetur prompta voluntas Societatis obsequendi mandatis Summi Pontificis

Commendo me ss. SS.

Romae, die 15 iulii 1965.

Rae Vae
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

DECRETUM

DE SECUNDA SESSIONE CONGREGATIONIS GENERALIS XXXI

1. Congregationi Generali visum est secundam eiusdem Congregationis sessionem ita decernere ut:

1° Dies 15 iulii tamquam ultima dies primae sessionis statuatur;

2° Altera sessio mense septembris, 1966, inchoetur.

2. § 1 - Commissiones quae iam constitutae sunt manent immutatae.

§ 2 - Constituitur Romae commissio coordinans, cuius membra sunt A. R. P. Generalis, PP. Assistentes Generales, Praesides commissionum, et Secretarius Congregationis Generalis.

§ 3 - A. R. P. Generalis, auditis membris commissionis coordinantis, commissionem specialem constituat quae rationem agendi (proceduram) pro sessione secunda conficiat.

§ 4 - Commissionum modus agendi inter sessiones substantialiter idem erit atque in prima sessione, et commercio epistolari absolvetur parvis coetibus interim convocandis.

§ 5 - Constituatur commissio specialis duodecim vel quindecim Patrum, qui statutis temporibus conveniant ad relationes perficiendas, animadversiones colligendas et elaborandas, iudicia definitiva paranda.

3. § 1 - A. R. P. Generalis facultatem habet Provinciales, ex causa proportionate gravi, ante finem Congregationis Generalis mutandi.

§ 2 - Provinciales qui inter duas sessiones munere suo defuncti fuerint ius suum in ordine ad secundam sessionem retinent.

§ 3 - Provinciales vero qui tempore intermedio constituti fuerint ad alteram sessionem tamquam Electores vocandi sunt.

§ 4 - Praescripta §§ 1-3 huius articuli pro hac tantum vice statuta intelliguntur.

4. Provinciae, quae expensis secundae sessionis multum oneratae erunt, ab Oeconomo Generali apto modo adiuventur.

DECRETUM

De duratione muneris Praep. Generalis

Congregatio Generalis XXXI, re diu multumque in utramque partem discussa, confirmat Constitutiones quae praescribunt Praepositum Generalem ad vitam et non ad tempus aliquod definitum esse eligendum [1]; facta tamen facultate renuntiandi muneri ad normas retractati decreti 260 Collectionis Decretorum.

---

[1] P. IX c. 1 [719]; cfr Paulus V « Quantum religio ».

Textus retractati decreti 260 Collectionis Decretorum

260. - § 1. Praeposito Generali in conscientia et de iure licet gravi de causa, quae imparem laboribus sui officii eum perpetuo reddat, muneri suo renuntiare.

§ 2. Praepositi Provinciales in primis tenentur in conspectu Dei considerare et efficere quod universali bono Societatis debent in iis quae ad Praepositum Generalem pertinent [2]; quod tamen plerumque, nisi res maxime urgeret, per Assistentes Generales praestabunt [3].

§ 3. Si Assistentes Generales, pro sua Societatis cognitione et amore, maiore saltem ex parte censuerint Praepositum Generalem gravi de causa debere muneri suo renuntiare, eum per Admonitorem moneant.

§ 4. Cum Praepositus Generalis, sive sponte, auditis autem Assistentibus Generalibus, sive ab eis monitus, opportunum censuerit muneri suo renuntiare, Assistentium Generalium et totius Societatis Provincialium suffragia de sufficienti causarum gravitate sub secreto exquirat. Quibus omnibus suffragiis coram Assistentibus Generalibus et Secretario Societatis lectis, si maior pars iudicaverit Congregationem Generalem, quae supremae gubernationi Societatis provideat, esse cogendam, eam Praepositus Generalis indicere debet.

§ 5. Renuntiatio muneris a Praeposito Generali facta vim non habet nisi a Societate in Congregatione Generali fuerit admissa [4].

§ 6. Si Praepositus Generalis, ab Assistentibus Generalibus rite monitus, muneri suo renuntiare sive non potuerit sive noluerit, et eorumdem Assistentium maioris partis iudicio bonum Societatis, propter causas graviores, quales sunt gravis aegritudo aut senium, spe emendationis ea in parte sublata, multum detrimenti pateretur [5]:

1° Congregatio ad eligendum Vicarium temporarium indicatur, secundum Formulam huius Congregationis;

2° Vicarius temporarius ita electus, consultis Assistentibus Generalibus, quamprimum Provinciales et duos Praepositos Rectoresve cuiusque Provinciae, sollemni quattuor votorum professione antiquissimos, sub secreto certiores faciat, eorumque et Assisten-

---

[2] P. IX c. 5 n. 1 [778].
[3] P. IX c. 5 n. 4 [782].
[4] Cf. Cod. I. C., cc. 186, 187.
[5] Cf. P. IX c. 4 n. 6 [773].

tium Generalium suffragia exquirat quid pro bono Societatis faciendum censeant;

3° Omnibus lectis suffragiis coram Assistentibus Generalibus et Secretario Societatis, si maior pars Congregationem Generalem cogendam esse iudicaverit, eam Vicarius indicere debet; interea autem Societatem gubernet ad normam Officii Vicarii [6].

DECRETUM

De munere Societatis erga atheismum

(a) *De diffusione atheismi et de munere a S. Pontifice demandato.*

1. Cum gloria Dei, ut finis omnis creationis, et ipsum bonum hominis requirant, ut ille Deum agnoscat, Eique reverentiam exhibeat atque inserviat, periculum atheismi in quo tot homines hodie versantur socios Iesu valde stimulare debet ad purius testimonium vitae religiosae praestandum et ad opera apostolica alacrius amplectenda. Dei enim negatio non iam sicut transactis saeculis singularis eventus manet, sed apud multos, immo coetus sociales vel populos quasi integros diffunditur. In quibusdam nationibus ab ipsis potestatibus publicis atheismus systematice spargitur, laesis iuribus hominis ad liberam inquisitionem veritatis exercitiumque religionis; multo latius vero negatio Dei vel indifferentia erga religionem vitam culturalem socialemque directe indirecteve imbuit. Summus autem Pontifex Paulus VI, occasione sumpta ex conventu Patrum ad Congregationem Generalem XXXI adunatorum, Societati ratione specialis voti oboedientiae demandavit, atheismo « coniunctis viribus » obsistere: in hoc ergo strenue, etsi humiliter, pro sua parte, oratione et actione Nostri omnes incumbant oportet, atque sese gratos exhibeant quod sic melius « soli Domino ac Ecclesiae Ipsius Sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario » servire valeant.

(b) *De cognitione atheismi eiusque causarum necnon motivationum atheorum.*

2. Ipsis atheis magis attentos sese praebeant Socii omnes, cuicumque labori apostolico addicti, atque pleniorem cognitionem atheismi et indifferentiae erga religionem excolant. Formas diver-

[6] C. VIII dd. 28 et 29; C. XII d. 55; cf. P. IX c. 4 [766-777].

sas atheismi, sive systematicas sive practicas, investigent et, in quantum fieri potest, perspiciant.

3. Etiam causas eius bene dignoscant: sive illam habitudinem quam hodierna negatio Dei habet ad omnimodas mutationes quae in conditione materiali ac sociali hominum fiunt, sive illas « implicatas et multiplices » causas quae « in mente atheorum » reperiri possunt, « ita ut prudenter de iis sit iudicandum » (*Ecclesiam suam*), sive iniustitias sociales quae, praesertim in regionibus in via evolutionis, multos disponunt ad accipiendas doctrinas atheisticas cum programmatibus revolutionis socialis connexas.

(c) *De aliquibus difficultatibus quae circa fidem in Deum moventur atque de remediis adhibendis.*

4. Ad superandas difficultates quae circa fidem, saepe etiam apud ipsos credentes, moventur, remedia apta adhibeant Nostri, cum intentione plene apostolica nulloque modo politica.

5. Cum difficultates saepe inde oriantur « quod poscitur, ut ordo rerum divinarum altiore purioreque ratione proponatur quam ea, quae in quibusdam imperfectis sermonis cultusque modis invaluit » (*Ecclesiam suam*), enitantur Nostri repraesentationes de Deo purificare et vere personalem adhaesionem fidei inter credentes promovere.

6. Cum sint etiam aliqui athei, « mentis quadam magnitudine ornati », qui ducantur impatientia « mediocritatis et cupidinis proprii commodi ... quibus tot partes societatis humanae temporibus nostris inquinantur » (*Ecclesiam suam*), adlaborent Nostri ut fides ad genuinum proximi amorem, practicum et socialem, semper ducat.

7. Cum alia ex parte legitima aspiratio ad autonomiam scientiarum vel navitatis humanae saepe eousque perducatur ut contra agnitionem Dei obiectiones suscitet, vel immo alienatio a religione ut via ipsa ad liberationem hominis a nonnullis praesentetur, enitendum est ut fides totam vitam concretam informet atque ut elucescat, vitam christianam a mundo excolendo non avertere, immo valores humanos, sine superbia excultos, atque ipsum universum, a peccati corruptione mundata, illuminata et transfigurata, in « regno aeterno et universali » inveniri posse, quod Christus Patri in consummatione saeculi reddet.

(d) *De vitae nostrae ratione.*

8. Quae remedia in propria vita sua Socii imprimis adhibeant oportet. Sensum Dei viventis, operantis et amantis constanter excolant, quem Exercitia S. P. Ignatii per meditationem fundamen-

talem et contemplationem ad amorem communicant. Atque in tota Nostrorum vivendi agendique ratione, in quantum fieri potest, appareat quid sit Deus: per illam nempe appropriationem habitudinis fundamentalis a Verbo Dei incarnato in tota vita et maxime in sacrificio supremo manifestatae, quam eadem Exercitia inde a contemplatione Regni Christi intendunt.

9. Cum athei, ab ambitu mundi religiosi alieni, praesertim vitam ipsam et actiones nostras iudicabunt, omnino sincera esse debet nostra ratio vivendi et agendi, omni specie superbiae omnique fictione depositis.

(e) *De institutione Nostrorum.*

10. Aptetur institutio Nostrorum ad huiusmodi spiritualem vitam sincerumque ac fraternum stilum agendi fundandos et promovendos. Instruantur etiam scholastici ad mentem atheorum atque illorum theorias intelligendas, muniantur que apta, moderno sermone tradita, doctrina, praesertim anthropologica; atque curandum est, in quantum fieri potest, ut praesertim ii qui ex intactis ambitibus christianis proveniunt contactus personales quosdam cum hominibus atheis tempestive habere possint.

(f) *De hierarchia ministeriorum et eorum accommodatione ad exsequendum munus a S. Pontifice demandatum.*

11. Debet mandatum obsistendi atheismo omnes formas probatas nostri apostolatus permeare, ita ut apud credentes ipsam fidem et sensum genuinum Dei excolamus. Sed etiam partem virium nostrarum maiorem quam hucusque ad non credentes dirigamus oportet, atque nova media quaerenda erunt experimentoque subicienda ut crebrius et intimius adeamus atheos ipsos, sive ad coetus illos pertineant qui maxime indigeant sive ad illos qui magis exculti sint.

12. Considerando regiones ubi spargitur atheismus, nobis insistendum est in adiutorium regionibus in via evolutionis, in quibus vita religiosa ob celeriores mutationes maioribus magisque subitaneis perturbationibus obnoxia est.

13. Considerando vero principaliores causas atheismi, insistendum esse patet et in apostolatum socialem et in apostolatum universitarium, sive per nostras universitates sive apud universitates saeculares.

14. Requiruntur etiam validi conatus intellectuales omnium nostrorum scientistarum, philosophorum et theologorum, et constans cooperatio inter illos qui diversas disciplinas, praesertim scientias « hominis », colunt.

15. In nostris scholis doctrinae hodiernae atheorum exponantur et crisi subiciantur, non vanae polemicae indulgendo sed quam exactissimam intelligentiam criticam argumentorum atheorum eorumque mentis promovendo.

16. Atheos ipsos adeant Nostri cum firmissima convictione quod lex divina in cordibus omnium inscripta est et cum fide quod Spiritus sanctus omnes ad obsequium Deo creatori debitum movet; adlaborent ut impedimenta removeantur et ut athei Deum inveniant et agnoscant, tam per praedicationem unicuique accommodatam, cum religioso respectu coniunctam, quam per testimonium fraternum in vita concreta et in actione propositum.

17. Omnibus Superioribus cura sit apostolatum ad hunc scopum constanter aptare. Praeposito autem Generali peculiariter commendatur ut, in colloquio cum Summo Pontifice, mentem eius de missione ab eo concredita clare cognoscere enitatur atque, ope consilii peritorum, universum apostolatum Societatis ad illam missionem pro viribus adimplendam dirigat.

28. **31 iulii 1965**

De Congregatione Generali XXXI.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM

REVERENDI PATRES, FRATRESQUE IN XTO CARISSIMI
P. XTI

Probe nostis, Reverendi Patres et Fratres carissimi, quanta cum anxietate, iam a primo die post susceptum generalatus munus, vos omnes alloqui desideraverim.

Nunc autem mihi, promulgationem trium Decretorum Congregationis Generalis statim post absolutam primam eiusdem Sessionem in actum deducturo, optima praebetur desiderii complendi occasio.

Prae omnibus aliis velim meam sinceram satisfactionem, post primae Sessionis labores, significare ob copiam gratiarum quibus Deus Societatem nostram cumulavit. Vestrae orationes, vestraque exspectatio inanes non fuerunt: opus a Congregatione in exitum perductum grande sane est et opus quod ipsa ad alteram Sessionem paratum reliquit forsan illud superat. Ob vestram igitur in hac re cooperationem vobis gratias quam maxime sinceras rependo.

Iam ab Officio Informationis Congregationis nuntii vobis delati sunt de deliberationibus in Aula Congregationis factis. Illas tamen nunc breviter recolere iuvabit.

Notandum imprimis oportet quaedam Decreta iam approbata esse, nondum tamen promulgata, quia iuxta morem praecedentium Congregationum prudentius visum est eorum promulgationem in finem totius Congregationis differre. Ita enim textus uniuscuiusque Decreti conferri poterit, magis organice disponi et accuratius componi cum iis quae in aliis Decretis statuentur. Ideo ea tantum Decreta promulgata sunt quae vel ad res constitutionales Societatis pertinent, vel immediatam applicationem postulare videntur.

In praesenti Congregationis stadio plura et magni momenti negotia sunt quae decisivam solutionem obtinuerunt. Inter ea eminent complexa argumenta quae ad Gubernium Societatis pertinent. Sic ipsa structura Gubernii supremi fuit undequaque examinata et ad novas temporis conditiones accommodata. Neque vos latet quanta cum sinceritate Congregatio delicatissimum argumentum de duratione muneris Generalis iam initio Congregationis disceptandum susceperit. Decretum quod vobiscum communicatur documentum serenae, accuratae et supernaturaliter illuminatae disceptationis fructus est, in qua rationes utrimque religiosa libertate et honestate sunt libratae.

In quaestionibus de Paupertate, quae superiores Congregationes Generales occupaverunt, et per varias Commissiones postea consideratae sunt, nostra Congregatio potuit magni momenti Decreta ferre. Sub luce enim doctrinae conciliaris De Ecclesia, in compendium redegit ea quae iam in nostro Instituto habebantur de natura et spiritu paupertatis, eaque sic exposuit ut aptarentur necessitatibus spiritualibus nostri temporis. Simul etiam proposuit principia quibus praxis paupertatis, sincerae quidem et nostrae vitae apostolicae accommodatae, in hodiernis adiunctis regatur. Implexas quoque quaestiones iuridicas, tamdiu disputatas, de voto non relaxandae paupertatis, de vita communi, de fructu laboris, de gratuitatem ministeriorum, de fundationibus, solvit Congregatio ex propria auctoritate, non excluso tamen opportuno recursu ad Sedem Apostolicam. Denique constituit Definitores qui intra limites competentiae ab eadem Congregatione ipsis assignatae et iuxta normas in Decretis Congregationis sancitas, in praecepta Iuris nostri respiciant eaque quantum necesse sit accommodent.

Decretum insuper de Scholasticorum institutione praesertim in studiis iam nunc nostris Scholasticis emolumento fore speramus ob eius ad temporum necessitates accommodationem et ad regionum exigentias flexibilitatem, fideliter adhaerendo menti Ecclesiae, quae in conciliari decreto « De Institutione Sacerdotali » manifestatur.

Decreta de ministeriis apostolicis illud in commune prae se ferunt quod evidenter sectentur accommodationem mentalitati no-

stri temporis et appareant tamquam generosum responsum voluntati Ecclesiae et hominum necessitatibus. Haec re vera fuit sollicitudo Patrum qui in Commissione de Ministeriis laboraverunt: ut inquirerent quid servitium Societatis erga Ecclesiam a nobis exigat in multiplicibus hodierni temporis apostolatus formis, quas secum fert universalis missio Ecclesiae.

Congregatio nullo pacto silentio praeterire potuit mandatum pontificium atheismo obsistendi. Etsi, ipso fatente Summo Pontifice, exitus Concilii Vaticani II expectandus erit, ut Mandantis mens et mandati sensus in plena luce appareant, tamen Congregatio Generalis, ut se promptam voluntati Vicarii Christi exhibeat iam nunc tantum munus humiliter suscepit, suamque acceptationem quam citissime cum Societate per formale Decretum communicare voluit.

Haec sunt praecipua capita quae ad opus a Congregatione confectum pertinent. Alia, et quidem maximi momenti, sunt in Aula fusius disceptata sed nondum a Congregatione definitive approbata, ut e. g. De Gradibus in Societate. Praeterea accuratiori studio erit subiciendum Decretum de FF. Coadiutoribus, quod quidem Congregatio substantialiter admisit atque diserte voluit ut in litteris Praepositi Generalis breviter exponeretur. Congregatio enim consideravit esse iuxta mentem S. Ignatii quod FF. Coadiutores suscipere possint omne servitium vocationis apostolicae, quod fini Societatis procurando pro eorum gradu et talentis conferat; ideo Fratres quam aptissime formandos esse, tam in spiritu, quam in institutione technica, scientifica et culturali, necessaria non solum ad eorum officia traditionalia, quae Congregatio magni faciebat, sed maxime ad nova munera pro hodiernis adiunctis rite adimplenda; magis autem magisque fovendum esse inter omnes Nostros spiritum familiae et mutuam unionem, ut omnes cum fraterna caritate conspirent in iis quae ad vitam communem rite agendam pertinent; Commissio peritorum pergit in intersessione laborare ut vocatio religiosa FF. Coadiutorum profundius declaretur atque sub hac luce eorum integra formatio instauretur.

De institutione Diaconorum perpetuorum apud Orientales in Societate, Congregatio suspendit Decretum 15, n. 2 Congregationis Generalis XXIX, a linea « Diaconorum vero ... », ut Pater Generalis in hac re libere agere possit.

Denique commemorare volo princeps argumentum, quod animam tangit nostrae personalis vitae religiosae et vocationis apostolicae: vitam scilicet spiritualem in Societate.

Congregatio magno cum studio enixa est percipere intimum sensum motus renovationis Ecclesiae, adivitque sollicita genuinos fontes ex quibus nostra specifica renovatio in coniunctione cum Deo

et disponibilitate instrumentali ad Maiorem Dei Gloriam hauriri potest. Hunc in scopum prae oculis semper Congregatio habuit Concilii documenta, praesertim recentes Constitutiones De Ecclesia et De Sacra Liturgia ut verus Ecclesiae spiritus pervadat sensum vocationis nostrae illamque vivificet. Disceptatio de hoc puncto minime est absoluta. Res ipsa profundiori studio committitur et ditari adhuc exspectat nova conciliari luce et experimentali quodam tentamine. Ulterius examen et studium vitae spiritualis in Societate cardo erunt quo altera Congregationis Sessio volvi debebit.

En leviter adumbratos Primae Sessionis Congregationis labores eiusque fructus.

Agendorum pondus eorumque natura, novitas et implexio non poterant non aliquam anxietatem in animis Congregatorum excitare. Afferenda erant in disceptationem negotia ad ipsa substantialia Instituti pertinentia de quibus praecedentes Congregationis numquam agendum existimaverunt. Si opus hoc Congregatio erat aggressura, novae disceptandi formae quaerendae ei erant. Quod facere verita non est Congregatio, quaedam decreta praecedentia retractando, ut sincere et profunde movere posset quaestiones quae cum substantialibus Instituti connexae sunt.

Huic accedit quod Postulatorum numerus impedimento erat quominus aequa distributio iuxta Commissionum competentias fieret aptaque tractandi methodus inveniretur.

At caritas praesertim et sincera collaboratio necnon mutua comprehensio inevitabiles difficultates feliciter superaverunt. In unum scopum, attingendi nempe Congregationis finem, disparatas vires convergere diceres. Et nationum diversitas, culturae varietas, aetatis disparitas apprime ad hanc metam diversis viis petere contendebant. Magno gaudio mihi et aliis fuit observare mutationes quae in Congregatione gradatim, decurrentibus hebdomadis, factae sunt: initio enim sentiebatur quaedam inquietudo et incertitudo, formidinem haud dixerim, num fructus veri et solidi ex Congregatione essent percipiendi; postea tamen, progredientibus diligentioribus quibusdam studiis atque apertis disceptationibus, cum sincera opinionum permutatione, quibusdam quoque decisionibus maximi momenti iam factis, et praesertim postquam alteram Sessionem Congregationis habere statutum est, evanuerunt dubia et anxietates, quae feliciter cedebant renovatae cuidam fiduciae hanc Congregationem, Deo providente, re vera posse perficere illa ob quae convocata est. Utinam eadem fiducia spiritum omnium Nostrorum fortier erigat, ita ut futurum nostrae Societatis in Ecclesia cum redintegrata confidentia prospiciant!

Prima vice in Congregationum Generalium historia altera Ses-

sio inducta est. Neminem vestrum fugiunt huius necessariae innovationis rationes. Si Congregationem ad felicem exitum perducere volumus opus erit maiori studio, reflexione, experimentali examine ad maturas conclusiones obtinendas non tantum tractandarum rerum sed etiam iam tractatarum.

Hoc est opus huius periodi intersessionalis. Instaurata sunt ad hoc diversa laboris organa quae sive Romae sive alibi in suum opus incumbent. Congregatio igitur non est finita nec quidem suspensa. Ea in suo labore sub nova aliqua forma pergit.

Non possum ad finem properare quin prius vobis enarrem quae Summus Pontifex, recenter me cum Assistentibus excipiens (die 17 iulii), velut Societatem universam coram se haberet, inculcare dignatus est.

> Sciscitaverat prius quaedam de laboribus Congregationis, certior iam factus quam serio ac profunde a nostris allaboratum esset: dein manifestavit animum suum gratum erga Societatem praesertim ob tot et tanta quae pro Ecclesia facit; dixit se continuo advertere Societatem in omnibus mundi partibus praesentem et operantem, eiusque opera a catholicis et non catholicis magni fieri. Quamquam erat iam longius tempus progressum, voluit nihilominus diutius nobiscum immorari ut tria potissimum commendaret.
>
> Et primo quidem commendavit ut fideles nobismetipsis perstemus, fideles Instituto nostro, fideles legibus et Constitutionibus: atque commemorans sententiam illam de iesuitis « aut sint ut sunt aut non sint »; addidit hodiernationem (lege « aggiornamento »), quantumvis necessariam, nihil laedere debere nec spiritum nec fundamentales leges Instituti. Ecclesia ipsa non esset contenta si iesuitas inveniret alios ac semper fuerunt; sicuti non gaudet quoties nuntius affertur aliquem e iesuitis non loqui vel agere tamquam iesuitam decet. Eo ipso mane quo nos alloquebatur, audisse se cum dolore ait sententiam quamdam, quae asserta dicebatur a quodam e Nostris. Valde igitur commendavit fidelitatem nostro Instituto, traditionibus nostris nostrisque legibus, adiungens fidendum nobis omnino esse legibus ac Constitutionibus nostris.
>
> Alia commendatio versata est circa rationem harmonice componendi hanc fidelitatem erga Institutum cum necessaria adaptatione quam modernus apostolatus exigit, siquidem vivendum est Societati in mundo atque in mundo operandum. Latet hic ingens problema, quod non unam Societatem sed alia quoque religiosa Instituta attingit, nec quotquot in apostolatu laborant. Non ausus est Summus Pontifex consilia certa pronuntiare circa modum hoc problema enodandi, sed magnam commendavit curam in solutione quaerenda, persuasum habens intueri plurimos Societatem, cuius praescripta ac decreta habebuntur ab aliis multis tamquam sibi praescripta ac decreta. Si normas sibi nimis amplas Societas sta-

tuet, plurimi, limites hos largius interpretati, in periculosum laxismum delabentur: si vero normas strictiores statuerit, non deerunt qui Ecclesiam ipsam compellant ut in se ipsa magis in dies claudatur atque mundo aliena fiat. Est igitur necesse ut quae Societas decidere audeat, studio summo atque attentione parentur, magna cum serietate ac sensu responsabilitatis.

Tertio ac postremo commendavit fidelitatem erga Ecclesiam et Sedem Apostolicam. Habet quidem Societas peculiare votum quod ipsam a reliquis Institutis dirimit eiusque servitium Ecclesiae et in Ecclesia quodammodo qualificat. Est ergo munus Societatis propugnatio Ecclesiae quam defendere ac iuvare debet. Magni fit a Summo Pontifice hoc adiutorium ex Societate debitum, eoque uti intendit: quomodo ergo non adhibeat Papa has validas copias quas sub se habet? Summus ergo Pontifex rogabit Societatem auxilium, consilium, collaborationem, sacrificia quoque... « Et vos — inquit — oboedientiam praestare decebit, etiam non intelligentes rationem quorumdam iussorum: talis est enim vestra oboedientia *perinde ac cadaver*. Ceterum scitote non id minorem ostendere nostram erga vos aestimationem vel fiduciam: aestimat Pontifex Societatem, eamque protectam ac defensam vult: et quia potissimum eam aestimatione ac fiducia sua prosequitur, ei haec iussa imponet, eam haec sacrificia rogabit. Quod quidem Pontifex facturus non est nisi postquam utrumque diutius apud se discusserit et per preces dispexerit sic esse agendum ».

Commemoratis his Summi Pontificis verbis ac optatis, redeo Reverendi Patres ac Fratres in Xto carissimi, ad Congregationis intersessionem, quam, ut curae mihi summae erit, ita vestrae quoque esse non minus vellem. Instanter igitur vos omnes precor ut in hoc commune Societatis munus, felicis nempe exitus Congregationis, continuis precibus et personali, si opus est, collaboratione incumbatis. Ad vestrum sincerum erga vocationem amorem appello ut vestrum renovatae spiritualis et apostolicae vitae exemplum sit Congregationi et incitamento et illustri cooperationis signo.

Adunatis ergo viribus humiliter sed audacter instantibus Dei, Ecclesiae et Societatis desideriis prompte respondeamus.

Vobis omnibus ex corde benedicens, commendo me Sanctis Sacrificiis et precibus vestris.

Romae, die 31 iulii 1965,
in festo S. P. Ignatii.

Vestrum omnium
Servus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

29. **15 septembris 1965**

De Supplemento Catalogorum 1966 et Indulgentiis pro CC. MM.

AD OMNES PP. SOCIOS SUPERIORUM MAIORUM

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Valde doleo quod hoc anno, propter negotia Congregationis Generalis et alia, « Supplementum Catalogorum Societatis Iesu, 1966 » tarde editum est. Nunc tandem paratum est atque iuxta numerum a singulis Provinciis iam expetitum, in Provincias statim mittetur.

Hac data occasione, Ram Vam certiorem facio Sacram Paenitentiariam Apostolicam, Rescripto diei 20 iulii 1965 (Prot. N. 2858/65), ad aliud triennium prorogasse Rescriptum Apostolicum, datum die 16 iulii 1958, quo christifidelibus, qui observando regulas communes quasdam Congregationum Marianarum, vitam religiosam quadamtenus perfectiorem ducunt in coetibus largioribus, aliquot Indulgentiae tribuuntur [1].

Commendo me ss. SS.

Romae, die 15 septembris 1965.

R^ae^ V^ae^
Servus in Xto
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

30. **7 octobris 1965**

De Beatificatione Ven. P. Iacobi Berthieu.

AD OMNES SUPERIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Magno cum gaudio Reverentiam Vestram certiorem facio Summum Pontificem instante die 17 octobris Venerabilem Patrem Iacobum Berthieu e Societate nostra adscripturum esse numero Beatorum.

---

[1] Cfr. superius pag. 589.

Die 27 novembris 1838 in pago Monlogis in Gallia natus et anno 1864 sacerdotio auctus, Venerabilis Iacobus Berthieu post novem annos in cura animarum exantlatos Societatem Iesu ingressus atque mox, noviciatu ad finem vertente, missioni nostrae in insula Madagascar applicatus est. Ibi, post multos labores et aerumnas, die 8 iunii 1896 in odium fidei est interemptus.

Praecise nostris diebus in quibus Concilium Oecumenicum Vaticanum II de natura, necessitate, accommodatione activitatis missionalis Ecclesiae deliberat, beatificatio Venerabilis Iacobi Berthieu, procul dubio, insignis Providentiae divinae est gratia et Societati nostrae incitamentum atque renovandi zeli missionalis occasio.

Duo autem praesertim in vita novi Beati elucent, heroicum nempe caritatis exercitium atque fidelitatis religiosae praeclarum exemplum. Caritas erga Deum et erga homines integram huius egregii missionarii vitam funditus inspiravit et tandem in martyrio coronam simul et sublimiorem expressionem invenit. Fidelitas autem religiosa ceu pretiosus caritatis fructus omnes Servi Dei activitates ita informavit ut missionariis omnibus tamquam exemplum veri Christi praeconis sapientissime ab Ecclesia proponatur. Novit Iacobus Berthieu et abundanter expertus est magnas difficultates quas labor missionalis in concreta realitate cotidiana secum fert; sed etiam in gravissimis rerum adiunctis, immo cum modesti fructus laborum suorum viderentur ad nihilum reductum iri, fortis in fide et sacri tenax propositi, oboedientiae viam strenue percurrit et oratione assidua suffultus crucem Domini sui viriliter amplexus est usque ad supremum proprii sanguinis sacrificium.

Faxit Deus ut hic genuinus Sancti Ignatii filius per intercessionem suam atque praeclarum exemplum nos omnes et in primis missionarios dilectissimos Societatis nostrae in hoc fideli Christi Domini servitio confirmet atque magis semper inspiret ad caritatem Dei et hominum in omnibus operibus nostris, quantumvis sint apparenter minima, exercendam.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 7 octobris 1965

R[ae] V[ae] addictus in Xto
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

31. **10 octobris 1965**

Quaedam facultates communicantur.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

Reverende in Xto Pater,
P. Xti

Congregatio Generalis XXXI, ratione plurium postulatorum habita, decreto diei 12 iulii 1965 Praeposito Generali commendavit ut ampliores facultates de quibusdam rebus cum Provincialibus communicaret. Re autem diligenter perpensa, auditisque Patribus Assistentibus Generalibus, censeo iam nunc huic communicationi initium dandum esse circa aliquas saltem res commendatas.

Quare, his ipsis litteris cum omnibus Provincialibus reliquisque Superioribus Maioribus communico sequentes facultates, exercendas tamen iuxta normas vel cautelas quae de singulis indicantur:

1) Facultatem, non obstante Epit. Inst. n. 295 § 1, et iam statutis a Congregatione Generali opportunis mutationibus in Coll. Decr. d. 84 faciendis, mittendi Scholasticos ad magisterium ante absolutum cursum Philosophiae, dummodo tamen hoc fiat gravi de causa quae unice spectet ad bonum Scholasticorum de quibus agitur.

2) Facultatem, non obstante praescripto Epit. Inst. n. 733, 2°, constituendi Superiores domorum minorum aut Collegii inchoati sine approbatione Generalis, dummodo Superiores constituendi, solitis Informationibus collectis, a Provinciali eiusque Consultoribus apti ad gubernandum iudicentur, atque Generalis de nominatione tempestive certior fiat.

3) Facultatem, inter Congregationem Generalem XXXI, consentiente Summo Pontifice, cum Provincialibus viva voce iam communicatam, permittendi ob proportionatas causas usum tabaci, dummodo debita habeatur ratio paupertatis et mortificationis necnon aedificationis NN. et externorum.

S. Congregatio de Propaganda Fide (N 2236/66) *renovat ad aliud decennium prorogationem concessionis factae per Rescriptum diei 25 maii 1956* (Prot. n. 2139/56) *quo Praeposito Generali eiusdem Societatis concedebatur facultas permittendi sacerdotibus ei subditis, qui in Missionibus ministeriis incumbunt, ut loco altaris portatilis seu petrae sacrae in sacrosancto Missae sacrificio celebrando substituatur aliquod linteum ex lino confectum servatis de iure servandis: in forma et terminis praecedentis Rescripti.*

3. **6 iunii 1966**

Renovantur a Summo Pontifice facultates vicennales (Epistolae Secret. Status).

PRECES PATRIS N. GENERALIS

BEATISSIME PATER,

Praepositus Generalis Societatis Iesu ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, haec humiliter exponit:

Die 18 Iunii vertentis anni exspirabunt facultates quaedam ad sacrum ministerium pertinentes, quae Praeposito Generali Societatis Iesu a Summo Pontifice Leone XII per Breve « Plura inter » 11 Iulii 1826 ad viginti annos concessae erant, et quae deinde, elapso vicennio, directe et immediate a Successoribus eius Summis Pontificibus Gregorio XVI, Pio IX, Leone XIII, Pio X in eandem rationem renovatae sunt. In illo enim Brevi diserte cautum erat ut pro renovatione harum facultatum ad Summum Pontificem immediate recurreretur; et ita quidem ut si, vacante Sancta Sede, exspirassent, prorogatae censerentur donec ad novum Pontificem recurri potuisset. Deinde Pius XI f. m. die 12 Octobris anni 1926 easdem facultates ad aliud vicennium benigne prorogavit, alio tamen modo conscriptas qui melius congrueret Codici Iuris Canonici et novae Formulae S. C. de Propaganda Fide. Quamquam enim illae facultates, et ex ipso Brevis intellectu et ex continua interpretatione, non cum solis Missionariis, sed cum aliis quoque Operariis, pro prudenti Praepositi Generalis iudicio, communicari possunt, neque earum usus ad territoria alicui S. Congregationi subiecta limitatur; cum tamen potissimum intuitu Missionariorum eidem Praeposito Generali concederentur, iam ab initio concessae sunt secundum Formulam a S. C. de Propaganda Fide pro tempore usurpatam. Tandem Summus Pontifex s. m. Pius XII Elenchum, iam a Pio XI approbatum, et recentiori Formulae Maiori S. Congregationis de Propaganda Fide (1 Ian. 1941; Prot. N° 478/41) congruenter accommodatum ad aliud vicennium prorogare benigne dignatus est.

Quae cum ita sint, Orator humiliter petit, ut memoratae facultates, secundum Elenchum a Summo Pontifice Pio XII approbatum et recentiori Ecclesiae disciplinae congruenter accommodatum, ad aliud vicennium renoventur.

Et Deus, etc.

Romae, die 26 maii 1966.

PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
N. 73534

Dal Vaticano 6 iunii 1966

Rev.me Pater,

Datis humanissimis litteris, die XXVI superioris mensis Maii, ab Augusto Pontifice recens petiisti, ut facultates aliquas, sacrum ministerium spectantes quas diligenter enumeravisti, tibi ad vicennium renovaret.

Tecum igitur communicare gaudeo Sanctitatem Suam huiusmodi postulatis tuis benigne annuisse, atque de hac re Rescriptum exarari iussisse. Quod Rescriptum ad te ea qua par est sedulitate mittere propero.

Datam vero opportunitatem libenter nanciscor, ut me summa cum observantia profitear

tibi
addictissimum
H. I. Card. Cicognani

Rev.mo Patri P. Petro Arrupe S. J.
Generali Praeposito S. I.
ROMAM
(cum adnexo)

N. 73534

Petrus Arrupe S. I., Societatis Iesu Generalis Praepositus, per epistulam die XXVI mensis maii hoc anno datam, Beatissimo Patri quasdam facultates ad sacrum ministerium pertinentes subiecit, quas Leo XII per Litteras in forma brevi « Plura inter », die XI iulii MDCCCXXVI exaratas, Generali Praeposito pro tempore ad vicennium concessit, ac deinde Romani Pontifices singulis vicenniis renovaverunt, quaeque, congruenter accommodatae, a Pio XI et a Pio XII rite prorogatae sunt.

Quas facultates ipse Praepositus, attenta recentiore Ecclesiae disciplina iterum aptatas et ad minorem numerum redactas, Sanctitati Suae examinandas misit, atque humaniter petiit, ut eas benigne prorogaret.

Qua super re, Augustus Pontifex iuxta preces benigne annuit pro gratia, ac memoratas facultates Generali Praeposito

pro tempore ad vicennium renovavit, ut iisdem iusta de causa, et servatis de iure servandis, utatur.

Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Iunii, anno Domini MCMLXVI.

H. I. Card. Cicognani

FACULTATES A SUMMO PONTIFICE PAULO VI APPROBATAE

1.* Dispensandi vel commutandi, iusta de causa, quaelibet vota privata, ea etiam quae Sedi Apostolicae reservantur, de quibus in Canone 1309.
2.* Absolvendi ab omnibus censuris sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis, iuxta Can. 2250, p. 3.
3.* Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, servatis consuetis condicionibus.
4. Conferendi uni alterive ex suis Sacerdotibus facultatem consecrandi iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam calices, patenas et altarium lapides, adhibitis tamen oleis ab Episcopo catholico benedictis, in locis Missionum ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel ubi Sedes vacet.
5.* Dispensandi, iusta de causa, fideles in foro conscientiae, super lege ieiunii et abstinentiae, itemque super lege de observantia festorum.
6. Permittendi ut in casu necessitatis Missa celebrari possit bis in die aut sine ministro, vel sub dio et sub terra, atque etiam in mari, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti; etiam si altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum; atque ut Missa celebrari queat una hora post mediam noctem et duabus horis post meridiem.
7. Permittendi, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii, ut SS.um Sacramentum pro infirmis sine lumine in loco tamen decenti retineri possit.
8. Permittendi suis Missionariis ut vestes laicales induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode manere non potuerint.

Facultates quae signo (*) notantur sunt subdelegabiles.

9.* Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sede Apostolica concedi solitis, coronas, cruces, parvas statuas et sacra nomismata, et adnectendi coronis indulgentias quae a S. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur.

4. **6 iunii 1966**

Summus Pontifex approbat Decreta C. G. XXXI de Paupertate.

DUBIA PROPONUNTUR A P. N. GENERALI

BEATISSIME PATER

Praepositus Generalis Societatis Jesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter implorat approbationem ac confirmationem Decretorum circa paupertatem religiosam a Congregatione Generali XXXI die 10 julii 1965, paucissimis dissentientibus, stabilitorum quatenus novae dispositiones per ea sancitae viderentur recedere littera « Formulae Instituti » Societatis, a Julio III « Exposcit debitum », 21 julii 1550, in forma specifica approbatae, vel excedere potestatem (quae in eiusdem « Formula Instituti » competit Congregationi Generali) declarandi « quae dubia esse poterunt in nostro Instituto, hac Formula comprehenso ».

I. *De iure Pontificio ac proprio Societatis Jesu*

1. *In Litteris Apostolicis* Julii III « *Exposcit debitum* » d. 21 julii 1550, quibus « motu proprio et ex certa scientia, auctoritate apostolica » approbatur et confirmatur « Formula Instituti Societatis Jesu », statuitur ea quae dici solet lex « gratuitatis ministeriorum ».

Quae norma hisce verbis enuntiatur: « Quicumque in Societate nostra ... vult ... servire ... proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana, per publicas praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium ac Spiritualia Exercitia, puerorum ac rudium in christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac caeteris Sacramentis administrandis spiritualem consolationem praecipue intendat; et nihilominus ad dissidentium reconciliationem, et eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum expe-

dire visum erit, exsequenda *gratis omnino et nullo pro suo in praedictis omnibus labore stipendio accepto, se utilem exhibeat ...* » (Institutum Soc. Jesu. Florentiae 1892 vol. I p. 23).

2. Eamdem normam S. Ignatius in suis *Constitutionibus* pressius enuntiavit: « Omnes, qui sub oboedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere, quae gratis acceperunt; nec postulando nec admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missae, vel Confessiones vel praedicationes, vel lectiones vel visitationes, vel quodvis aliud officium ex iis quae Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur; ut sic maiori cum libertate possit, et proximorum aedificatione, in divino servitio procedere » (Const. S. J.. Part. VI, cap. 2, n. 7 [565]).

3. Congregationes Generales suis *decretis* tum commendaverunt exactissimam huius normae observantiam tum attulerunt distinctiones quae in ea interpretanda et applicanda necessariae videbantur ut haec observantia esset sincera et realitati consentanea.

4. In *Collectione Decretorum* seu Statutorum codificatione effecta a Congregatione Generali XXVII (1923) habentur:

— decretum 199

§ 1. Quod ad stipendia Missarum attinet, ex mente Constitutionum:

1° Vetitum est ea accipere, etiamsi de iis in usus pios extra Societatem quacumque ratione Nostri disponere possint; non vero si oblata eleemosyna offerentis arbitrio omnino relinquatur;

2° Ea accipere non prohibemur, si constet revera non stipendium, sed tectam esse largitionem.

§ 3. Quod ad cetera ministeria spiritualia:

1° Praeter eleemosynam ad sustentationem ac viaticum necessariam (quae semper accipi potest, dummodo ne sit in compensationem), nihil accipere licet, nisi sit eleemosyna sponte et liberaliter oblata;

— decretum 193

§ 1. Collegia alumnorum ... bona stabilia et reditus certos possidere possunt.

§ 2. Immo, ex mente Instituti, nullum huiusmodi Collegium admitti deberet, quod congruenti fundatione non sit dotatum.

§ 3. Si dotatio vel omnino vel ex parte deficiat, suppleri potest cum aliis mediis, tum maxime convictorum pensionibus et externorum scholarium minervalibus.

II. *De dispensationibus pontificiis in materia « de paupertate »*

5. Congregatio Generalis XXVII (1923) ipsa eidem Collectioni Decretorum adnexuit eam quae inscribitur « Appendix quinta », (decr. 316) « De usu dispensationis Apostolicae ad acceptanda stipendia pro ministeriis (Dispositio temporaria) »:

« Apostolica dispensatio concessa ad acceptanda stipendia pro Missis et ministeriis ne communicetur nisi propter gravissimas causas, illudque praecipue caveant Superiores ne diuturnus huius dispensationis usus, quamquam legitimus, spiritui nostro noceat, vel amorem paupertatis minuat. Ad hunc finem Praeposito Generali curae sit de practico usu dispensationis pro tempore ac loco directionem dare ».

Nam Societas, paulo postquam restituta est a. 1814, necessitate cogente, a Summo Pontifice impetraverat dispensationes primum particulares dein generaliores in hac materia:

— *dispensationes particulares* ad accipiendam compensationem pro ministeriis spiritualibus, occasione curae paroecialis, in Galicia Austriaca atque in Statibus Foederatis Americae et Anglia (annis 1822 et 1824);

et ad acceptanda minervalia in collegiis Angliae et Statuum Foederatorum Americae (anno 1833);

— *dispensationes generaliores*:

— in favorem religiosorum qui ob subversionem domorum privarentur mediis sustentandi vitam, « facultatem ... dispensandi in regula nostri Instituti, qua prohibetur ne pro ministerio, pro Missis etc. eleemosyna accipiatur » 10 maii 1859 (Inst. S. I. vol. I p. 394);

— anno autem 1893 P. Lud. Martin, Praepositus Generalis, hanc dispensationem latius interpretandam esse declarat.

— d. 27 Ian. 1907 S. Pius X declarat P. Fr. X. Wernz, Praeposito Gen., dispensationem ad accipienda stipendia extendi ad omnes Provincias.

Tandem supplicante P. Wl. Ledóchowski, Pius XII d. 28 Dec. 1941 « ut ... dubiis nonnullis occurratur », concedit Praeposito Generali potestatem:

« I. Permittendi ut Collegia nostra, iuventutis institutioni destinata, quae et quamdiu debita dotatione careant, accipere possint minervalia quibus dotatio suppleatur; ii vero qui in aliis Scholis, Institutis, Seminariis vel Universitatibus occupantur, ea quae necessaria sunt ad honestam sustentationem, accipere possint, si aliter haberi nequeant.

« II. Permittendi ut Sacerdotes Societatis stipendia pro Missis et sacris ministeriis accipere possint; sed ea sola mensura et ad

id solum tempus quae necessaria videbuntur ut provideatur sive honestae sustentationi, aut propriae aut aliorum de Societate, secundum eiusdem Regulas intelligendae (quo nomine comprehenduntur quoque moderatae quaedam eleemosynae in pios fines), sive operibus apostolicis Societati commissis. Haec autem stipendia in hunc solum finem applicari possint quem idem Praepositus Generalis determinaverit, cuius etiam erit iudicare quamdiu perduret necessitas utendi hac dispensatione ».

IV. *De Decretis quae Congregatio Generalis XXXI stabilivit tamquam Romano Pontifici subiicienda.*

6. Per ultima decennia Societas occasione Congregationum Generalium et speciatim ope Commissionum specialium praeparatoriarum iterum iterumque resumpsit studium huius quaestionis simul cum quaestionibus de paupertate.

7. Congregatio Generalis XXXI, ordiens nominatim ab iis quae paraverat Commissio specialis cui ab anno 1958 praesederat P. Joannes B. Janssens, quaestionem denuo examinavit, cum voluntate servandi, tamquam fundamentale, principium gratuitatis ministeriorum.

Congregatio agnovit materialiter servari non posse legem qualis hucusque definita erat, neque ullam spem affulgere fore ut, manente lege sic intellecta, dispensationes non manerent necessariae;

— iudicavit necessariam esse legem talem qualis secundum ipsam suam litteram observari posset, ad praxim sinceram principiorum gratuitatis et paupertatis;

— censuit stipendia Missarum, mutatis temporum adiunctis datisque determinationibus adeo certis Codicis Iuris Canonici, esse ex natura sua eleemosynas in sustentationem ideoque non repugnare gratuitati qualis a S. Ignatio concipiebatur;

— posuit distinctionem — cuius applicatio a Praeposito Generali definienda erit — inter ministeria spiritualia qualia enumerata sunt in praedicta Formula Iulii III et alia munera quae Societas secundum suum Institutum exercere potest.

8. Quibus mature consideratis, Spiritu Sancto humiliter invocato, Congregatio Generalis XXXI die 10 Iulii 1965, paucissimis dissentientibus, stabilivit Decreta sequentia tamquam Summo Pontifici subicienda quatenus novae dispositiones per ea sancitae viderentur recedere a littera Formulae Iulii III vel excedere potestatem (quae vi eiusdem Formulae competit Congregationi Gene-

rali) declarandi « quae dubia esse poterunt in nostro Instituto, hac Formula comprehenso » (Inst. Soc. Jesu vol. I p. 24).

Romae, 28 ianuarii 1965

P. N. Generalis addebat ex Decreto de Paupertate textum C. G. XXXI: De fructu laboris; De gratuitate ministeriorum. *Cfr. in altera parte fasciculi Decretum* 18, *nn.* 15, 16.

APPROBATIO PONTIFICIA

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
N. 73533

Dal Vaticano, 6 iunii 1966

Reverendissime Pater,

Post XXXI Generalem Congregationem istius Societatis Iesu, die X mensis Iulii superiore anno habitam, Decretorum textum de religiosa paupertate deque ministeriorum gratuitate, quae unanima prope consensione tunc lata sunt, ad Beatissimum Patrem per humanissimas litteras misisti, quibus de universa re instituisti sermonem, simulque, nomine quoque Sodalium tuorum, petiisti, ut Ipse benigno consilio ea probaret.

Cum enim — sicut scripsisti — norma a « Formula Instituti » tradita, et a Iulio III ven. mem. per Apostolicas Litteras a verbis incipientes « Exposcit debitum », die XXI mensis iulii anno MDL sancita, praesentis temporis rerum adiunctis accommodanda esset, Congregatio vestra Generalis, commemoratam Formulam declarare cupiens, decrevit ut Societatis Iesu Sodalibus liceret, Missarum eleemosynas accipere (n. 2), stipendiis, quae spiritualium ministeriorum occasione offerantur, donari neque ea exigere possint (n. 3), aliorumque laborum (qui nempe ministeria stricte spiritualia censenda non sunt) ab ipsis susceptorum emolumenta, veluti ingenii industriaeque fructus, percipere (nn. 4-5).

Voluit autem Generalis Congregatio haec Decreta Sanctitate Suae subicere, quandoquidem novae regulae, per ea san-

citae, a praedictae Formulae littera videntur recedere, vel potestatem excedere, vi eiusdem Formulae ad Generalem Congregationem spectantem, declarandi « quae dubia esse poterunt in ... Instituto, hac Formula comprehenso ».

Re igitur mature perpensa, ratione habita earum condicionum, quas nostra aetate ministeriorum natura atque sustentandae vitae difficultates induxerunt, audito consilio Em.mi D.ni Cardinalis Hildebrandi Antoniutti, S. Congregationis de Religiosis Praefecti, Sanctitas Sua eadem Decreta, a te Sibi ad examinandum proposita, approbat atque confirmat, ea omnia derogando quae iisdem Decretis opponuntur, etiamsi speciali mentione digna; quam ob causam, « Formula Instituti » in hac rerum materie in posterum quoque erit interpretanda secundum mentem horum Decretorum, quae, in Congregatione Generali lata, a Paulo Pp. VI probata sunt.

Quae dum in tui notitiam libenter perferenda curo, tibi pariter renuntio, Beatissimum Patrem tibi universaeque Societati Iesu Apostolicam Benedictionem, supernorum munerum auspicem Suaeque benevolentiae testem, peramanter largiri.

Datam vero opportunitatem nanciscor, ut me ea qua par est observantia profitear

Tibi addictissimum
H. J. Card. Cicognani

5. **10 augusti 1966**

Transmittitur Praepositis Generalibus documentum de doctrinis et opinionibus erratis [1].

SACRA CONGREGAZIONE
PER LA DOTTRINA
DELLA FEDE
Prot. N. 871/66

Reverendissimo Padre,

Questa Sacra Congregazione preoccupata per la diffusione di tante erronee e pericolose dottrine ed opinioni, ha ritenuto opportuno segnalare la cosa ai Presidenti delle Conferenze

[1] Cfr. AAS. 1966 p. 659-661.

Episcopali perchè a loro volta ne facciano parte agli Ordinari delle rispettive circoscrizioni.

L'Augusto Pontefice che ha dato la Sua piena approvazione a questa iniziativa della S. Congregazione per la Dottrina della Fede, ha deciso che il documento venga portato a conoscenza anche dei Superiori Maggiori Religiosi.

Rimetto pertanto un esemplare della predetta lettera alla Paternità Vostra Reverendissima pregandoLa di farne pervenire copia ai Superiori Provinciali e di far conoscere il Suo pensiero in merito oltre agli eventuali rimedi che nella Sua illuminata prudenza ha ritenuto opportuno adottare nell'ambito del Suo istituto religioso.

Profitto della circostanza per porgerLe i sensi del mio devoto ossequio con cui mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
devotissimo
A. Card. OTTAVIANI

SACRA CONGREGATIO
PRO DOCTRINA FIDEI
Prot. N. 871/66

Roma, 24 iulii 1966

AD VENERABILES PRAESULES CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM

Cum Oecumenicum Concilium Vaticanum II, nuper feliciter absolutum, sapientissima documenta promulgaverit, sive in re doctrinali, sive in re disciplinari, ad Ecclesiae vitam efficaciter promovendam, grave populo Dei universo incumbit onus, nempe omni nisu satagendi ut ad actum perducatur quidquid, Spiritu Sancto afflante, in amplissimo illo Episcoporum coetu, Praesidente Summo Pontifice, sollemniter propositum vel decretum fuit.

Ad Hierarchiam vero spectat ius et officium vigilandi, dirigendi, promovendi renovationis motum a Concilio inchoatum, ita ut eiusdem Concilii Documenta et Decreta rectam interpretationem accipiant et ad effectum deducantur secundum propriam ipsorum vim et mentem adamussim servatam. Haec enim doctrina ab Episcopis est tuenda, quippe qui sub Petro capite munere auctoritative docendi pollent. Laudabiliter vero multi Pastores Concilii doctrinam apte explicandam iam susceperunt.

Dolendum attamen est ex variis partibus nuntios non faustos pervenisse de abusibus in doctrina Concilii interpretanda invalescentibus, necnon de peregrinis et audacibus opinionibus hic illic insurgentibus quae plurium fidelium animos non parum pervertunt. Laudanda sunt studia et conamina ad veritatem penitius investigandam, probe distinguendo inter id quod est credendum et id quod est opinabile; at ex documentis ab hac Sacra Congregatione examinatis constat de non paucis sententiis quae limites simplicis opinionis vel hypotheseos facile praetergredientes ipsum dogma et fidei fundamenta aliquatenus afficere videntur.

Aliquot ex istis sententiis et erroribus, per modum exempli, expedit tangere prout ex relationibus virorum doctorum necnon ex editis scriptis innotescunt.

1) Imprimis occurrit ipsa Sacra Revelatio: sunt etenim qui ad Sacram Scripturam recurrunt Traditione consulto seposita, sed Biblicae inspirationis et inerrantiae ambitum et vim coartant et de historicorum textuum valore non recte sentiunt.

2) Quod autem attinet ad doctrinam Fidei, formulae dogmaticae dicuntur ita historicae evolutioni subesse ut etiam ipsarum sensus obiectivus mutationi obnoxius sit.

3) Magisterium ordinarium Ecclesiae, praesertim Romani Pontificis ita interdum negligitur et parvipenditur, ut ad regionem rerum opinabilium fere relegetur.

4) Veritatem obiectivam absolutam, firmam et immutabilem, quidam fere non agnoscunt omniaque cuidam relativismo obnoxia faciunt, et quidem ea fucata ratione secundum quam veritas quaecumque rythmum evolutionis conscientiae et historiae necessario sequatur.

5) Ipsa D. N. Iesu Christi adorabilis Persona impetitur, cum in recogitanda christologia tales de natura et persona conceptus adhibeantur qui cum dogmaticis definitionibus vix componi possunt. Serpit quidam humanismus christologicus ob quem Christus ad condicionem simplicis hominis reducitur, qui sensim suae divinae Filiationis conscientiam acquisierit. Eius virginalis conceptio, miracula, ipsa Resurrectio verbotenus conceduntur sed reapse ad merum ordinem naturalem reducuntur.

6) Itidem in Sacramentorum theologica tractatione quaedam elementa vel ignorantur vel non sufficienter attenduntur, maxime quod ad Ss.mam Eucharistiam attinet. De praesentia reali Christi sub speciebus panis et vini non desunt qui disputent exaggerato

symbolismo faventes perinde ac si panis et vinum non per transubstantiationem converterentur in Corpus et Sanguinem D. N. Iesu Christi, sed mere transferrentur ad quamdam significationem. Sunt etiam qui conceptum *agapes* quoad Missam plus aequo urgent prae idea Sacrificii.

7) Sacramentum Paenitentiae quidam explicare malunt tamquam medium reconciliationis cum Ecclesia, non satis exprimendo reconciliationem cum ipso Deo offenso. Contendunt etiam huic Sacramento celebrando necessariam non esse personalem confessionem peccatorum, sed solam functionem socialem reconciliationis cum Ecclesia exprimere satagunt.

8) Nec desunt qui doctrinam Concilii Tridentini de peccato originali vel parvipendunt vel ita commentantur ut originalis culpa Adami et ipsius peccati transmissio saltem obfuscentur.

9) Nec minores circumferuntur errores in ambitu theologiae moralis. Etenim non pauci obiectivam rationem moralitatis reicere audent; alii legem naturalem non accipiunt, asserunt vero legitimitatem *moralis situationis* quam dicunt. Perniciosae opiniones propagantur de moralitate ac responsabilitate in re sexuali et matrimoniali.

10) His omnibus addenda est nota de Oecumenismo. Laudat profecto Sedes Apostolica eos qui in spiritu Decreti Conciliaris de oecumenismo incepta promovent ad caritatem cum seiunctis fratribus fovendam eosque ad unitatem Ecclesiae attrahendos, sed dolet non deesse qui Decretum Conciliare suo modo interpretantes talem actionem oecumenicam urgent quae veritatem offendat de Fidei et Ecclesiae unitate, favendo periculoso irenismo et indifferentismo, quod quidem a mente Concilii omnino alienum est.

Huiusmodi errores et pericula, singula quidem hic illic sparguntur, summaria vero synthesi collecta hac epistola locorum Ordinariis exhibentur, ut pro suo quisque munere et officio satagat ad ea compescenda vel praecavenda.

Enixe autem hoc Sacrum Dicasterium rogat ut iidem locorum Ordinarii in propriis Conferentiis Episcopalibus adunati de illis agant et ad Sanctam Sedem opportune referant suaque pandant consilia ante festum Nativitatis D. N. I. Ch. anni currentis.

Has Litteras quas publici iuris fieri patens ratio prudentiae vetat, Ordinarii aliique quibuscum ipsi eas communicare iusta de causa censuerint, sub stricto secreto tegant.

A. Card. OTTAVIANI

6. **14 octobris 1966**

De festis SS. Al. Gonzaga, Ioann. Berchmans, St. Kostka.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
Prot. N. S. 58/966

SOCIETATIS IESU

Petitioni P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu, circa solemnitatem externam festorum S. Aloisii Gonzaga, S. Ioannis Berchmans et S. Stanislai Kostka in Collegiis Societatis Iesu vel eidem commissis aptiori die a Rubricis permisso, in bonum alumnorum,

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa VI. tributis benigne annuit pro gratia iuxta preces ad proximum quinquennium, cum unica Missa in cantu et altera lecta propriis, vel cum duabus Missis lectis propriis, dummodo non occurrat dies liturgicus I classis. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

7. **14 octobris 1966**

De Missa votiva S. P. Ignatii in fine Exercitiorum.

Prot. N. S. 59/966

SOCIETATIS IESU

Petitioni Rev.mi P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu, circa Missam votivam in honorem S. Ignatii de Loyola celebrandam die quo exercitia spiritualia clauduntur,

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa VI. tributis benigne annuit, pro gratia iuxta preces ad proximum quinquennium; dummodo non occurrat dies liturgicus I classis, et cum una tantum Missa in honorem S. Ignatii. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

8. **14 octobris 1966**

De sollemnitate externa S. Thomae Aquinatis.

Prot. N. S. 60/966

SOCIETATIS IESU

Petitioni Rev.mi P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu, circa solemnitatem externam festi S. Thomae Aquinatis in domibus philosophicis ac theologicis eiusdem Societatis, vel eiusdem curis commissis, die praecedenti vel sequenti Dominicam 7 martii, quando festum S. Thomae dominico die incidit, celebrandam,

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa VI. tributis benigne annuit pro gratia iuxta preces ad proximum decennium cum duabus Missis propriis, dummodo non occurrat dies liturgicus I. classis et serventur Rubricae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

9. **14 octobris 1966**

De festo S. Stanislai Kostka in domibus probationis.

Prot. N. S. 61/966

SOCIETATIS IESU

Petitioni Rev.mi P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu, circa festum S. Stanislai Kostka sub gradu II. classis celebrandum in domibus Probationis seu Novitiatus eiusdem Societatis,

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa VI. tributis benigne annuit pro gratia iuxta preces ad proximum decennium. Servatis de cetero Rubricis aliisque de iure servandis. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, die 14 Octobris 1966

Arcadius M. Card. Larraona
S. R. C. Praef.

10. **7 decembris 1966**

Epistola Summi Pontificis post Audientiam PP. Congregationis Generalis XXXI.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
N. 83860

Dal Vaticano, 7 Dicembre 1966

REVERENDISSIMO PADRE,

L'Augusto Pontefice, nel Cui animo è ancor vivo il ricordo del recente incontro nella Cappella Sistina, ha accolto con gradimento l'omaggio riverente di alcune pubblicazioni su S. Ignazio e gli Esercizi Spirituali, che la Paternità Vostra Rev.ma, anche a nome di codesta Famiglia Religiosa, ha voluto a Lui umiliare insieme ad espressioni di riconoscenza e di devozione profonda.

Adempio, pertanto, il venerato incarico di manifestarLe la commossa e grata compiacenza del Santo Padre per l'attestato di filiale ossequio e, in modo particolare, per il prezioso dono della celebrazione di cinquemila SS. Messe da parte dei Padri della Compagnia, secondo le Sue auguste intenzioni.

Il Vicario di Cristo ama contraccambiare la venerazione professataGli, invocando dal Rimuneratore di ogni bene l'effusione dei suoi celesti favori, a suggello dei loro santi propositi e a conforto del loro impegno a servizio della Chiesa e delle anime.

In pegno di tali favori e a conferma della Sua benevolenza, la Santità Sua rinnova volentieri alla Paternità Vostra e a tutti e singoli i Religiosi della Compagnia, la propiziatrice Benedizione Apostolica.

Profitto dell'incontro per professarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Rev.ma
Dev.mo nel Signore
ANGELO DELL'ACQUA
Sostituto

Reverendissimo Padre
Padre PIETRO ARRUPE, S. J.
Preposito Generale della
Compagnia di Gesù
ROMA

11. Anno 1966

ACTA QUAEDAM IN CAUSIS NN. BB. VV. ET SS. DD.
SACRA CONGREGATIO RITUUM

In Causa:

1. BB. MM. Angliae et Cambriae

Post peracta nova voluminosa studia historica super martyrio aliquorum BB. MM. aequipollenter tantum beatificatorum, Postulatio Generalis illa tradit Sectioni Historicae S. R. C. ut de illius mandato prelo mandentur, *die 18 novembris 1966.*

2. B. Jacobi Berthieu

S. R. C. approbat schema Officii et Missae in honorem novi Beati, *die 20 januarii 1966.*

3. S. D. Francisci Rodriguez da Cruz

Postulatio Generalis cum adnotationibus transmittit ad S. R. C. aliqua scripta S. D. nuperrime inventa, *die 7 julii 1966.*

4. S. D. Francisci Garate

Postulatio Generalis perficit et typis edit Summarium super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, *a die 18 julii 1966.*

5. BB. Rochi Gonzalez et Soc. MM.

Postulatio Generalis petit a S. R. C. ut conficiatur Copia Publica Processus super asserto miro intercessioni BB. MM. tributo, *die 19 septembris 1966.*

6. S. D. Ferdinandi de Huidobro Polanco

Postulatio Generalis perficit et typis edit Summarium super fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum in genere, *a die 12 septembris 1966.*

7. S. D. Stephani Kaszap

In Congregatione Ordinaria disceptatur super scriptis S. D. *die 22 februarii 1966;*
S. R. C. edit decretum super scriptis S. D. *die 14 martii 1966.*

8. S. D. PETRI OLIVAINT ET SOC. MM.

Em.mus Cardinalis Augustinus Bea nominatur Ponens Causae, *die 1 martii 1966.*

9. S. D. ADULPHI PETIT

Instante Postulatione Generali S. R. C. emittit Factum Concordatum, *die 12 aprilis 1966;*
Coram Summo Pontifice celebratur Congregatio Generalis super heroicitate virtutum S. D., *die 21 iunii 1966;*
Coram Summo Pontifice legitur et Eius auctoritate promulgatur decretum quo declaratur constare de heroicitate virtutum Venerabilis Adulphi Petit, *die 15 decembris 1966.*

10. S. D. IOSEPHI PICCO

Postulatio Generalis perficit Informationem super fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum in genere illamque typis edit, *a die 27 decembris 1966.*

11. S. D. IOSEPHI RUBIO PERALTA

Postulatio Generalis, post attentum examen duorum assertorum mirorum intercessioni S. D. tributorum, exarat articulos super eisdem et a S. R. C. obtinet Interrogatoria pro Processu Apostolico, *die 28 novembris 1966;*
Matritis celebratur prima sessio Processus Apostolici super praefatis miris, *die 21 decembris 1966.*

12. S. D. IOANNIS SULLIVAN

Instante Postulatione Generali, Curia Archiepiscopalis Dublinensis edit attestationem circa illegibilitatem multorum scriptorum S. D. tributorum, *die 22 augusti 1966.*

II - PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS

12. **1 iunii 1966**

S. C. Concilii *facultatem ad quinquennium concessit ut socii operis «Ritiri di Perseveranza» absolvere possint praecepto Missae festivae vespere sabbati vel antecedenti diei festivo, dummodo accesserit consensus Ordinarii loci et cauto ut, talibus in adiunctis, et adhibeantur textus liturgici dominicae vel festi sequentis, iuxta praescriptum Sacrae Rituum Congregationis diei 25 septembris 1965, n. 30/65, et homilia et oratio fidelium ne omittantur, ad mentem Instructionis eiusdem Sacrae Rituum Congregationis diei 26 septembris 1965, nn. 53-56; cauto etiam ut omnia fiant ad hoc ut in animo fidelium fixum maneat diem Domino dicatum dominicam esse; ceterisque servatis de iure servandis.*

13. **25 iulii 1966**

Epistola autographa Summi Pontificis ad Card. Cushing de ***Exercitiis Spiritualibus.***

To Our Beloved Son
Richard J. Cardinal Cushing
Archbishop of Boston

We are happy to learn that the National Catholic Laymen's Retreat Conference will take place this year, during the month of August, in your Archdiocese of Boston.

In recent years, Religious Orders and Dioceses have conducted fruitful retreats for men and women in more than four hundred Retreat Houses in the United States of America. Although these have involved over half a million retreatants, much still remains to be done; for the words of Our Venerable Predecessor, Pius XI, are still applicable: «We regard it as certain that most of the

ills of our day start from this, that " no man thinketh in his heart " » (Const. Apost. « Summorum Pontificum », 1922).

Of the several laudable methods for conducting retreats for the laity, the method based on the Spiritual Exercises of Saint Ignatius Loyola is, since their approval by Pope Paul III in 1548, the most widely used. Retreat directors, however, must never cease to deepen their understanding of the doctrinal and spiritual riches of the Ignatian text, and to express those riches in terms of the theology of the Second Vatican Council. The retreat is not to become a study of conciliar documents, but the director should present the insights of the Exercises, or of any other method he may use, in a theological context with which modern laymen will be familiar.

Nevertheless, it would be a mistake to dilute retreat exercises with innovations which, however good in themselves, would reduce the efficacy of a closed retreat. Such activities as group dynamics, religious discussions and seminars in religious sociology, have their place in the Church, but that place is not in a closed retreat, in which the soul, alone with God, generously welcomes the encounter with Him, and is by Him wonderfully strengthened and enlightened.

Of such souls the world has great need, as the Conciliar Constitution on the Church in the Modern World says: « The intellectual nature of the human person is perfected by wisdom, and needs so to be. For wisdom gently attracts the mind of man to a quest and love for what is true and good. Steeped in wisdom, man passes through visible realities to those which are unseen. Our era needs such wisdom more than by-gone ages, if the discoveries made by man are to be further humanized. For the future of the world stands in peril unless wiser men are forthcoming ... It is, finally, through the gift of the Holy Spirit that man comes by faith to the contemplation and appreciation of the divine plan » (« Gaudium et spes », N° 15).

We pray that this year's Conference may impart to the Retreat Movement a new and lasting impetus, and to all participants revived enthusiasm and zeal; and, in pledge of richest divine graces, We lovingly impart to you, Beloved Son, to the Episcopal Moderator, directors and members of the Conference, Our special paternal Apostolic Benediction.

From the Vatican, July 25, 1966

PAULUS PP. VI

14. **Anno 1966**

Nominationes Pontificiae quorumdam e Nostris.

15 ianuarii 1966 — P. Paulus Molinari (Prov. Taur.) nominatur Commissarius S. Congregationis de Religiosis (Epist. S. C. de Relig.).

16 ianuarii 1966 — R. P. Richardus Durand Flores (Vicepr. Peruv.) nominatur Archiepiscopus Cuschensis (Peruvia).

1 februarii 1966 — R. P. Samuel Emmanuel Carter (Prov. Novae Angl.) nominatur Episcopus tit. Cenculiana, et Auxiliaris Episcopi Kingstoniensis, Exc.mi Ioannis J. McEleney.

6 iunii 1966 — P. Paulus Molinari (Prov. Taur.) nominatur Postulator in Causa Beat. et Canon. Servi Dei Pii Papae XII (Mandatum S. R. C.).

4 iulii 1966 — P. Aloisius Bonetti (Pr. Neap.) probatur Rector Pontificii Seminarii Regionalis Rheginensis (Epist. S. C. de Semin.).

4 augusti 1966 — Exc. Paulus Hnilica, Episc. tit. Rusadensis, nominatur Consultor S. C. pro Ecclesia Orientali (Lett. Segret. di Stato).

20 augusti 1966 — P. Ferdinandus Barón (Prov. Colomb. Or.) probatur et confirmatur Rector Pontificiae Universitatis Xaverianae in Bogotà (Rescr. S. C. de Semin.).

20 augusti 1966 — P. Jesus Solano (Pr. Castell.) probatur et confirmatur Rector Pontificiae Universitatis Comillensis (Rescr. S. C. de Semin.).

1 septembris 1966 — P. Kenneth E. Killoren (Prov. Wiscons.) nominatur Rector Pont. Seminarii Regionalis Kwang-ju in Corea Mer. (Rescr. S. C. de Prop. Fide).

29 septembris 1966 — P. Hervaeus Carrier (Prov. Quebec.) nominatur a Summo Pontifice Rector Pontificiae Universitatis Gregorianae (Epist. S. C. de Semin.).

18 octobris 1966 — P. Iacobus De Tommaso (Prov. Neapol.) nominatur Praeses Facultatis Theologicae S. Aloisii Ad Pausilypum (Rescr. S. C. de Semin.).

15 novembris 1966 — P. Raymundus Bidagor (Prov. Tolet.) connumeratur inter iudices Tribunalis statuti Motu Proprio « Integrae servandae » (Epist. S. C. pro Doctr. Fidei).

6 decembris 1966 — R. P. Raimundus Salas (Prov. Chilens.) eligitur ad sedem tit. Gorensem et destinatur Praelaturae Nullius Aricensis (Chile) (Epist. S. C. Consist.).

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

I - PRO SOCIETATE

15. **17 ianuarii 1966**

Patre Generali reduce ex itinere, cessat munus Vicarii Generalis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Ex itinere in Proximum Orientem et Africam ad Curiam Generaliciam die 14 ianuarii reversus, sinceras gratias agere velim de sollicitudine et precibus pro visitationis exitu oblatis. Ob insigne opus quod Nostri in illis terris in Ecclesiae servitium confecerunt et conficiunt, iter mihi magno fuit solatio simulque maiorem et valde utilem cognitionem personarum et rerum et adiunctorum praebuit, et vere attigit, ni fallor, scopum huiusmodi itinerum a Congregatione Generali praevisum.

Intendo per aliquot dies quibusdam negotiis maioris momenti, etiam alteri sessioni Congregationis Generalis praeparandae, operam dare, ac deinde omnia negotia Societatis gubernandae expedienda resumere proximo die 23 ianuarii, quo die P. Paulus Dezza munus Vicarii Generalis, die 19 decembris susceptum, deponet. Velis haec cum omnibus nostris communicare.

Commendo me SS. Sacrificiis.

Romae, die 17 ianuarii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

16. **31 ianuarii 1966**

Mutationes in disciplina religiosa in antecessum approbandae proponantur.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Singulis ineuntibus annis, ut bene novisti, ex Provinciis, Viceprovinciis et Missionibus ad nostram Curiam perveniunt litterae ex officio, ex quibus inter se collatis erui potest optimus conspectus actualis status Societatis. Iam vero hoc anno litterae tum Superiorum tum Consultorum quaedam referunt quae anxietatem mihi inducunt et quae ideo cum Superioribus Maioribus communicare velim, quo citius et efficacius aptum remedium applicemus.

Referunt enim in nonnullis domibus formationis, praesertim philosophatibus et theologatibus, introduci experimenta et fieri mutationes, etiam graviores, in disciplina et observantia religiosa. Constat vero haec experimenta in quibusdam casibus non fuisse in antecessum proposita approbationi Praepositi Generalis.

Bene intellego hodierna adiuncta esse talia et quamdam inquietudinem vel impatientiam Nostrorum iuvenum saepe esse tantam, ut aliqui Superiores se cogi sentiant ad mutationes introducendas; nec intendo ullo modo negare quasdam accommodatas renovationes esse opportunas et necessarias. Oportet tamen ut fiant modo ordinato et cum debita auctoritate, prout etiam in Decreto Concilii Vaticani II, « De accommodata renovatione vitae religiosae », declaratur: « Normas autem accommodatae renovationis statuere et leges ferre, necnon sufficienti prudentique experientiae locum dare, competentium tantum auctoritatum est, praesertim capitulorum generalium, salva, quatenus necessaria sit, approbatione Sanctae Sedis aut Ordinariorum locorum, ad normam iuris (n. 4) ».

Congregatio Generalis XXXI utique mutationes, per modum experimenti et a Praeposito Generali approbandas, in studiis permisit, sed in disciplina religiosa nullas mutationes hucusque approbavit. Superioribus autem Maioribus et localibus, ex propria auctoritate, non licet inducere vel induci permittere novos usus, inconsulto Generali, nec sine eiusdem facultate usus legitimos abrogare [1].

[1] Cfr. Epit. n. 27.

S. P. Ignatius vero agnovit necessitatem quarundam Ordinationum, « quae diversis temporibus, locis et personis, in diversis Domibus, Collegiis et officiis Societatis possint accommodari », sed addidit: « uniformitate tamen, quoad eius fieri poterit, in omnibus retenta » [2]. Quae autem uniformitas servari non potest, immo confusio mentium et defectus recti ordinis oriuntur, cum in una eademque Assistentia in diversis Provinciis vel domibus diversi introducuntur usus, diversoque criterio aliqui ex probatis usibus eliminantur. Patet praeterea quam difficile sit exaggerationes tollere et abusus corrigere, si tales mutationes in disciplina religiosa iam introductae conformes non sint illis quas postea Congregationi Generali statuere placuerit.

Propterea, in spiritu collaborationis cum Superioribus Maioribus, quo, omnium consiliis collatis, facilius universale Societatis bonum quaerere valeamus, rogo ut in posterum omnes mutationes alicuius momenti in disciplina religiosa et probatis usibus mihi proponantur neve sine mea praevia approbatione introducantur. Velis insuper sine mora mihi referre quaenam huiusmodi mutationes in domibus tuae auctoritati subiectis forte iam introductae sint, et quinam fuerint effectus ex iis secuti, id quod etiam in altera sessione Congregationis Generalis praeparanda utile esse poterit. Haec sincera cooperatio Superiorum Maiorum non parum conferet ad illam uniformitatem in varietate inter Provincias, quae unionem et caritatem in Societate maxime, ut speramus, est auctura.

Hac data occasione, tibi in mentem revocare velim mutationes et experimenta quoque in studiis a Congregatione Generali permissa requirere approbationem Praepositi Generalis. Quapropter ne omittas etiam de his debito modo mihi referre atque approbationem petere.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 31 ianuarii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

---

[2] Proem. in Declar. et Annot. Const. [136].

17. **16 februarii 1966**

De litteris congratulatoriis Patris Generalis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

Reverende in Xto Pater,
P. Xti

Pater Generalis, ut novisti, saepe mittit litteras ad commemorandum anniversarium diem a fundatione Provinciae, Missionis, Domus vel operis. Item litteras mittere solet pro praecipuis anniversariis vitae religiosae et sacerdotii Nostrorum.

Iam vero his postremis annis petitiones frequentius fiunt ad obtinendas litteras commemorativas pro anniversariis etiam minoris momenti, e. g. pro decimo vel etiam quinto anniversario alicuius domus vel operis. Iubilaea quoque Nostrorum, tum vitae religiosae tum sacerdotii, in hodiernis adiunctis crescere pergunt. Patet tamen litteras gratulatorias Patris Generalis, si ultra modum multiplicantur, minorem significationem secum ferre atque considerari posse tamquam merum actum administrationis.

Quo igitur tales litterae maiorem aestimationem habeant atque Nostris iubilaribus intimiores paternae caritatis sensus exhibeant, Pater Generalis, auditis Patribus Assistentibus Generalibus et aliis, statuit hunc modum procedendi in posterum servandum:

Litterae gratulatoriae ordinarie mittentur tantum pro quinquagesimo vel centesimo anniversario Provinciae, Missionis, Domus vel operis (necnon pro 150° etc., prout adiuncta postulant). De quibus anniversariis igitur Patrum Sociorum erit curare ut Pater Generalis tempestive certior fiat. Nihil utique impedit quominus alia anniversaria in loco celebrentur; litterae tamen Patris Generalis occasione eorum ne petantur nisi propter rationes vere extraordinarias. Pro occasionibus autem, quae litteras gratulatorias non merentur sed non parvi sunt momenti, telegramma gratulatorium a Superioribus Maioribus peti poterit.

Quod attinet ad Nostros, in posterum Pater Generalis mittet litteras ad ipsos iubilares (per Superiorem Maiorem) tantum pro quinquagesimo anniversario die ab ingressu in Societatem. Reliqua anniversaria (60°, 70° in Societate, et praesertim 50°, 60°, 70° sacerdotalis ordinationis) certe in domo rite celebranda sunt; eorum tamen occasione Pater Generalis litteras non mittet, sed cum Superiore Maiore communicabit, ipsis iubilaribus transmittendas, suam paternam benedictionem atque applicationem aliquarum Missarum, quae numero respondeant anniversario celebrando. Omnia haec

anniversaria Nostrorum in initio annui Catalogi Provinciae indicanda sunt, prout hucusque factum est.

Rogo igitur ut haec omnia Nostris nota fiant, ne frustra litteras commemorativas vel gratulatorias petant aut exspectent.

Commendo me ss. SS.

Romae, 16 februarii 1966

Tibi in Xto addictissimus
Iacobus W. Naughton
Secr. Soc. Iesu

18. **12 martii 1966**

Quaedam de Missionibus.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM

Dilectissimi Patres et Frates in Domino
P. Xti

Reversus ex brevi itinere in nostras domos Proximi Orientis et Africae, velim apud vos familiariter quaedam pandere quae mihi vel in animum vel in mentem ascenderunt visitanti eas regiones quae cum historia Societatis et cum ipso Sancto Ignatio adeo conexae sunt: nam, ut bene nostis, Terram Sanctam devotus invisit et nostram missionem aethiopicam ipse condidit: « Quam — ut scribit [1] — ubi alius e nostris nollet, ipse libentissime susciperem, si id iuberer ». Nonne idem faciunt hodie plus quam mille e NN., qui ibidem, tanto cum sacrificio nec sine apostolico fructu, laborant?

Colligam igitur in hac epistola quaedam quae, non ex uno hoc itinere enata, universim cogitanda subeunt et ad alias mundi plagas applicari suo modo possunt.

1. - Primo quidem subest momentum et utilitas huius *contactus personalis* qui, in ratione gubernandi iuxta spiritum S. P. Ignatii, adeo ad rectam personarum et operum aestimationem confert. Experimento enim et gratitudine comprobavi veros esse illos fructus quos Congregatio Generalis XXXI, commendans Generali ut Provincias et Missiones Societatis identidem perlustraret, sperare

[1] MHSI, Epist. Ign. I, p. 429.

visa est: cognovi enim plurimos e NN. Patribus et Fratribus et oculis meis didici quantum ipsi eorumque praedecessores per multorum annorum sudores laboraverint pro constituenda Ecclesia in illis regionibus; cui consolationi unum defuisse doleo, quod scilicet non omnes et singulos adire potuerim.

2. - Nunc vero, omissis rebus particularibus, ad utilia quaedam sed generaliora descendam, quae mihi in mentem subeunt post hoc primum iter extra Europam. Nolim tamen ob idipsum ullo modo videri omnia problemata sive Proximi Orientis sive Africae statim et penitus solvisse, nedum intellexisse. Procul a me praesumptio illorum, qui perlustratis cursim novis nationibus, statim crisi sui iudicii subiciunt omnia, et veteranis operariis, qui longos annos in aptanda vita alienis moribus et traditionibus consumpserunt, normas et directiones generose propinant. Recte quidem dictum a quovis est, se posse, si populum alienum paucis diebus invisisset, librum integrum scribere; articulum vix unum, si annum commoratus esset; si vero diutius ibidem mansisset, fore ut numquam auderet quidquam de eo populo scribere.

Tantum igitur velim vobiscum communicare quasdam *impressiones vel notiones* de vita et ministeriis missionalibus, quae cum diutius eadem per annos cogitaverim et meditatus sim, recenter iter facienti multo vehementius mihi in mentem venerunt.

3. - Dubitandum non est apparere, in adiunctis earum nationum quae *Missiones* dicuntur, peculiares quasdam nostrorum operum et nostri spiritus condiciones, vividius quidem et evidentius quam in nationibus christianis; id facit ut consideratio harum peculiaritatum non inutilis fiat pro reliquo mundo.

Sunt enim in primis regiones quaedam, in quibus, quia diu NN. sine aliorum apostolorum societate laboraverunt, clarius eluceant commoda et incommoda nostrae formationis et nostrae laborandi rationis, dum in aliis nationibus ubi tum saecularis clerus tum aliae Congregationes adlaborarunt, permixtae appareant qualitates variae activitatis apostolicae nostrae et illorum. Eminet statim altior quidam Societatis influxus in instituendis viris praestantissimis, licet iidem fidem nostram non amplexi sint; per eos criteria christiana, aestimatio et affectio erga doctrinam religiosam et moralem christianam ubique diffunduntur, non sine ingenti beneficio quod illinc consequitur. Quae opera utique ingentem conatum postulaverunt; sed aequus saltem conatus nobis faciendus est in instituendis NN. ad curam animarum, ad methodos apostolatus directi, ad spiritum collaborationis inter diversa opera nostra vel cum aliis Ecclesiae organizationibus.

4. - Qui in culturam plane alienam inducitur, invenit, in exponenda doctrina christiana et in adaptanda vita et mente, difficultates quae eum trahunt ad profundiorem reflexionem circa essentialia tum illius culturae quam intrat tum doctrinae quam nuntiat; idque summi est momenti sive ad intellegendas culturas apta ratione sive ad apprehendendum intimius quid sit in nostra doctrina essentiale, quid accidentale, locale, transitorium.

Alia enim est expositio veritatum per conceptus abstractos logicasque illationes, alia vero quae ab aliis fit per formas magis intuitivas et concretas; et in ipsis concretis imaginibus, alius alibi est valor similitudinum vel diversorum symbolorum.

Pariter dispar est in variis nationibus structura illa socialis ex qua vim suam peculiarem hauriunt fundamentales conceptus, v. g. familiae, sinceritatis, conscientiae, legis moralis, virtutum humanarum; inde alia et alia est series progressiva valorum; omnes enim sciunt quantum hinc inde differat aestimatio honoris, humilitatis, patrii amoris, coniugalis fidei, vocationis religiosae; item ex alio respectu, aestimatio vitae, valetudinis, opum et commoditatum. Sermo ideo et cultura cuiusque populi penitus percallendi sunt, ut iam suo tempore ipse S. Ignatius Patri Ioanni Nuñez, Aethiopiae Patriarchae, suadebat: « Procedant bene instructi in historia eorum quae sciuntur de istis regnis ... ut aptiores sint iuvandis his gentibus » [2].

Celerrimae mutationes politicae, oeconomicae, educationales, quae eveniunt in his nationibus properanter nascentibus et ad independentiam pervenientibus, laborem nostrum sistunt coram statibus rerum cotidie novis; id secum fert necessitatem cotidie inspiciendi quid aliter aptandum sit, dum simul vel soliditatem vel debilitatem operum hucusque factorum detegit, et cogit nos indesinenter invigilare et renovari: nam si mutabiles rerum status nos vel imparatos inveniant vel pigros, is defectus elasticitatis et agilitatis facile nos inducet in anachronisticos agendi modos, qui gravi nocumento apostolatui erunt. Quis enim non videt consociatam vitam hodiernam non amplius pendere ab iis qui, 50 abhinc annis, rerum omnium potiebantur? Hodie rerum habenas tenent qui et statu sociali et activitate humana valde diversi sunt. Proinde opera nostra, si novis rerum structuris non aptantur, vim suam et efficaciam procul dubio amittunt. Pariter instrumenta quibus opinio, vel publica vel individualis, efformatur et transformatur, tam celeriter evoluta sunt, ut discrimen necessario adeamus si imparati accedamus ad eorum usum.

---

[2] MHSI, Epist. Ign. VIII, p. 688.

5. - Est aliud quoque summi momenti quod discere tandem oportet. Conceptum scilicet *necessitatis esse valde relativum.* Fit ubique sermo de necessitate operariorum apostolicorum; sed quid dicendum ubi aliquis sacerdos curam unus agit plus quam 60 vicorum, longe inter se dissitorum? vel ubi alius, praeter insumptas hebdomadarias 20 horas in schola, docere debet catechismum per horas nocturnas et sustinere opus paroeciale diebus dominicis, nullo alio reperto qui ei subsidio sit vel eius vices gerat? nonne *necessitas* in hoc casu alia est ab ea quam exprimunt centeni sacerdotes et religiosi qui eumdem laborem distributim sustinent?

6. - Summi quoque momenti est urgens persuasio quod *opus Societatis non possit amplius* (*nec in programmatione,* ut hodie dicitur, *nec in exsecutione*) *frangi, dispertiri, dividi* quibuscumque Provinciarum seu nationum limitibus: sicut recipi amplius non potest apostolatum missionarium minus requirere quam apostolatum in nationibus quas christianas dicimus.

Utinam a multorum mentibus deleantur errores quibuscum conceptum *Missionis* deturpant! quem mundare oportet ab omni sensu anachronistico, ditare autem vera profunditate apostolatus realis cum tota sua transcendentia, universalitate, complexitate, praestantia.

Etsi, sub aspectu tantum administrativo, loqui adhuc possumus de populis sub protectione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide positis et de aliis qui ab eadem non pendent, nihilo minus in rerum apostolicarum exsecutione adeo *alii aliis assimilari pergunt* ut eos tam in praevidendo apostolatu quam in adhibendis exsecutionis instrumentis — hominibus vel opibus — magis ac magis in dies tamquam pares habere debeamus. Quis non videt qualitatem nostrorum *institutorum educationalium* in India, in Congo, in Iaponia, eamdem plerumque esse debere cum ea quam impertimus in centris europaeis vel americanis? Et ad condenda *centra actionis socialis,* nonne fere eadem institutio hodie requiritur in nationibus afro-asiaticis quae in nationibus europaeis et americanis? Ipsa *problemata pastoralia* quae occidentalis neopaganismus secum fert, accedunt propius in dies ad ea quae paganorum iuventus provocat. Hinc est quod evangelizationis ratio eiusque experimenta inter paganos sint non exiguae utilitatis pro iis qui in Europa vel America laborant.

Aliunde collaborare egregie possunt nationes occidentales in re apostolica summi momenti, si scilicet cordi habeant *institutionem studentium afroasiaticorum,* qui in centris europaeis vel americanis studia perficiunt; hi iuvenes qui, in patriam reversi, futuri sunt duces rei politicae vel technicae, possunt illuc transferre ibi-

que amplificare influxum quicumque in eis nunc exerceatur: est ergo opus missionale quod exerceri potest extra missionem. Aliud igitur argumentum quo probatur deletos iam esse confines in unitate operis apostolici.

7. - Perlustranti nationes culturae adeo diversae sponte subest quaestio *de adaptatione*. Quoties per hoc iter, et prius per longos annos vitae missionariae, cogitavi magnos illos nostrae Societatis viros, De Nobili, Ricci, Valignano, alios, exemplar multiplex unius adaptationis! De qua cum multum scriptum dictumve sit, nolo singularem tractationem ordiri, sed meum esse duco difficillimum idemque subtilissimum punctum attingere. Exigit vera adaptatio terrae alienae ut enascatur *vera ac sincera dilectio* erga nationem eiusque cives pro quibus missionarius laborat, simul cum *humilitate,* vel individuali vel nationali, quae eum sinat *servire* modo quonam naturali in omnibus in quibus opus fuerit, oblatis integre dotibus et viribus servitio *alterius patriae*. Cum vero adaptatio sit accommodatio quaedam, numquam autem transformatio vel plena assimilatio quae propriae originis indolem penitus depellat, accendi debet in nobis desiderium ut vocationes apostolicae inter nativae gentis cives excitentur; in his autem enascatur oportet tolerantia erga quos vident conari cotidie, quod tantummodo apud proprios concives facile foret, unam Provinciam efformare. Tolerandum eis quoque erit et exspectandum donec directio et administratio rerum possit ipsorum manibus tradi: vellet quidem Societas res quam primum transferre, et fiduciam alit erga dotes naturae et virtutis quibus ornantur sui filii in his nationibus nondum catholicis, sed ob futurum ipsorum bonum non est dubium quin prudentissime agendum sit ut Provinciae enascantur, evolvantur confirmenturque ratione quam maxime obiectiva et aptissima: id ab omnibus exigit magnanimitatem, obiectivitatem, praecipue autem illam prudentiam et caritatem, prudentia Christi temperatam, de qua Apostolus [3].

8. - Aliud exsurgit periculum in distinctione quae fit inter apostolatum missionarium et eam quae dicitur *opitulatio nationibus tertii mundi,* quasi essent activitates duae sine ulla correlatione. Revera nulla fieri potest gratiosa opitulatio nationibus sese celerrime evolventibus nisi spiritu et humanitate ea perfundatur; iam vero humanitas et universalis caritas propriae sunt nostrorum missionariorum. Et quidem, cum nostra activitas apostolica non scopo ullo politico permisceatur, hinc potissimum intensior fit

[3] I Cor IV, 10.

eius vis, quia ab iis qui nos bene noverunt, recipitur magna fiducia.

Sed aliunde, siquidem constituendae ibidem sunt structurae sociales, instituenda iuventus, dirigenda desideria culturae humanae, fovendusque progressus technicus, requiritur hodie ut alienigena, populum quem adit, bene noverit eique assimiletur; id vero sola praestat caritas evangelica et diuturna participatio in gaudiis et aerumnis illorum populorum. Ipsae internationales organizationes, non religiosae, clare percipiunt quam alte influat actio humana et benevolens missionariorum et missionariarum. Id sibi persuasum habent nonnulli ex Statuum Praesidibus qui subsidia oeconomica et technica magnarum nationum recipiunt quidem, sed non sine quadam suspicione politicae finalitatis: e contra, benevolentem operam missionariorum, ingentis sane pretii humani, accipiunt ratione valde diversa, maxime si caritatem comitatur peritia technica, par ei quam alii offerunt. Inde necessitas ut hodie submittantur nonnulli missionarii competenter instructi in aliqua disciplina speciali, quin ideo neglegenda vel postponenda sit specializatio quae praecipua est cuiusque missionarii, in Christi scilicet et animarum amore: cui subsidio esse debebit ipsa praeparatio technica, illum amorem reddens efficaciorem.

8. - Missionariorum talis est vita ut absolute alenda sit *spiritu fidei* cum sit ipsa *fructus fidei* et *expressio realitatis mundi supernaturalis*. Sed eo ipso trepidantius colendus est hic fidei spiritus, maxime hisce temporibus exundantis naturalismi. Nemo fere vivit sine ulla vitae commoditate, sub caelo saepe intolerabili, sine consolatione praesentium fructuum apostolicorum, nisi idem plenus sit spiritu fidei: eo destitutus vel non satis instructus, claudicet necesse est; e contra — id quod in recenti itinere laetus iterum iterumque notare potui — qui eo spiritu vivunt, vitam plerumque degentes abnegationis summae et paupertatis, replentur sincera laetitia et hilaritate coniunguntur que invicem caritate, ita ut nemini dubium sit insigniri vitam huiusmodi coetuum spiritu illo evangelico qui facile abest vel minus evidentior fit in aliis coetibus in quibus est labor facilior et vita commodior.

Huic spiritui fidei coniungatur necesse est *interna lex caritatis*, sine qua vix stare poterit qui ratione sui ministerii solus apud se commorari saepe cogitur, in adiunctis in quibus observantia votorum religiosorum haud facilis evadit.

10. - Domum ergo reversus, id tantum censeo, sensisse me et propre oculis conspexisse plura problemata quae litteris et documentis prius noveram et quorum studium nunc plenius et exactius et efficacius perficere potero, resumptis colloquiis cum iis qui

rerum harum vere periti sunt: cum quibus constitui poterit illa una ratio agendi quae pro efficaciore apostolatu totius Societatis desideratur.

Concludens tandem has paginas circa cogitata quae subeunt ex recenti visitatione nostrorum missionariorum eorumque operum, non possum tacere esse mihi continuae memoriae ac sollicitudini illos quoque fratres, centenos apostolos in silentio, quos neque in Sinis neque in aliis nationibus visitare potero: qui pro salute eorum populorum et totius mundi cum Christo patiuntur. Sciant hi meum cor measque preces semper ipsos comitari.

Commendo me igitur vestris precibus ut quae experientia huius itineris didici cum profundiore et largiore comprehensione tot problematum, inserviant quoque, ut spero, alteri sessioni Congregationis Generalis parandae, quae tanti momenti esse potest pro Societate universa.

Romae, die 12 martii 1966,
in anniversario canonizationis
S. Ignatii et S. Francisci Xaverii.

Vester in Domino
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

19. **16 martii 1966**

De itinere faciendo in Status Foederatos Americae.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

His litteris te certiorem facio me, a die 2 aprilis ad diem 18 aprilis, iter facturum esse in Status Foederatos Americae, ut in maioribus Scholasticatibus brevissime visitandis cum Patribus et Fratribus aliquam saltem occasionem colloquendi eosque alloquendi habeam, atque ut in aliquibus aliis domibus adsim paucis celebrationibus et conventibus.

Finis huius itineris non est omnes et singulas domos vel opera visitare, neque negotia tractare, neque etiam studium negotiorum vel problematum instituere, ut nihil dicam de solutionibus

statuendis; nam ad hoc requireretur commoratio multo longior quam quae mihi propter adiuncta permittitur. Mens mea simpliciter est, iuxta commendationem Congregationis Generalis XXXI, ut *contactus humanus et paternus* cum Nostris magis foveatur, id quod ad unionem in Societate, praesertim in hodiernis adiunctis, conferre potest, atque prout itineribus in aliquas Provincias Italiae, in Proximum Orientem, Africam et Galliam iam plene comprobatum est, non parvo mihi est auxilio ad meum munus melius explendum.

Interim litterae de negotiis mihi Romam modo solito mitti pergant; negotia sive ex meo mandato sive post meum reditum tractabuntur.

Preces tuas et reliquorum Nostrorum pro felici successu huius itineris implorans, commendo me tuis ss. Sacrificiis.

Romae, die 16 martii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

20. **25 martii 1966**

De investigatione sociologica.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES
ET AD COORDINATORES INVESTIGATIONIS SOCIOLOGICAE

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Ex litteris meis die 9 decembris 1965 datis (AR XIV 656), iam certior factus es de praeparatione investigationis sociologicae Societatis atque de Coordinatoribus huius operis in unaquaque Provincia nominandis. Nunc autem, praeparatione in finem iam vertente, expedit munus Coordinatoris melius determinare.

Congregatio Generalis XXXI in prima sessione decrevit ut « ad promovendum aptiorem delectum ministeriorum et quandam futuri praevisionem, aliqua commissio in auxilium et sub auctoritate Praepositi Provinciae instituatur ». Investigationis sociologicae erit informationes modo systematico colligere, ut commissio et P. Provincialis cum suis Consultoribus aptiorem delectum ministeriorum saltem quotannis (sicut decretum praescribit) cum

fructu considerare possint. Ut autem collectio informationum modo vere efficaci procedat, tum Coordinator provincialis, tum Coordinator regionalis, in quantum possibile est, ab aliis laboribus liberari debent, ut ad hoc munus implendum sufficiens tempus habeant. Deinde:

1) Coordinator provincialis, nisi gravis ratio aliter suadet, includatur in commissione de delectu ministeriorum Provinciae.

2) Permittatur ei convenire cum Coordinatore regionali et cum Coordinatoribus Provinciarum vicinarum; habeat accessum ad opera Societatis in sua Provincia.

3) Libertatem habeat loquendi cum omnibus sociis Provinciae de rebus ad investigationem sociologicam pertinentibus. Ne tamen agat tamquam Visitator neque proprias ideas manifestet, sed in spiritu obiectivitatis omnes audiat, intelligendo se nullam potestatem habere res decidendi sed tantum informationes colligendi.

4) Coordinator provincialis constituat consilium, saltem ex quinque Consiliariis constans, cuius membra erunt socii Provinciae qui in aliquo ministerio vel scientia excellunt necnon bono iudicio atque aequilibrio psychologico et spirituali pollent.

5) Adiuvantibus autem Consiliariis, secundum instructiones schematis investigationis, constituat commissiones quae eum in « technica » investigationis adiuvent. Nisi Provincialis aliter deciderit, in has commissiones sacerdotes dioecesani et laici periti invitari poterunt.

6) Cum permissione Provincialis, licet Coordinatori cum auctoritatibus ecclesiasticis (Episcopis, Superioribus Maioribus aliorum ordinum, etc.) convenire, sed, quatenus fieri potest, saltem prima vice hoc fiat praesente Provinciali.

7) Adeat centra informationis proprii territorii et interroget etiam laicos de rebus ad eorum peritiam pertinentibus.

8) Habeat accessum ad informationes Societatis, exceptis iis quae ad forum internum pertinent.

9) Tenetur autem, ut patet, ad secretum tum naturale tum commissum servandum.

Hae sunt potestates et officia Coordinatorum, quae necessaria videntur ut investigatio sociologica finem intentum obtineat et quae utile fuit clarificare ante laboris initium. Cum vero fere omnes socii Provinciae aliquomodo in investigatione sociologica partem habituri sint, rogo Patres Provinciales ut socios Provinciae de scopo investigationis, de munere et nominibus Coordinatorum et Consiliariorum certiores facere faveant.

Ad laborem autem arduum complendum, nos incitat benedictio Summi Pontificis, qui in audientia privata ante aliquot dies mihi concessa, de investigatione sociologica se informatum esse voluit, et eam sollicitudine paterna sequi fatebatur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 25 martii 1965,
in festo B. M. V. Annuntiationis.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

21. **29 martii 1966**

De Statutis temporaneis pro opere « Motus pro Mundo Meliore ».

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Ut notum tibi est extant de « Motu pro Mundo Meliore » (Movimento per un Mondo Migliore) litterae quas dabat P. b. m. Ioann. B. Janssens die 12 dec. 1963 [1].

Haec, de historia Motus, ante omnia ibi dicebat: « Approbantibus olim Superioribus, P. Lombardi, pro eo talento quod Dominus ipsi impertiit, mox allaborantibus paucis aliis sacerdotibus, saecularibus et regularibus, operam dedit praedicationibus per urbes et dioeceses primum Italiae ac dein aliarum quoque regionum. Quae actio paulatim formam magis definitam induit, excrevitque in eum qui nunc est *Motus*, cum sede propria, tam in Italia quam in multis aliis partibus, ubi convivunt et simul laborant pariter sacerdotes ex utroque clero cum aliis auxiliaribus ».

Addebat, Motum ipsum, qui usque ad illud tempus « per modum facti vixerat et laboraverat, tunc ad biennium experimenti, sub auctoritate personali Em.mi Card. Antoniutti positum esse ». Ex quo concludebat subtrahi Motum et ipsam activitatem et laborem Nostrorum qui in ipso laborabant ab obedientia et responsabilitate Societatis. Ad hoc factum sublineandum normae dabantur de Nostris qui in futuro adlaboraturi essent in hoc opere.

---

[1] AR XIV 338-339.

Nunc autem, biennio illo experimenti transacto, per eundem Em.mum Cardinalem, voluntatem suam manifestavit Summus Pontifex ut Motus plene incorporaretur ipsi Societati nostrae, etiam ad hoc ut nostra activitas contra atheismum maiorem vim haberet; sic etiam ipsi Motui consulebatur ad hoc ut stabilem et iuridicam formam in Ecclesia acquireret.

Coram tam explicita voluntate Summi Pontificis non potui nisi meam et totius Societatis promptam oboedientiam offerre. Sicut etiam, magno merito, ex altera parte, decisionem acceptarunt P. Lombardi et omnes qui in Motu partes directivas habebant.

Quaedam puncta relationum inter Societatem et Motum ab ipso Card. Antoniutti definita sunt [2]; ulteriora quaedam fraterno studio et amico consilio pressius sunt decisa a parva Commissione trium membrorum S. I. quos nominaveram et ab analoga Commissione ex parte Motus.

Nam post diligentes discussiones et auditis Patribus Assistentibus Generalibus, conducibilius mihi visum est Motum integrum servare quoad spiritum et externam eius formam. Totus Motus M. M. plene subest iurisdictioni P. Generalis, qui ut plurimum eam exercebit per Patrem quemdam Delegatum, cui aderit parvum Consilium. Non ergo subiciuntur singula Centra et personae inibi laborantes PP. Provincialibus; qui tamen, si quid, circa ea, vel desiderandum vel cavendum censuerint, P. Generali proponent.

Diriget autem de facto, ad normam Statuti approbati, Motum M. M. Director Generalis adiutus consilio suo ita ut omnes activitates generales, singulae domus seu Centra, omnes personae a Directore pendeant.

Speramus futurum ut rebus sic compositis Motus M. M. suum finem magis efficaciter prosequi possit, ad evangelicam caritatem in unitate Ecclesiae exercendam alendam et augendam, maxime in renovatione postconciliari in actum deducenda. Cum autem opus nunc pleno iure Societati sit concreditum, ministerium istud inter Societatis ministeria pleno iure adnumerandum est, quod qui desiderant per Superiores suos mihi exponere curent.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 29 martii 1966.

Tibi addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

---

[2] AR XIV 600-601.

Articuli quidam

STATUTI M. M. M. I. PROVISORII
ad duos annos approbati

1. Motus Apostolicus « Mundi melioris instituendi » evangelicam caritatem in unitate Ecclesiae exercendam, alendam et augendam ut finem sibi proprium, a Summis Pontificibus saepius laudatum, elegit et retinet.

2. Motus est spiritualis, cuius promotores ut melius eius finem attingant e variis statibus et condicionibus seliguntur utriusque sexus ut collaborantes singulare reddant testimonium unitatis in caritate quam promoveant. Omnes vult Christifideles adiuvare exercitationibus propriis, secessibus et sessionibus etiam periodicis aliisque mediis modernis ab auctoritate Ecclesiastica et Consilio Generali Motus approbatis, eo semper fine intento ut omnia in commune unitatis populi christiani signum quod ipse Dominus Iesus pro conversione mundi exoptavit, adhibeantur.

3. Ad illum finem spiritualem facilius et firmius obtinendum, praeter centrum generale, alia centra regionalia vel dioecesana M. M. M. I. condere potest in variis nationibus, de consensu Ordinarii loci vel Conferentiae episcopalis competentis.

4. M. M. M. I. iurisdictioni Praepositi Generalis S. I. subest, cui adstat consilium ab eodem Praeposito nominandum; Delegatus a Praeposito Generali nominatus omnibus consilii generalis coadunationibus adesse potest, de re oeconomica informationes recipit, de evolutione operositatis et novis fundationibus certior fit, Directori generali opportuno consilio assistit atque de omnibus Praepositum Generalem S. I. certiorem facit. Publicationes M. M. M. I. eius praeviae censurae subsunt omnes.

5. Dirigit Motum Mundi melioris instituendi Director eius generalis, consilio suo adiutus.

6. Director Generalis et Vice-director a Praeposito Generali S. I. auditis Coenaculi membris, constituuntur.

7. Consilii generalis Sodales sunt Vice-director, tres sacerdotes, a membris Coenaculi voto secreto et ad plura medietate suffragia electi, et Oeconomus generalis, a Directore generali, praevia approbatione Praepositi S. I., nominatus.

11. Collaboratores stabiles coadunat M. M. M. I. qui actionem suam apostolicam exerceant atque promoveant et exercitationes

praesertim tradant. Tales esse possunt, praeter Sodales S. I., sacerdotes saeculares et utriusque sexus laici, etiam Instituti saecularis aliusve Associationis perfectionis sodales. Ipsi in aliquo Motus Centro convivere possunt ad praestantius caritatis testimonium praestandum et ad apostolatum M. M. M. I. efficacius fovendum. Ad ministeria exercenda apte praeparentur, exercitationes praesertim in aliquo Motus Centro peragentes; qui post probationem a directore, cum voto deliberativo consilii generalis, cooptantur.

12. Collaboratores occasionales advocari possunt, etiam cuiusvis religionis Sodales, qui, de proprii Superioris licentia, ad haec ministeria exercenda apte, peractis praesertim exercitationibus, parati sunt.

13. Coenaculum efformant omnes collaboratores stabiles atque centrorum directores et oeconomus generalis. Cui interveniat delegatus Praepositi Generalis S. I., etiam cum consiliariis a Praeposito S. I. nominatis.

16. Sacerdotes dioecesani, etiam in centro quodam sub auctoritate directoris localis conviventes, suae remanent dioecesi incardinati; qui libere Motum Apostolicum relinquere vel a proprio Ordinario loci revocari possunt, praemonito semper Directore generali et non nisi servatis pro iustitia et aequitate motui contractus clausulis.

17. Sodales Institutorum saecularium eodem modo Motum Apostolicum relinquere vel a Superioribus suis revocari possunt.

18. Religiosorum institutorum sodales ut collaboratores stabiles assumi non possunt, relicta quavis conviventiae seu diuturnae cohabitationis forma.

ELENCHUS CENTRORUM M. M. M.

ITALIA	Casa di Roma - via Panama, 52 - Roma
ARGENTINA	Carlos Pellegrini 1334 - Buenos Aires
BRASILE	Gruppo del Sud - Av. Hygienopolis, 901 - São Paulo
	Gruppo del Centro - Rua Espiritu Santo 1059, S. 1112 Belo Horizonte, Minas Gerais
CANADA'	1575, rue Caron - Sherbrooke, P. Q.
COLOMBIA	Carrera 16, N. 32-67 - Apartado Aereo 14226 - Bogotà
GERMANIA	53 Bonn, Gluckstr. 4
MESSICO	Ap. Postal N. 132 - Cd. Naucalpan de Juarez - Edo. de Mexico
PERU'	Av. Javier Prado 1266, S. Isidro - Lima
PORTOGALLO	Rua da Lapa, 106 - R/C Esq. - Lisboa 2

PORTO RICO	Calle del Parque, 171 - Santurce
SPAGNA	Centro Pio XII - La Granja (Segovia)
	Serrano 41 - Madrid 1 (Segreteria)
STATI UNITI	127 R St. N. E. - Washington D. C. 20002 (Segreteria)
	Mount Mary; 329 Victoria Road - Asheville, N. Carolina
VENEZUELA	2 Av. del Casquillo, Urb. El Avila
	Quinta Hogar de la Iglesia - Caracas
AUSTRIA	Steinerkirchen / Traun 2 - O. Ö.
BELGIO	St. Jansberg Zelem (Limburg)
BOLIVIA	Av. Armentia 426 - La Paz
CILE	Instituto Linares - Casilla 195 - Linares
EQUATORE	Convento de las M. M. Buen Pastor - Apartado Aereo 1241 - Quito
PARAGUAY	Tte. Farinña 739 - Asunción
SVIZZERA	Oeschgen - Aargau
URUGUAY	Parroquia S. Fernando, Florida, 831 - Maldonado

Numerabantur mense Augusto 1965 « Membra » Motus M. M. ad 160 circiter, sacerdotes et laici.

Horum circiter 70 simul vitam communem in centris ducebant.

Quidam ex eis erant Religiosi diversarum Religionum. Hi iam « membra » esse non poterunt, sed suam collaborationem praestare pergent ut collaboratores occasionales.

22. **10 maii 1966**

Litteris Patris Secretarii ad PP. Socios Provinciarum communicatur de festo B. Iacobi Berthieu textus pro Martyrologio Societatis: « Apud Ambiatibe in insula Madecassensi Beati Martyris Iacobi Berthieu, Sacerdotis Professi e Societate Iesu qui, post diuturnos labores missionarios summo cum zelo expletos, hac die pro fide Christi dire cruciatus supremum amoris testimonium reddidit ».

23. **23 maii 1966**

Litteris Patris Secretarii commendatur ut citius ad finem perducatur (si nondum perfectum fuerit) opus translationis in linguam popularem textuum liturgicorum Missarum Propriarum Societatis, sicut iam petitum fuerat die 20 iunii 1965; AR XIV 615.

24. **24 maii 1966**

De Centris Religiosorum pro Apostolatu liturgico et de Pastorali Turismi.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Per Coetum Superiorum Generalium, epistola ad me pervenit Cardinalis Antoniutti, Praefecti S. C. de Religiosis, qui in memoriam religiosorum revocare intendit desiderium Summi Pontificis de apostolatu liturgico, prout desumi potest ex allocutione ab ipso Paulo VI habita die 10 novembris 1965 ad *Conventum de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum.*

Desiderium Summi Pontificis respicit Centra quae actionem vel apostolatum liturgicum et pastoralem exercent ope Lectionum, Institutorum, Periodicorum liturgico-pastoralium, Hebdomadarum vel Cursuum liturgicorum.

Velit Summus Pontifex ut talia Centra Religiosorum (qui quam maxime de apostolatu liturgico bene meriti sunt) vincula strictiora stabiliant cum Centris liturgicis ab Auctoritate Hierarchica in singulis regionibus vel nationibus constitutis. Magni enim est momenti ut uniformitas et concordia in actione liturgica servetur, salvis tectisque usibus et ritibus legitime apud Religiosas familias vigentibus.

Velim proinde Superioribus nostris maioribus commendare ut hoc Pontificis desiderium notum fiat et in praxim, quoad fieri poterit, deducatur a Nostris qui motui vel actioni liturgicae applicantur.

Eminentissimus Cardinalis Antoniutti, Sacrae Congregationis de Religiosis Praefectus, alteram transmisit commendationem Superioribus Generalibus, circa *Pastoralem Turismi*: posse scilicet sacerdotes religiosos validissime conferre ad solvendas complures difficultates quas motus turisticus secum fert: id autem valere maxime de religiosis qui applicati sint paroeciis quas vel naturae pulchritudines vel condiciones climaticae vel thermales aquae commendant.

Proponit S. Congregatio possibilitatem, exempli gratia, inserendi inter lectiones pastorales, quae Nostris iuvenibus traduntur, aliquas lectiones circa turismi phenomenum, prae oculis habitis

normis pastoralibus quae ex documentis pontificiis vel conciliaribus eruuntur.

Tuis ss. SS. me commendo,

Romae, 24 maii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

25. **26 maii 1966**

De litteris ex officio. — De linteo permisso in Missae celebratione.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Te certiorem facio Patrem Generalem dispensavisse Superiores locales et Consultores Provinciae vel Viceprovinciae ab obligatione litteras ex officio, iuxta statuta Epit. Inst. nn. 859, 861 § 2, scribendi ineunte proximo mense iulio. Nam propter labores alterius sessionis Congregationis Generalis XXXI praeparandae, Pater Generalis et Patres Assistentes vix valebunt tot litteris debito modo studere. Praeterea Provinciales et Electores, Romam pro Congregatione Generali mense septembri venturi, plura de Provinciis et domibus referre poterunt.

Velis igitur eos, quorum interest, de hac dispensatione concessa certiores facere, iis tamen simul indicans omnes, quamvis dispensatos, suas litteras ex officio libere mittere posse, si voluerint.

Hanc nactus occasionem, tibi notum facio S. C. de Religiosis, Rescripto die 11 ianuarii 1966 dato [1] (N. 11192/56) ad aliud quinquennium prorogavisse facultatem adhibendi, in regionibus iurisdictioni S. C. de Propaganda Fide non subiectis, linteum ex lino vel cannale confectum in Missae Sacrificio celebrando, quando nulla exstat ecclesia vel oratorium et valde incommodum est lapideum altare in itinere transferre, iuxta conditiones in praevia concessione ex-

[1] Cfr. superius p. 685.

pressas [2]. Item S. Congregatio de Propaganda Fide, pro regionibus suae iurisdictioni subiectis, eandem facultatem prorogavit ad aliud decennium Rescripto die 17 maii 1966 dato [3] (Prot. N. 2236/66), sub conditionibus in praevio Rescripto expositis [4]. Pater Generalis autem cum omnibus Superioribus Maioribus communicat facultatem permittendi, debita servata prudentia, ut nostri Sacerdotes Missionarii sibi subditi huiusmodi linteo sub conditionibus praescriptis utantur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 26 maii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

26. **4 iunii 1966**

De tempore Romam perveniendi pro altera sessione C. G. XXXI.

AD OMNES PATRES CONGR. GEN. XXXI

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Pater Generalis litteris diei 8 decembris 1965 (AR XIV 655) alteram sessionem Congregationis Generalis XXXI in diem 8 septembris 1966 indixit, simulque Patribus Congregatis obtulit opportunitatem triduanae recollectionis in nostra Curia habendae diebus 5, 6 et 7 septembris.

Iam vero, quod ad hoc triduum attinet, agitur de quodam spatio temporis consecrando orationi quietae, cui unusquisque pro sua devotione liberrime vacet. Semel in die Pater Generalis verba faciet, quibus Patres in consideratione et oratione personali iuvari possint. Harum allocutionum amplum summarium omnibus Patribus Congregationis postea scripto tradi poterit.

Re autem diu et ex omni parte perpensa et disceptata, audita quoque Commissione Coordinante, Pater Generalis statuit alteram sessionem Congregationis habendam esse, sicut primam sessionem, in ipsa nostra Curia atque adnexa Domo Scriptorum, additis vero

[2] Cfr. AR XIV 11, 35.
[3] Cfr. superius p. 685.
[4] Cfr. AR XIII 29, 92.

aliquibus cubiculis in vicino « Hospitio Romano », quibus numero Patrum congregandorum propter novos Provinciales nominatos aucto provideatur.

Consilia capienda sunt ut saltem vespere diei 7 septembris 1966 omnes Patres Congregationis Romae in his nostrae Curiae aedibus adsint. Qui vero triduo recollectionis adesse velint, huc saltem vespere diei 4 septembris perveniant. Pro iis autem qui Romam perventuri sunt ante diem 1 septembris, per P. Ministrum Curiae providebuntur cubicula in Collegio Bellarmino vel alia Domo Romana, si ultimi labores praeparationis in Curia nondum absoluti erunt. Item, pro iis qui Romae quidem diebus 5, 6 et 7 septembris aderunt, sed triduum facere non intendunt, P. Minister providebit cubicula in alia Domo Romana, ne recollectio tridui reliquis advenientibus nimis turbetur.

Cum vero iam nunc pressius cogitare debeamus de rebus materialibus praeparandis, pergratum nobis erit si singuli Patres Congregationis sine longa mora me certiorem fecerint num triduanae recollectioni adesse intendant, atque quo die (et, quatenus fieri potest, qua hora) ad Curiam se perventuros esse sperent. Si quis autem censeat se infirma valetudine aut alia vere gravi ratione impeditum esse ab altera sessione Congregationis adeunda, id statim Patri Generali notum faciat, qui, si rationem, audita Commissione Coordinante, sufficienter gravem esse iudicaverit, agnoscet excusationis validitatem, ab ipsa Congregatione initio alterius sessionis confirmandam.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 4 iunii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

27. **14 iunii 1966**

Epistola P. N. Generalis qua Nostrorum precibus commendatur favens exitus discussionis ultimae et definitivae coram Summo Pontifice super heroicitate virtutum Servi Dei Adulphi Petit, sacerdotis e Societate Iesu[1].

---

[1] Exitus discussionis favorabilis fuit.

28. **15 iunii 1966**

Facultates vicennales a Summo Pontifice renovatae cum Societate communicantur.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Mandante Patre Generali, tecum communico [1] litteras Em.mi Card. Hamleti Cicognani, Secretarii Status, die 6 iunii 1966 datas (Prot. N. 73534), simul cum Rescripto Secretariae Status eiusdem diei, quo Summus Pontifex Paulus VI *Facultates Vicennales* pro gratia iuxta preces ad aliud vicennium renovare benigne voluit [2].

Animadvertes quasdam mutationes factas esse in Elencho harum facultatum a Summo Pontifice Pio XII approbato, ut scilicet Elenchus recentiori Ecclesiae disciplinae congruenter accommodaretur. Hae autem sunt mutationes factae:

Facultates in priore Elencho notatae sub nn. 2, 3, 6 et 12 omissae sunt in novo Elencho, sicut etiam altera pars facultatis n. 5 atque clausula « et praesentibus ... celebrari non possit » in n. 9; his enim facultatibus a iure communi hodierno sufficienter provideri videtur.

Ceterum, Facultates Vicennales, exceptis iis quae in novo Elencho omissae sunt, eodem modo communicari pergunt ac prius, ut in libello « Elencho Praecipuarum Facultatum » singillatim explicatur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 15 iunii 1966.

Tibi in Xto addictissimus
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

---

[1] Cfr. superius p. 687.
[2] Cfr. AR XI 85-88.

29. **17 iunii 1966**

Constituuntur novi Delegati ad gubernandas romanas domos interprovinciales.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Cum P. Paulus Dezza, hucusque Delegatus Generalis pro romanis domibus interprovincialibus, anno praeterito electus sit Assistens Generalis ideoque his duobus muneribus nimis oneretur, censui eum munere Delegati esse exonerandum. Praeterea, cum hae domus romanae natura, fine aliisque modis inter se magnopere differant, visum est aliquas ex iis committere diversis Delegatis, quo efficacior fiat earum gubernatio. Auditis igitur Assistentibus tum Generalibus tum Regionalibus, reque diu perpensa, decerno romanas domos interprovinciales, a die 2 iulii 1966, iuxta infra notatam rationem committendas esse novis Delegatis Patris Generalis, qui omnes respectu singularum domorum sibi commissarum auctoritate Praepositorum Provincialium gaudebunt:

P. Franciscus J. McCool (e Provincia Neo Eboracensi, hucusque Professor in Pontificio Instituto Biblico), Delegatus Generalis pro Pontificia Universitate Gregoriana, Collegio S. Roberti Bellarmino, Pontificio Instituto Biblico cum Hierosolymitana Domo S. Ignatii, Pontificio Instituto Orientalium Studiorum, Domo Scriptorum S. Petri Canisii cum Scriptoribus Propagandae Catholicae (Radio Vaticana) et Residentia ad Castrum Gandulphi. Pater McCool, qui quattuor Consultores habebit, saltem in praesens habitualiter residebit apud Collegium S. Roberti Bellarmino.

P. Hyginus Ganzi (Assistens Regionalis Italiae), Delegatus Generalis pro Collegio Scriptorum « La Civiltà Cattolica ».

P. Emmanuel Acévez (Assistens Regionalis Amer. Lat. Sept.), Delegatus Generalis pro Pontificio Collegio Pio Latino Americano cum Convictu S. Pii X.

P. Candidus Gaviña (Assistens Regionalis Amer. Lat. Merid.), Delegatus Generalis pro Pontificio Collegio Pio Brasiliensi.

P. Marius Schoenenberger (Assistens Regionalis Germaniae), Delegatus Generalis pro Pontificio Collegio Germanico et Hungarico.

P. Paulus Mailleux (qui manebit Delegatus Generalis pro personis et operibus ritus Byzantini), Delegatus Generalis pro Pontificio Collegio Russico et Instituto S. Ioannis Damasceni pro Orientalibus.

Quae omnia velis cum iis, quorum interest, opportune communicare.

Romae, die 17 iunii 1966,
in festo SS. Cordis Iesu.

Tibi in Xto addictissimus,
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

30. **12 iulii 1966**

De Supplemento Catalogorum 1967; Quaedam de Catalogis conficiendis.

AD OMNES PP. SOCIOS SUPERIORUM MAIORUM

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Te certiorem facio exemplaria « Supplementi Catalogorum Societatis Iesu, 1967 », iuxta numerum a singulis Provinciis iam expetitum, in Provincias mox missum iri.

Mense augusto in Provincias mittentur solita paradigmata ad annuas *Tabulas statisticas* atque *Elenchos dimissorum et ad gradus academicos promotorum* conficiendos. Enixe rogo ut omnia praevideas et tempestive praepares, praesertim quod ad dependentes Viceprovincias et Missiones attinet, ita ut haec paradigmata, inscriptis inscribendis, tabellariis publicis vestrae civitatis committantur ante finem ianuarii 1967. Notandum est non iam necessarium esse huc mittere informationes de *Eleemosynis pro Operibus Pontificiis* collectis.

Hac data occasione, quaedam adiungere velim de modo conficiendi Catalogos Provinciarum, praesertim quod ad numerum et distributionem sociorum attinet. Iam diu enim ii, qui statistica colligunt, iure queruntur de difficultate, ne dicam impossibilitate, accurata statistica desumendi ex nostris Catalogis, in quibus sive diversa ratio numeros referendi ideoque defectus uniformitatis, sive negligentia normarum et omissio elementorum necessariorum reddunt fere vanum omnem conatum ad accuratum et ordinatum conspectum statisticum Societatis conficiendum. Ex altera parte magis in dies crescit necessitas talia statistica habendi iisque utendi in Societate gubernanda, eius ministeriis ordinandis, eiusque problematibus investigandis, praevidendis, solvendis, necnon in bonis publicis relationibus fovendis.

Propterea rogo ut in vestro Catalogo praeparando particularis diligentia adhibeatur ad indicandos numeros et distributionem sociorum, quot et quinam scilicet Provinciae sint adscripti, applicati, in ea degentes sed non applicati, in aliis Provinciis applicati vel non applicati, ex aliis Provinciis in hac applicati et non applicati, etc. Clare indicetur praeterea quot et quinam in ipso territorio Provinciae necnon extra eam degant. Si autem Provincia comprehendit varias *nationes*, valde utile erit socios et domos et opera in singulis nationibus exsistentia referre in singulis sectionibus Catalogi, ita ut geographica distributio hominum et domorum clarius distinguatur. Nec minus utile nobis evadet si in « Indice Domorum et Numero Sociorum » in fine Catalogi referetur etiam (sed inter parentheses) numerus *Noviciorum* Scholasticorum et Coadiutorum, qui Provinciae sint adscripti, sive intra sive extra eam degentes. Rogatur denique ut in « Ordine Regiminis Superiorum » semper referantur etiam illae domus quae propter rationem temporariam Superiore ad tempus careant, ita ut in hoc « Ordine » habeantur omnes et singulae domus in « Indice Domorum ... » indicatae.

Iam vero, quo facilius in hac re quaedam uniformitas obtineatur, rogo ut in proximo Catalogo praeparando ad amussim imitari velis « Indicem Domorum ac Numerum Sociorum » ex Catalogo Provinciae Galliae Atlanticae, 1966, desumptum (numero quoque Noviciorum eodem modo indicato), itemque « Ordinem Regiminis Superiorum » eiusdem Provinciae, in quo accurate referuntur, sine omissionibus vel additionibus, Superiores omnium et singularum Domorum quae in « Indice Domorum » indicantur. Similiter ad referendam distributionem geographicam domorum et sociorum in diversis nationibus Provinciae, optimum exemplum imitandum erit « Index Domorum et Numerus Sociorum » Catalogi Viceprovinciae Proximi Orientis, 1966. Velis praeterea curare ut in corpore Catalogi variae sectiones his Indicibus omnino respondeant.

Bene intellego alias esse difficultates de nostris Catalogis quae maturam solutionem postulant; multum tamen proderit si saltem normae supra indicatae in omnibus Catalogis iam nunc servabuntur.

Tibi in antecessum gratias agens, commendo me ss. SS.

Romae, die 12 iulii 1966.

Tibi in Domino addictissimus,
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

31. **31 iulii 1966**

De munere atheismo obsistendi.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Summus Pontifex initio Congregationis Generalis XXXI « graviter et fortiter ... de formidoloso periculo humanae consortionis instanti ... de atheismo scilicet » (verba Pontificis) Patres congregatos allocutus est. « Atheismus — aiebat Pontifex — ut apud omnes constat, non semper unus idemque patefit, sed varius prodit et panditur, multas sibi induens formas. ... Nostra aetate serpit sive apertus, sive occultus, veste saepenumero tectus progressionis, quae ad humanas artes et disciplinas, ad rem oeconomicam, ad rem socialem attinet. » Simulque Summus Pontifex Societati demandavit munus « ut coniunctis viribus atheismo obsistant validissime ».

Congregatio Generalis mandatum Summi Pontificis considerans programma generale huius apostolatus delineavit et mihi imposuit ut « ope consilii peritorum, universum apostolatum Societatis ad illam missionem pro viribus adimplendam » dirigam.

Constat quam arduum sit hoc programma modo concreto exsecutioni mandare, tamen ipsum problema atheismi, quod secundum Concilium Vaticanum II « inter gravissimas huius temporis res » adnumerandum est [1], atque mandatum Summi Pontificis et iussio Congregationis Generalis nos urgent ut divulgationi idearum saecularismi et atheismi secundum vires nostras obstemus.

Munus nobis commissum viribus iunctis adimpleri debet et ideo rogo te ut in Provincia tua, nisi hoc iam factum sit, saltem duos Patres assignare velis qui, etiamsi in aliis operibus quoque occupentur, de munere Societatis erga atheismum exsequendo in tua Provincia praecipue curent. Hi Patres cum aliis Patribus in Provinciis vicinis idem munus habentibus, vel si tota Assistentia eiusdem linguae vel nationis est et facile fieri potest, cum omnibus huius operis Assistentiae moderatoribus, saltem bis in anno conveniant ut labores secundum circumstantias praeparent et coordinent.

Nostra methodus laborandi omnino sit caritate plena, ut in quantum possibile est, illos Christo lucremur. Ideo Patres quos

[1] Cfr. CONC. VAT. II, *De Ecclesia in mundo; Gaudium et Spes* - n. 19.

ad hoc munus assignabis, sint in arte relationum humanarum versati, idearum novarum atque psychologiae atheorum gnari, qui difficultates agnosticorum tum theoreticas tum practicas bene intellegere et labores inter illos prudenter dirigere et coordinare poterunt.

Faveas nomina coordinatorum huius laboris mecum communicare. Patres vero ipsos rogare velis ut de programmatibus et laboribus in tua Provincia faciendis et factis Patrem Assistentem Andream Varga certiorem reddant, qui mihi de statu et progressu laborum referet.

Iuvat in mentem revocare dicta Summi Pontificis: « Quod libentius et alacrius perficietis, si mente vestra versaveritis illud munus, in quod absolvendum incumbitis, et nova contentione incumbetis, non fuisse lubitu vestro statutum, sed munus ab Ecclesia, a Summo Pontifice vobis concreditum esse ».

Summus Pontifex labores nostros magna cum sollicitudine prosequitur et in audientia privata mihi concessa de progressu laborum se informatum esse voluit. Faxit Deus ut expectationi Summi Pontificis plene respondeamus.

Commendo me tuis ss. Sacrificiis.

Romae, die 31 iulii 1966
in festo Sancti Patris Ignatii

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

32. **15 augusti 1966**

Regio Vietnamensis-Thailandica constituitur.

R. P. FRANCISCO BURKHARDT, S. J.
PRAEP. PROV. EXTREMI ORIENTIS

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Clarius in dies apparet quam difficilis sit gubernatio totius tam extensae et diffusae Provinciae, si unico Superiori Maiori commissa manet. Plene adhaereo sententiae tuae et Consultorum tuorum, quae suadet ut quamprimum aliqua divisio fiat, praecipue

quoad territorium Vietnamense et Thailandicum, ubi haud parvus numerus Nostrorum nunc laborat et graviora problemata pro Ecclesia et Societate propter praesentem situationem politicam orta sunt. Opportunum igitur videtur illud territorium in Regionem magis autonomam erigere et eius administrationem Superiori dependenti cum potestate Superioris Maioris committere, ut praedictis difficultatibus, quatenus fieri potest, apte provideatur.

Itaque, lumine divino enixe implorato, auditis praeter te tuosque Consultores Assistentibus Generalibus necnon Assistente Regionali Asiae Orientalis, haec quae sequuntur in Domino decerno:

Una atque integra remanente Provincia Extremi Orientis, erigitur Regio Vietnamensis-Thailandica, quae complectetur duo territoria eiusdem nominis atque administrabitur a proprio Superiore cum potestate Superioris Maioris, a Praeposito Generali nominando.

Ad novam Regionem pertinebunt omnia opera et domus Societatis intra idem territorium nunc exsistentia vel in posterum ibi erigenda.

Quod attinet ad socios, Superioris Regionis iurisdictioni subsint omnes Nostri civitatem Vietnamensem vel Thailandicam habentes, qui vel hucusque vel in posterum adscripti sunt vel erunt tamquam socii Provinciae, et insuper omnes qui actu sunt vel erunt a Provinciali applicati domibus vel operibus eiusdem territorii. Provincialis autem applicatos ne avocet e territorio Regionis neve ei novos applicet nisi audito Superiore Regionis. Erga hos omnes, sive in Regione degentes sive extra eam, Superior Regionis iurisdictionem habebit tamquam eorum Superior Maior immediatus.

Praepositi Provinciae Extremi Orientis erit singulis annis saltem duos Scholasticos extraneos in Regionem mittere, donec Praepositus Generalis aliter statuerit.

Superior Regionis iis facultatibus iisque officiis gaudebit quae Praepositis Viceprovinciarum dependentium tribui solent, suosque habebit Consultores a Praeposito Provinciae Extremi Orientis nominandos.

Intra territorium Regionis igitur, inter alia, suos ab una domo ad aliam libere transferet, visitationes annuas domorum instituet, rationes conscientiae accipiet. Negotia cum Praeposito Generali tractanda fiant iuxta Regulam 4am Praepositi Viceprovinciae dependentis. Convenit autem ut Provincialis Extremi Orientis quandoque visitet Regionem ut personas et res melius cognoscat.

Quoad epistolarum commercium in Regione ex officio cum Praeposito Generali et cum Provinciali, serventur normae quae

Superioribus et Consultoribus Viceprovinciarum dependentium in Instituto praescribuntur [1].

Impraesentiarum nulla erit communium bonorum divisio inter Provinciam et Regionem; propterea ex Arcis Provinciae solventur sumptus communes Regionis. Ut autem habeatur ordinata et stabilis ratio eiusmodi sumptus solvendi, Provincialis cum Superiore Regionis conventum ineat atque Praeposito Generali approbandum proponat.

Si in his normis exsequendis ortum fuerit dubium, id Praeposito Generali proponatur solvendum.

Hae litterae in omnibus domibus Provinciae Extremi Orientis die 8 septembris 1966, in festo Beatae Mariae Virginis Nativitatis, ad mensam legantur, ab illoque die haec nova ratio territorii Regionis gubernandi vigere incipiat.

Dominus Noster, intercedente Beatissima Virgine Maria, faxit ut hac administrationis divisione facta, opera apostolica in Regione, necnon in reliqua tota Provincia Extremi Orientis, magis magisque promoveantur et evolvantur, ad maiorem Dei gloriam.

Commendo me ss. SS.

Romae, 15 augusti 1966
in festo B. M. V. in Caelum Assumptae.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

33. **15 augusti 1966**

Auxilium spirituale pro altera sessione Congregationis Generalis petitur.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM

PATRES FRATRESQUE CARISSIMI,
P. XTI

Appropinquante altera Sessione Congregationis Generalis XXXI, quae eventum constituit maximae significationis in historia nostrae Societatis, vestrum zelum et caritatem appello, ut nos omnes, membra eiusdem familiae, mutuae unionis sensu devincti « communem

[1] Cfr. *Epit.* n. 860.

mentem » exhibeamus communique proposito decretis Concilii Vaticani II eorumque spiritui obsecundemus quo plenius exsequamur « Dei beneplacitam ac perfectam voluntatem iuxta scopum vocationis nostrae » [1].

Congregatio Generalis « accommodatam renovationem » nostrae vitae religiosae intendit atque illam « viam plene apertam » (*ibid.*) nobis ostendere vult quae actuatio est vocationis, quam Deus Ignatio nostro Parenti inspiravit.

Officii igitur nostri est Fundatoris nostri spiritum propriaque proposita perscrutari et ad ea omnia nos convertere quae nostri Instituti patrimonium constituunt [2]. Oblivisci vero non debemus hominum, temporumque condicionum et Ecclesiae necessitatum [3], ita ut nostrae vitae accommodatio ea sit, quam Ecclesia in hodierno mundo exoptat.

Haec tamen accommodatio obtineri nequibit nisi animetur « renovatione spirituali, cui semper etiam in operibus externis promovendis primae partes tribuendae sunt » [4], et « nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus » fiat [5].

Primum locum in hac communi opera oratio habebit quam in omnibus Sanctus Ignatius desideravit et quaesivit quamque in Constitutionibus expresse commendavit. « Curabunt praeterea Superiores ut omnes qui sub oboedientia Societatis vivunt, cotidie in orationibus et in Missarum sacrificiis plurimum Deo commendent eos qui ad Generalem Congregationem se conferant, et simul ut, quidquid in ea transigetur, ad maius obsequium et laudem et gloriam divini Nominis cedat », « quia ex prima et summa Sapientia descendat oportet lux ea, qua diiudicari possit quid statuere conveniat ... ut omnia ad maiorem Dei gloriam constituantur » [6].

Aliud cooperationis genus iam vos praestitistis, cum vestra Postulata ad Congregationem Generalem detulistis, cumque sic Decreto conciliari commendante, interrogati et auditi plures vestrum fuistis « in his quae ad totius instituti sortes spectant » [7], sive privatim per litteras, sive in variis conventibus qui instituti fuerunt ad hanc secundam Sessionem praeparandam.

Tertius denique cooperationis modus, et quidem summi momenti est prompta acceptatio « sicut e manu Dei » resolutionum,

---

1 M. I., ser. III, t. I, p. 2.
2 Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis,* 2-b.
3 *Ibid.* 2-c.
4 *Ibid.* 2-e.
5 *Ibid.* 4.
6 *Const.* P. VIII, cc. V, 4; VII, 1; [693] [711].
7 Conc. Vat. II, P. C. 4.

quae suo tempore promulgabuntur; eae enim voluntatis divinae erunt nobis signum.

Hoc pacto illam unitatem comparabimus adeo necessariam « ut bonus status ac procedendi modus huius Societatis conservetur » [8]. Ipsa « unio personalis in Congregatione, illi praecise animorum unioni deservit, sine qua nec conservari, nec regi atque adeo nec finem ad quem tendit Societas ad maiorem Dei gloriam consequi potest » [9].

Huius vero unionis « praecipuum vinculum ... amor est Dei ac Domini nostri Iesu Christi » [10]. Hoc ipso amore texitur « oboedientiae vinculum » per quod « unio magna ex parte conficitur » [11].

Nostri Sancti Parentis vestigia sequentes illud Spiritus Sancti lumen petamus, quod Ignatius ardenter efflagitabat. Sicut olim discipuli Domini, sic etiam « omnes perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Eius » simus [12]. Sit nostra minima Societas tanquam Cenaculum per universum orbem diffusum.

Preces speciales quae durante Prima Sessione in communi fiebant, per alteram quoque Sessionem dicantur. In omnibus Domibus hymnus *Veni Creator* cotidie recitetur iam a die 5 septembris, quo inchoatur triduum recollectionis praevium, usque ad Congregationem absolutam.

Iuxta privatam devotionem ea omnia media adhibeamus, ad illam Dei gratiam impetrandam quae nobis tam necessaria in hoc hodierno tempore est.

Luminis Dei Eiusque Virtutis copia in Patres Congregationis descendat, ut ferre decisiones valeant, quae nos ad Societatis finem attingendum sapienter perducant.

Commendo me omnium precibus.

Romae, die 15 augusti 1966,
in festo B. V. M. in Caelum Assumptae.

Vester in Domino
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

---

[8] *Const.* P. VIII, c. I, 2.
[9] *Ibid.* P. VIII, c. I, 1 [655].
[10] *Ibid.* P. VIII, c. I, 8 [671].
[11] *Ibid.* P. VIII, c. I, 3 [659].
[12] ACTA APOST. 1, 13.

34. **9 septembris 1966**

De Nuntiis Congregationis Generalis.

AD OMNES PP. SOCIOS SUPERIORUM MAIORUM

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Congregatio Generalis XXXI, ineunte prima sessione, decrevit instituendum esse Officium Informationis, ut tum Nostri tum externi certiores fieri possent circa quaedam quae in ipsa Congregatione fierent. Pro Nostris igitur editi sunt Nuntii Congregationis Generalis XXXI, qui etiam inter hanc alteram sessionem ad Provincias mittentur, et quidem iuxta has normas:

1) Textus latinus Roma mittetur tantum ad omnes Patres Socios Superiorum Maiorum.

2) Versio anglica, Romae praeparata, mittetur directe ad omnes domos Assistentiarum Americae, Indiae et Asiae Orientalis, atque ad domos Provinciarum Angliae, Australiae, Canadae Superioris, Hiberniae et Melitensis, necnon ad domos Missionum dependentium a Provinciis harum Assistentiarum.

3) Patrum Sociorum erit curare ut Nuntius cum Patribus et Fratribus in Stationibus missionariis communicetur.

4) Reliquae versiones praeparabuntur in ipsis Provinciis et ad domos directe mittentur.

Speratur fore ut sic informationes de Congregatione Generali sine longa mora communicentur cum omnibus Nostris, quorum precibus labores Patrum Congregatorum iterum enixe commendantur.

Commendo me ss. SS.
Romae 9 septembris 1966.

Tibi in Xto addictissimus
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

35. **27 septembris 1966**

De doctrinalibus erroribus et periculis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Ut tibi forsan iam notum est, Em.mus Cardinalis Alfredus Ottaviani, Pro-Praefectus S. Congregationis pro Doctrina Fidei, ad Praesules Conferentiarum Episcopalium, per quos cum Ordinariis locorum communicanda erat, epistolam die 24 iulii 1966 (Prot. N. 871/66) misit « de abusibus in doctrina Concilii interpretanda invalescentibus, necnon de peregrinis et audacibus opinionibus hic illic insurgentibus quae plurium fidelium animos non parum pervertunt ». Qua epistola huiusmodi errores et pericula, summaria synthesi collecta, locorum Ordinariis exhibentur, « ut pro suo quisque munere et officio satagant ad ea compescenda vel praecavenda », et rogantur ut « in propriis Conferentiis Episcopalibus adunati de illis agant et ad Sanctam Sedem opportune referant, suaque pandant consilia ante festum Nativitatis D. N. I. Ch. anni currentis ».

Iam vero, prout idem Em.mus Cardinalis litteris diei 10 augusti 1966 Superioribus Generalibus Religiosis significavit, Summus Pontifex statuit ut exemplar supradictae epistolae etiam cum Superioribus Maioribus Religiosis communicaretur [1], qui item rogantur ut ante proximum festum Nativitatis D. N. I. Ch., Sanctae Sedi referant suas quisque sententias de hac re necnon opportuna remedia quae, quatenus ad sua Instituta religiosa spectant, applicanda esse iudicaverint.

Exemplar igitur huius epistolae cum his litteris tecum communico, rogans ut mihi ante diem primam proximi mensis decembris relationem mittas tum de talibus erroribus et periculis in vestris regionibus forte invalescentibus, tum de remediis quae tibi videantur applicanda. Haec relatio conficienda, si laboribus Congregationis Generalis adeo es occupatus ut eam tempestive praeparare non valeas, Vicepraeposito vel Vicesuperiori, qui te absente gubernat, aut etiam alio apto Patri committi poterit. Haec res iuxta voluntatem eiusdem S. Congregationis sub stricto secreto

[1] Cfr. superius p. 695.

servanda est. Quod tamen ad nos attinet, modo omnino reservato tractetur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 27 septembris 1966.

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

36. **13 novembris 1966**

Constituuntur Consiliarii Patris Generalis pro rebus africanis et rebus islamicis.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

His litteris te certiorem facio me, auditis Patribus Assistentibus Generalibus, hodie constituisse Consiliarium Patris Generalis pro rebus africanis P. Victorem Mertens, hucusque Praepositum Provinciae Africae Centralis, atque Consiliarium Patris Generalis pro rebus islamicis, P. Ioannem Williams, Superiorem Missionis Iraquensis.

Munus horum Consiliariorum, qui iurisdictione non gaudent, est investigationes faciendo, alios audiendo, informationes et proposita referendo, validum auxilium mihi praestare in apostolatu in Africa atque apostolatu islamico promovendo et coordinando. Rogo ut omnes Superiores, sive Maiores sive locales, aliique Nostri, quorum interest, his meis Consiliariis liberum accessum ad informationes atque ad personas, opera et domos libenter concedant, iisque omne aliud auxilium ad eorum munera rite exsequenda benigne praebeant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 13 novembris 1966.

Tibi in Domino addictissimus,
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

37. **17 novembris 1966**

De litteris ex officio — De facultatibus liturgicis — De systemate TELEX.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

His litteris te certiorem facio Patrem Generalem ab obligatione litteras ex officio *ineunte proximo mense ianuario* scribendi dispensavisse Superiores locales, Consultores domorum et Provinciae aliosque qui iuxta normas Epit. Inst. nn. 859, 860 et 861 § 2 has litteras scribere tenentur. Nam tam Pater Generalis et Patres Assistentes, quam Superiores Maiores et alii his proximis mensibus magnopere occupabuntur in decretis Congregationis Generalis XXXI promulgandis, diffundendis et, quatenus nunc fieri potest, in exsecutionem mandandis. Ex altera parte relationes de statu domorum et Provinciarum sine dubio maioris momenti erunt postquam nova decreta et normae Congregationis verum et stabilem influxum in vitam religiosam et ministeria Societatis exercere inceperint. Accedit quod Superiores Maiores et alii Electores, sive in conventibus sive in particularibus colloquiis cum Patre Generali et Patribus Assistentibus, sive etiam in ipsis sessionibus Congregationis Generalis, multa Romae referre potuerunt de Provinciis et domibus.

Velis igitur omnes, quorum interest, de hac dispensatione concessa certiores facere, iis tamen simul indicans omnes, quamvis dispensatos, suas litteras ex officio libere mittere posse, si voluerint. Quo facilius certiores fiant, curabo ut exemplaria harum litterarum pro singulis domibus in Provincias mittantur.

Hanc nactus occasionem, tibi etiam notum facio S. Congregationem Rituum, quatuor Rescriptis die 14 octobris 1966 datis [1], quasdam facultates liturgicas prorogavisse, scilicet:

1) Ad quinquennium, ut solemnitas externa festorum SS. Aloisii Gonzaga, Ioannis Berchmans et Stanislai Kostka celebretur « in Collegiis Societatis Iesu vel eidem commissis aptiori die a Rubricis permisso, in bonum alumnorum ... cum unica Missa in cantu et altera lecta propriis, vel cum duabus Missis lectis propriis, dummodo non occurrat dies liturgicus I classis » (Prot. N. S. 58/966).

---

[1] Cfr. superius p. 698.

2) Ad quinquennium, ut celebretur una Missa votiva in honorem S. Ignatii die quo Exercitia Spiritualia clauduntur, dummodo non occurrat dies liturgicus I classis, et cum una tantum Missa in honorem S. Ignatii (Prot. N. S. 59/966).

3) Ad decennium, ut solemnitas externa festi S. Thomae Aquinatis celebretur « in domibus philosophicis ac theologicis eiusdem Societatis, vel eiusdem curis commissis, die praecedenti vel sequenti Dominicam 7 martii, quando festum S. Thomae dominico die incidit, ... cum duabus Missis propriis, dummodo non occurrat dies liturgicus I classis » (Prot. N. S. 60/966).

4) Ad decennium, ut festum S. Stanislai Kostka sub gradu II classis celebretur in Domibus Probationis seu Noviciatibus nostrae Societatis (Prot. N. S. 61/966).

Hac denique occasione etiam utor ad tibi significandum experimentum in adhibendis instrumentis « telescribentibus » seu systemate TELEX, de quo omnibus Superioribus Maioribus mense aprili 1966 scripsi, esse in indefinitum dilatum. Nam, amotis contra nostram exspectationem optimis condicionibus oeconomicis quae ad stationem TELEX in nostra Curia instituendam oblatae erant, in praesens omittere cogimur experimentum, quod propter nimias expensas non iam iustificari videtur. Spes tamen datur fore ut aliquo tempore futuro, adiunctis mutatis, id denuo aggredi possimus.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 17 novembris 1966.

Tibi in Domino addictissimus,
IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

38. **17 novembris 1966**

Erigitur Viceprovincia independens Goiano-Minensis.

DECRETUM

PETRUS ARRUPE
PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU

Historiam recolentes Viceprovinciarum dependentium, quae labente tempore ad independentiam evehuntur, ad profundas gratias agendas excitamur Datori omnis boni, quod Ille, qui solus dare potest, initium his nostris operibus et incrementum dederit. Pro-

vincias vero quae constanti et indefesso conatu proprias Viceprovincias dependentes eo adduxerunt, ut ad emancipationis aetatem feliciter pervenirent, congratulatur Societas, gratias refert, benedicit.

Haec quidem cum gaudio confirmata videmus in historia Viceprovinciae Goiano-Minensis, quae, seiuncta anno 1952 ex Provincia Brasiliae Centralis et a Provincia Legionensi dependens constituta, intra sequentes quattuordecim annos adeo crevit, praesertim operum abundantia, ut iam habeat, praeter Curiam eique adnexam Residentiam, Seminarium Minus Societatis, Universitatem Catholicam Goianensem, Collegia tria, Belhorizontinum nempe, Iudiciforense et Usiminense, Scholam Technicam Electronicae ad Santa Rita, Centrum Culturale Brasiliense eique adnexum Nationale Centrum Informationis et Actionis Socialis, Belhorizontinam Domum Exercitiorum, Paulopolitanam Residentiam pro « Editionibus Loyola », et tres paroecias; quibus addendus est multiplex apostolatus per praesentiam et activitatem Patrum in Institutionibus tum Ecclesiae tum Status.

Licet numerus sociorum nondum sit abundans, perspecta tamen media eorum aetate, quae relative iuvenilis est, necnon, ope formationis specialis eorum in dies crescenti habilitate ad apostolatum, fiduciam iure nutrire possumus opus incoeptum, Deo mediante, magnos progressus habiturum esse. Praeterea fundata spes datur copiam sodalium in posterum auctum iri per strenuos conatus qui ad instituendas et fovendas vocationes constanter fiunt.

Proinde, re diu et multum coram Deo perpensa, divino auxilio humiliter implorato, auditisque Praepositis Provinciae Legionensis et ipsius Viceprovinciae eorumque Consultoribus, necnon Assistentibus Regionalibus Hispaniae et Americae Latinae Meridionalis, adhibitisque in consilium Assistentibus Generalibus, pro ea potestate quae Litteris Apostolicis et Societatis Constitutionibus Praeposito Generali conceditur, haec quae sequuntur in Domino decernimus:

1. Viceprovinciam Goiano-Minensem hucusque a Provincia Legionensi dependentem in Viceprovinciam independentem erigimus, eodem retento nomine, quae ad Assistentiam Americae Latinae Meridionalis pertinebit, ei tributis omnibus iuribus et officiis quae Viceprovinciis independentibus ex Instituto Societatis competunt.

2. Territorium Viceprovinciae Goiano-Minensis erit territorium hodiernae Viceprovinciae dependentis; domus igitur omnes et opera in illo territorio exsistentia, necnon Paulopolitana Residentia S. Petri Canisii in Provincia Brasiliae Centralis constituta, iurisdictioni Viceprovinciae independentis commissa manebunt.

3. Ad socios quod attinet, nisi Praepositus Generalis in singulis casibus aliud statuerit, Viceprovinciae Goiano-Minensi pleno iure adscribuntur: a) ii qui hucusque Viceprovinciae dependenti stabili modo adscripti sunt, non exclusis iis qui aliis Provinciis vel Viceprovinciis sint in praesens applicati; b) ii qui ex Provincia Castellana hucusque Viceprovinciae dependenti erant applicati.

Ii vero qui intra octo sequentes annos a Provincia Legionensi ad Viceprovinciam destinabuntur, eidem Viceprovinciae applicati censebuntur. Viceprovinciae vero non adscribentur nisi postquam saltem quinque annos sive cumulative sive continue in Brasilia commorati sint. Quae etiam norma illis applicetur, qui ultimis annis ad Viceprovinciam destinati in Brasiliam venerint, talem quinquennem commorationem tamen nondum expleverint. Qui autem ex aliis Provinciis vel Viceprovinciis huic Viceprovinciae hucusque erant applicati, eodem modo permaneant, exceptis iis qui, ex mutuo consensu Superiorum Maiorum, quorum interest, avocandi videantur.

Auxilium personarum a Provincia Legionensi praestandum sic intelligendum est: Provincia Legionensis intra octo sequentes annos, qui a Praeposito Generali pro adiunctis prorogari poterunt, singulis annis mittet ad Viceprovinciam Goiano-Minensem numerum sociorum aequiparatum nonae parti circiter eorum qui prima vota unoquoque anno huius periodi in Provincia emittant; qui autem mittentur, ex quocumque stadio formationis et ex quocumque gradu esse poterunt.

4. Quoad res temporales, Viceprovincia inde a sua constitutione ut dependens a Provincia Legionensi, plena autonomia gavisa est. Bona igitur Arcarum Seminarii, Fundationum aliarumque in Viceprovincia nunc exsistentium, ad eandem iam independentem pleno iure pertinere pergant. Praeterea Provincia Legionensis intra octo sequentes annos, qui a Praeposito Generali prorogari poterunt, solvet pensionem Patrum Viceprovinciae, qui Tertiam Probationem Salmanticae agant; itemque Fratrum Coadiutorum, si Tertiam Probationem in Hispania egerint.

5. De suffragiis pro defunctis Provinciae et Viceprovinciae, in mutui amoris grataeque memoriae testimonium, sequens consuetudo servetur: Intra decem sequentes annos, nuntius de defunctis quam primum mutuo communicetur ut Nostri pia suffragia pro eorum anima ex devotione, non autem ex obligatione, offerre valeant.

Si quae oriantur dubia, aut de iis quae in hoc decreto continentur aut de eius exsecutione, Praeposito Generali solvenda referantur.

Hoc nostrum decretum proximo die 8 decembris, Immaculatae Conceptioni Mariae Virginis sacro, in omnibus saltem maioribus Domibus Provinciae Legionensis et in omnibus Domibus Viceprovinciae Goiano-Minensis ad mensam legatur, ex quo die plenam vim suam obtineat.

Denique, enixe precamur ut quae a nobis hac die statuta sunt, ea benignissimus Dominus et Rex noster, Beatissima Deipara Virgine ab Aparecida deprecante atque S. P. N. Ignatio cum Beatis Rocho González et Sociis intercedentibus, rata habere dignetur atque huic novae Viceprovinciae independenti Societatis nostrae copiose benedicere et constanter favere, quo magis magisque sodales et merito augeantur et numero, atque eius opera et apostolatus in dies floreant, ad maiorem Dei gloriam et ad aedificationem Mystici Corporis Christi.

Datum Romae, die 17 novembris 1966,
in festo Beatorum Rochi González et Sociorum.

PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

J. W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

39. **22 novembris 1966**

Erigitur Viceprovincia independens Hongkongensis.

DECRETUM

PETRUS ARRUPE
PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU

In parvam insulam Hongkongensem, die 2 decembris 1926, appulsi sunt duo Patres e Provincia Hiberniae, apostolatum, docendo praesertim scribendoque, petente Exc.mo D. Henrico Valtorta, Vicario Apostolico, exercituri. Hic inter Sinenses apostolatus Patres et Fratres Hiberniae, generoso spiritu missionario imbutos, fortiter attraxit, ideoque post non longum tempus Patribus Georgio Byrne et Ioanni Neary occurrerunt plures eorum socii, quorum strenuis laboribus Deus adeo benedixit ut, vix quindecim post eorum adventum annis, Seminarium Regionale pro Sinis meridionalibus, duo Collegia alumnorum atque Residentiam pro alumnis universitariis iam dirigerent, necnon in apostolatu intellectuali et

in ephemeridibus aliisque eiusmodi commentariis edendis magno gauderent successu.

Missio autem multa pati debuit inter alterum bellum mundiale, quo tamen denique terminato, vires cito recuperavit et etiam in continentem Sinensem sese extendit, quaedam opera in universitatibus scholisque mediis docendo, parochiam administrando, studentium centrum dirigendo, quae opera, proh dolor, unum post alium post communistarum adventum relinquere est coacta, ultimo socio anno 1953 exulante. In Hongkong apostolatus necessitudines miro modo crescebant; profugorum fluxus numerum incolarum a 1,000,000 ad 3,000,000 auxit. Vocationibus indigenis interim crescentibus, Missio suum instituit Noviciatum atque apostolatum extendit ad insulam Singaporensem et peninsulam Malayanam, ubi nunc tres paroecias atque duas Residentias pro alumnis universitariis dirigit.

Considerata igitur aucta proportione inter socios indigenas et alios in Missione, quo magis reliquis Missionibus in Asia assimilaretur necnon vincula caritatis atque cooperationis cum Provinciis vicinis corroborarentur, Congregatio Missionis, mense februario anni 1965 celebrata, postulavit ut Missio Hongkongensis iuridice independens fieret atque ad Assistentiam Asiae Orientalis transferretur.

Quapropter, divino implorato lumine, adhibitis in consilium Patribus Assistentibus Generalibus et Patribus Assistentibus Regionalibus Angliae et Asiae Orientalis, auditis quoque Praepositi Hiberniae et Superioris Missionis Hongkongensis eorumque Consultorum sententiis, censemus ulterius non esse differendam erectionem Missionis Maioris Hongkongensis in Viceprovinciam independentem. Propterea, pro ea quam Litterae Apostolicae et Constitutiones Societatis nobis conferunt potestate, haec quae sequuntur in Domino decernimus et statuimus:

1) Missionem Maiorem Hongkongensem in Viceprovinciam independentem erigimus et eam transferimus ab Assistentia Angliae ad Assistentiam Asiae Orientalis.

2) Territorium novae Viceprovinciae erit territorium hodiernae Missionis Hongkongensis, cui adiungitur Residentia Macaensis hucusque ad Provinciam Extremi Orientis pertinens.

3) Novae Viceprovinciae pleno iure adscribantur, etiamsi aliis Provinciis sint impraesentiarum applicati, a) omnes socii qui civitatem Hongkongensem vel alius nationis Asiaticae habentes hucusque adscripti sunt tamquam socii Missionis; b) itemque omnes alii socii eidem Missioni hucusque adscripti tamquam socii, qui

vota ultima iam nuncupaverunt quaecumque sit eorum Provincia originis.

4) Novae Viceprovinciae applicati maneant, a) ii socii ex alienis Provinciis vel Missionibus, qui Missioni Hongkongensi hucusque applicati sunt; b) ii civitate non-Asiatici qui, etsi Missioni Hongkongensi hucusque adscripti, ultima vota nondum nuncupaverunt. Hi ultimi vero, cum in posterum ad gradum promoti fuerint, novae Viceprovinciae adscripti eo ipso habeantur et sint, nisi Praepositus Generalis aliud in singulis casibus statuerit. Qui autem novae Viceprovinciae applicati fuerint, ne in propriam Provinciam revocentur nisi ex mutuo consensu Superioris Maioris cuius interest, et Viceprovincialis Hongkongensis.

5) Domus omnes et bona mobilia et immobilia Societatis in territorium Missionis Honkongensis et bona Residentiae Provinciae Extremi Orientis in civitate Macaensi existentis in novae Viceprovinciae iurisdictionem transibunt, sicut et omnes fundationes et accessiones Societatis in eodem territorio in posterum faciendae.

6) Viceprovincia Honkongensis, etsi iuridice independens et sui iuris, commissa manebit Provinciae Hiberniae, quae eam hominibus et pecuniis, prout vires et adiuncta permittent, adiuvare perget, perinde ac hucusque fecit. Convenit etiam ut Praepositus Provinciae Hiberniae suos in Viceprovincia Hongkongensi degentes visitet, non quidem tamquam auctoritatem in eos vel in ulla eorum negotia habens, sed ut necessitates apostolicas in loco discat et suis a patria eo translatis solatium et animum afferat.

7) Impraesentiarum simili modo manebit commissa Provinciae Extremi Orientis Residentia Macaensis quae transit in Viceprovinciae Hongkongensis iurisdictionem, donec aliter Praepositus Generalis statuerit.

8) Ii socii Provinciae Hiberniae, qui in posterum in Viceprovinciam Hongkongensem missi fuerint, eidem erunt adscripti, si vota ultima iam nuncupaverunt; secus vero Viceprovinciae Hongkongensis manebunt applicati, donec ad gradum promoti fuerint, quo tempore eidem Viceprovinciae eo ipso erunt adscripti, nisi Praepositus Generalis aliud in singulis casibus statuerint.

9) Socii Provinciae Extremi Orientis in Residentia Macaensi habendi sunt tamquam applicati Viceprovinciae Hongkongensi.

10) In mutui amoris grataeque memoriae testimonium Viceprovincia Hongkongensis cum Provincia Hiberniae piam conventionem de suffragiis pro defunctis etiam in posterum invicem peragendis ineat nobisque approbandam proponat.

11) Dubia, si quae occurrant de hoc decreto in exsecutionem mandando, nobis proponantur solvenda.

Hoc nostrum decretum proximo die 3 decembris, Sancto Francisco Xaverio sacro, in omnibus domibus Provinciae Hiberniae et Missionis Hongkongensis secundum morem ad mensam legatur, ab eoque die plenam suam vim obtinebit.

Quod reliquum est, intercedentibus Beata Deipara Virgine et Suo Sponso Beato Ioseph, Sinensium Patrono, supremum Ducem nostrum ac Dominum Iesum Christum humillime exoramus ut de caelo quod decreto statuimus ratum habere huicque negotio ad optatum finem perducto abundanter benedicere dignetur, ita ut in hac dominici agri parte excolenda copiosiores melioresque in dies fructus ad maiorem Dei gloriam percipiantur.

Datum Romae, die 22 novembris 1966.

PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

IACOBUS W. NAUGHTON
Secr. Soc. Iesu

40. **28 novembris 1966**

Quaedam facultates communicantur.

AD OMNES SUPERIORES MAIORES

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI

Litteris diei 10 octobris 1965[1] cum omnibus Superioribus Maioribus iam communicavi quasdam facultates ex iis quas Congregatio Generalis XXXI suffragatione diei 12 iulii 1965 Praeposito Generali communicandas commendaverat. Nunc autem, consentientibus Patribus Assistentibus Generalibus, cum omnibus Superioribus Maioribus has ulteriores facultates communico, adhibendas tamen iuxta normas vel cautelas quae de singulis indicantur.

1) Facultatem « permittendi, boni Religiosorum causa, sacerdotibus subditis suis tantum, iusta de causa, ut Missam qualibet diei hora in suis domibus celebrent et sacram Communionem

[1] AR XIV 651, 652.

distribuant; servatis ceteris servandis, et salvis iuribus Ordinarii loci, quod spectat ad Missam per utilitatem fidelium celebrandam »[2].

Animadvertendum est terminum *subditis suis* comprehendere omnes Nostros sacerdotes in territorio iurisdictionis alicuius Superioris Maioris versantes, nec excludi Nostros ex alienis Provinciis qui ad domum nostram accedunt, quin in eadem diu noctuque manere intendant. Quia autem necessitas huius facultatis saepe ex causa repentina oritur, Superior Maior eam concedere potest omnibus Nostris in suo territorio commorantibus, sub condicione approbationis Superioris localis.

Bonum Religiosorum, de quo agitur, iam est causa iusta et potest esse sive bonum ipsius religiosi celebrantis, v. g. si ob iter, ob labores, ob infirmitatem, horis antemeridianis celebrare nequit, sive bonum aliorum religiosorum, v. g. si religiosi, qui non sunt sacerdotes, ob easdem vel similes causas mane Missae assistere nequeunt. Praeterea, iuxta peritos, eadem facultas adhiberi potest etiam in favorem illorum, qui in religiosa domo diu noctuque degunt causa famulatus aut educationis aut hospitii aut valetudinis, dummodo adsit iusta causa et Missa celebretur in domo religiosorum. Curandum autem est ut facultas adhibeatur nonnisi in domibus Societatis vel in ecclesiis et oratoriis his domibus annexis; licet tamen uti facultate etiam in domibus ubi Nostri ferias peragunt, in villis, etc., etsi non sint canonice erectae. Non autem prohibetur quominus fideles admittantur si Missa celebratur in favorem Nostrorum; sed laederetur ius Ordinarii loci si in oratorio publico aut in ecclesia religiosorum regulariter hora determinata Missa celebraretur, sine eius licentia, sub praetextu quod Missa celebratur boni unius alteriusve religiosi causa.

2) Facultatem « concedendi sacerdotibus subditis suis facultatem Missam celebrandi in domo religiosa extra locum sacrum, sed loco honesto et decenti, excepto cubiculo, supra petram sacram, aut, si de Orientalibus agatur, supra *antimension*: quod concedi tantum potest per modum actus, et iusta de causa; si vero de constanti eiusmodi celebratione agatur, causa gravior requiritur »[3].

Haec facultas adhiberi potest tantum in domibus nostris, etiam canonice non erectis, aut in horto annexo, in oratorio privato aut in loco profano. Oportet vero ut locus sit mundus et non destinatus usibus minus dignis. Nominatim autem excluditur cubiculum in quo aliquis dormire solet. Iusta causa potest esse bonum alicuius religiosi individui, v. g. infirmi, qui in oratorio Missam celebrare aut Missae assistere non potest, aut etiam bonum com-

[2] Rescr. Pont. 6 nov. 1964, n. 1.
[3] Rescr. Pont. 6 nov. 1964, n. 4.

munitatis, v. g. quia oratorium reficitur aut nimis frigidum est. Inter causas graviores, ob quas constans eiusmodi celebratio concedi potest, certo reputanda est necessitas, ob quam religiosi secus Missae assistere non possent.

3) Sacerdotes Nostri in casu necessitatis possunt, approbante Superiore, Missam sine ministro celebrare in iis oratoriis domorum nostrarum ad quae fideles ordinarie non accedant. Eadem facultate sub data condicione gaudent etiam in Nostris ecclesiis et oratoriis quae habitualiter christifidelibus pateant: in quo casu tamen Superiores in approbatione concedenda multo difficiliores se praebeant et cum maxima prudentia procedant. Nam usus facultatis in talibus adiunctis facile potest mirationem apud fideles gignere et insuper iustam offensionem Ordinariis locorum irrogare cum consequentiis perquam molestis. Ex altera parte necessitas Missam sine ministro modo privato in domo nostra celebrandi haud difficulter oriri potest, v. g. ne Fratres Coadiutores (et a fortiori pueri, puta in Collegiis) obligentur ad duabus Missis inserviendum; ne notabilis pars Scholasticorum abesse obligetur a Missa communitaria, etc. (Fac. vic. n. 6).

4) Facultatem tum candidatos ad Societatem Sacris Ordinibus recipiendis destinatos, tum eos qui iam ingressi sunt dispensandi a canonica irregularitate ex defectu, si illegitimi, etiam publici, fuerint [4], atque a simplici impedimento canonico, si fuerint filii quorum uterque aut saltem alteruter parens sit acatholicus [5]. Hac autem facultate, olim cum Provincialibus communicata (cfr. Comp. Priv. nn. 164, 165, 168, 170) nec revocata, iam gaudent Superiores Maiores; eius autem communicatio hic specifice confirmatur. In facultate vero adhibenda Superiores Maiores provideant ut periculum mirationis removeatur neve omittant curare ut scriptum testimonium de dispensatione concessa in Archivo servetur. Notandum est candidatos, ab irregularitate vel simplici impedimento supra indicato dispensatos, eo ipso non iam impediri quominus ad Noviciatum licite admittantur [6].

5) Facultatem prorogandi, iusta de causa, biennii Noviciatus ultra sex menses, donec tam Societati quam novicio de huius admissione ad prima vota « plene in Domino sit satisfactum » [7].

In hac re Societas non obstringitur [8] praescripto iuris communis quod prohibet tempus probationis ultra sex menses prorogari [9].

---

[4] *Epit.* n. 921, 1.
[5] *Ibid.* n. 923, 1.
[6] Cfr. *Epit.* n. 49, 5.
[7] Ex. c. 4 n. 43 [100].
[8] Cfr. Comp. Priv. nn. 471, 303.
[9] I. C. 571 § 2.

Haec tamen facultas non est adhibenda nisi raro et propter rationes vere cogentes. Nam si post duos annos cum dimidio dubia manent de alicuius aptitudine vel maturitate, aut ipse de primis votis nuncupandis adhuc haesitet, generatim vix datur spes fore ut ulterior probatio omnia dubia removeat.

6) Facultatem « permittendi, de consensu sui Consilii, propriis subditis, ut iusta de causa a domo religiosa non ultra annum absint. Quae venia, si infirmitatis gratia detur, usquedum necessitas perdurabit dari potest; si vero obeundi opera apostolatus gratia, etiam ultra annum, iusta de causa, dari potest; dummodo et obeunda apostolatus opera cum finibus Religionis coniungantur, et normae sive iuris communis, sive iuris peculiaris serventur » [10].

Ad validitatem huius permissionis requiritur *consensus Consultorum Provinciae,* nec adhiberi potest in favorem noviciorum inter annum canonicum Noviciatus. Praeter infirmitatem, studia vel opera apostolatus, iusta causa potest haberi v. g. si tempore persecutionis permanentia in domo religiosa est periculosa. Quo diutius autem et quo longius religiosus a domo religiosa propria abest, eo gravior requiritur causa. Si vero causa est permanens et personalis, v. g. quia religiosus non potest vivere in communitate, casus Praeposito Generali proponatur, ut decernat num oporteat indultum simplicis exclaustrationis vel saecularizationis a Sancta Sede petere.

Quod attinet ad durationem absentiae, si causa est alia ac infirmitas, studia vel opera apostolatus, Superior Maior concedere potest etiam bis vel ter absentiam undecim mensium, sed tunc religiosus interim per tempus notabile in domum Societatis redire debet, ut absentia revera interrumpatur. Si vero ob studia vel opera apostolatus absentia concedenda videtur ultra annum, sine approbatione Praepositi Generalis tempus ultra quinquennium ne extendatur.

Notandum est hanc permissionem secum non ferre licentiam vestem laicalem induendi. Sed iuxta Can. 596 Superior Maior aut, urgente necessitate, etiam Superior localis, gravi de causa (quae saepe aderit si religiosus per tempus diuturnum extra domum propriae religionis versatur) permittere potest ut habitum religionis deponat religiosus. Si vero est clericus, religiosus induere debet habitum ecclesiasticum clericis saecularibus in loco ubi commoratur praescriptum. Nec vi huius facultatis religiosus ritus orientalis dispensari potest a praescripto quo « Religiosi paroeciam regentes

---

[10] Rescr. Pont. 6 nov. 1964, n. 15.

in locis a domo suae religionis dissitis socium, necessitatis casu excepto, eiusdem religionis secum habeant » [11].

Superiores Maiores hanc facultatem ne facile concedant, atque sedulo curent ut Nostri, qui extra domos nostras legitime commorantur, adscripti sint alicui nostrae domui, proprium Superiorem habeant, qui eorum curam in re spirituali et materiali gerat atque cui oboedire et a quo necessarias licentias petere debent. Praeterea, nisi infirmitate impediuntur vel ob rationabilem causam a Superiore dispensantur, semel in mense animum collecturi in domum nostram redeant, ubi a saeculo semoti diem transigant.

7) Facultatem permittendi itinera in familiam occasionibus maioris momenti, dummodo arceatur detrimentum sive spiritus et disciplinae religiosae sive laborum vel studiorum Nostrorum, servatis quoque normis quae sequuntur:

Agitur non de brevibus visitationibus faciendis, cum quis ob alias rationes legitimas transit per locum ubi propinqui degunt, aut suos in eadem civitate vel eius vicinitate degentes invisat, sed de itineribus quae pernoctationes in alio loco requirunt.

Ordinarie tantum Superioris Maioris est haec itinera concedere; quae tamen, in casibus urgentioribus, cum Superior Maior vel non vel nonnisi difficulter adiri potest, concedere valet etiam Superior localis. Hic autem circa omnia huiusmodi itinera in antecessum audiendus est, quo securius vitae religiosae atque studiis vel laboribus tum singulorum tum communitatis provideatur. Insuper, si agitur de commoratione in territorio alterius Superioris Maioris, huius consensus in antecessum obtineatur, vel, si res urget, de commoratione saltem certior fiat.

Inter occasiones huiusmodi itinerum, praeter gravem morbum vel mortem parentum eorumve locum tenentium aut fratrum vel sororum, reputari possunt profectus ad diuturnam commorationem in terris exteris, Ordinatio sacerdotalis et prima Missa sive Nostrorum sive arcte propinquorum, anniversaria 25um vel 50um matrimonii parentum, specialis totius familiae conventus, etc.

Ratione habita cuiusque loci habitudinum, quoad distantiam, durationem et frequentiam itinerum debita servetur moderatio. Causae sint proportionate graves, et fundentur in pietate et caritate erga familias vel in motivis apostolicis, neve oblivioni detur spiritus renuntiationis et abnegationis nostrae vitae religiosae necessarius.

Normae vero pro his licentiis concedendis consonae sint nostrae paupertati, ne itinera saepius quam par est, vel ad loca valde remota, vel meri delectamenti causa, vel denique modo luxu-

---

[11] M. P. « Postquam Apostolicis Litteris », can. 181 § 2, 2.

rioso fiant. Numquam autem iter concedatur unice ex eo quod familia vel benefactores ad expensa solvenda parati sint.

Itinera praeterea ne concedantur fixis temporibus, neve permittatur ut v. g. occasione festorum maiorum propter haec itinera omnes vel plurimi domo simul absint. Pernoctationes insuper in ipsa familiae vel amicorum domo ne fiant, in locis in quibus Societas domum habet vel parochus aut alii religiosi de more accepto Nostros ad pernoctandum libenter excipiunt. Denique, praeter diversitates quas diversa singulorum periodus formationis suadet, diligenter evitandae sunt omnes differentiae in hac re tam inter Nostros cuiusvis gradus in eadem domo vel Provincia degentes, quam inter Provincias vicinas. Quare Superiores Maiores eiusdem regionis vel nationis inter se concordent de normis statuendis circa haec itinera, ut in suis territoriis ad bonum commune quaedam uniformitas servetur.

8) Facultatem permittendi ut missionarii in Provinciam originis ad tempus redeant, dummodo consentiat etiam Superior Maior in cuius territorium redeundum est, atque iure speretur fore ut reditus in bonum sive missionarii sive missionis vere conferat. Si autem agatur de concedenda licentia ut omnes missionarii cuiusdam missionis, propter peculiares conditiones ibi vigentes, regulariter et statutis temporibus redeant, praevia approbatio Praepositi Generalis impetretur. Inter praecipuas causas huiusmodi itinerum reputandae sunt refectio virium corporis et animae missionarii, renovatio methodorum laboris, pietas erga familiam, promotio vocationum ad Societatem et missiones, promotio zeli et studii erga missiones inter Nostros et externos, atque auxilium Procuratori missionis praestandum. Sedulo autem curetur oportet ne contra normas et spiritum nostrae paupertatis itinera sine restrictione vel sufficienti ratione multiplicentur, atque evitetur ne inaequalitas quaedam inter socios oriatur aut ansa inquietudinis vel inconstantiae missionariis praebeatur. Omnino praeterea opus est ut Superiores Maiores diversarum missionum eiusdem regionis vel nationis inter se conferant, atque ante promulgationem Praeposito Generali approbandas proponant normas communes quas de his itineribus statuendas iudicaverint, quo securius bonum commune servetur atque nimiae diversitates evitentur.

9) Suppositis opportunis mutationibus, quas Congregatio Generalis XXXI iam statuit introducendas in Coll. Decr. d. 212, et non obstantibus praescriptis Epit. Inst. n. 576 atque Instr. de Ratione Aedificiorum nn. 22-24 [12], facultatem approbandi delinea-

[12] AR XII 687, 688.

tiones novi aedificii exstruendi aut veteris aedificii reficiendi vel amplificandi, dummodo tamen accurate serventur reliqua omnia praescripta eiusdem Instructionis. Nominatim autem recoluntur ea quae pertinent ad praeviam facultatem petendam (n. 15), ad censores peritos designandos (n. 19), ad aestimationes sumptuum approbandas (nn. 25, 27), et ad sedulam rationem habendam legis canonicae clausurae (n. 4, 1, a). Diligentur vero curandum est ut aedificia construenda sint ad nostram vitam et ad nostra ministeria accommodata, atque ut paupertati nostrae congruant, neve sint sumptuosa vel curiosa [13], ita ut, iuxta Decretum Conciliare *Perfectae Caritatis* (n. 13), etiam in aedificiis nostris erigendis « testimonium paupertatis quasi collectivum » reddamus atque « omnem speciem luxus » vitemus. Commendatur praeterea ut post absolutam constructionem, delineationes cum aedificii photographiis Romam mittantur, quae in Archivo Curiae Generaliciae ad historiam serventur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 28 novembris 1966

Tibi in Xto addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

41. **3 decembris 1966**

De Allocutione Summi Pontificis ad Patres Congr. Gen. XXXI.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM

CARISSIMI PATRES AC FRATRES IN XTO: PAX CHRISTI

Iam a duabus hebdomadis Congregatio Generalis labores suos feliciter absolvit, et mox, ut speramus, decretorum textus — non in editione officiali — ad Provincias mitti poterit. Antequam vero documenta haec edantur velim vobiscum quasdam reflexiones communicare circa Allocutionem a Summo Pontifice ad Patres Congregationis die 16 novembris in Capella Sixtina habitam.

---

[13] *Coll. Decr.* d. 212.

Fiducia et aestimatio Summi Pontificis erga Societatem

Plura et diversa commentaria in foliis periodicis vulgata sine dubio legistis. En clarum habetis exemplum quomodo opinio publica circa factum aliquod audientibus plane perspicuum decipi valeat. Allocutio enim Summi Pontificis Societati solatio fuit simul ac honori; nam in ea Ille suos intimos sensus fiduciae et aestimationis candide, velut toti Societati praesenti, manifestabat. Ut tamen probe nostis, huius documenti interpretatio, ob nimiam praecipitantiam et partialem textus considerationem, devie et erronee a non paucis foliis vulgata est. Omnes nos, quos Summus Pontifex allocutus est, non potuimus quin intime commoveremur tum ipso contionis argumento, tum modo adeo sincero, simplici atque paterno, quo in dicendo est usus.

Allocutio haec summum momentum pro Societate habere debebat; nam Societas speciali vinculo Summo Pontifici devincta, Eius mentem et optata circa eam cognoscere cupiebat. Quam exspectationem ipse Summus Pontifex velut praesensit, nam « vobis ac Nobis, ait, datur vicissim describere mutuas definiendo rationes, quae Sanctae Ecclesiae cum Societate Iesu intercedunt et intercedere debent ».

Amantissimi Patris sollicitudo

Eo protendit Summi Pontificis erga nos fiducia, ut suam de Societate sollicitudinem sine ambagibus patefaceret. Vivum et familiare colloquium nobiscum instauraturus, suam imprimis aestimationem erga Societatem declarat, cum optet nos tales esse quales ab initio fuimus « in utilitatem Ecclesiae Catholicae, et huius Apostolicae Sedis ». At statim nobis revelat quantopere nuntii aliqui de Societatis conditione suum animum gravaverint, stuporem et dolorem in eum iniciendo. Ideologias et defectus innuebat, qui passim sparsi, ipsius Societatis repagula perfregisse dicebantur: historicismum, nempe in ordine idearum et saecularismum in ratione vitae.

Nubes vero, quae receptae informationes caelo obduxerant, inspectis Congregationis nostrae decretis « magna ex parte evanuerunt », cum ipse Summus Pontifex magno animi gaudio viderit Societatem, in suo sincero studio novas vias inveniendi, fideliter adhaerere voluisse primigenio spiritui Sancti Patris Ignatii. « Fidem vobis habemus », dixit, « atque servamus ».

Nec satis. « Sinite Nos dicere », aiebat sub finem allocutionis, « magnam spem Nos ponere in vobis. Ecclesia eget adiumento vestro atque gaudet et gloriatur id a filiis sinceris deditisque, ut

vos estis, accipere ». « Vobis confidimus », subiunxit, « utpote valentibus testibus unius veraeque fidei ».

Sciscitabatur Summus Pontifex, num Societas Iesu adhuc singularis et fidelissima ipsius militia esse pergeret; num Societati etiamnunc confirmaretur illa propensa voluntas, fiducia, protectio quibus ei semper ex parte Sanctae Sedis datum est frui; num ipsemet Vicarius Christi honoraretur hodie et indigeret Societatis Iesu ministerio; num denique adhuc Societas valida et idonea esset ad opus hodierni apostolatus.

Sic sibimet sciscitanti respondet Pontifex:

« Fidem vobis habemus atque servamus; atque adeo vobis mandatum apostolici operis damus; affectum caritatis gratumque animum Nostrum significamus; benedictionem impertimus ».

Clare ex superius dictis animus Summi Pontificis patet: animus Patris amantissimi et de filiorum prosperitate adeo solliciti.

Solatium Summi Pontificis ob Decreta Congregationis Generalis

Sit nobis haec paterna Summi Pontificis sollicitudo sincerae reflexionis occasio. Summus Pontifex defectus quosdam indicavit, qui tam ab externis quam a Nostris in Societate serpere dicebantur. Informatio, de qua locutus est, mere hypothetica non est. Ipsemet eam confirmare valerem nuntiis variis quos per anni decursum accepi. Sublatis tamen informationum exaggerationibus, quibus aliqui indulgere potuerint, denuntiatorum defectuum periculum certo exstat.

Congregatio Generalis sane conscia fuit de hoc periculo et illud attente perscrutata est atque sub lumine Concilii Vaticani II ad hodiernas vitae conditiones decreta sua aptare enixa est. Ut vobismetipsis compertum erit, noluit Congregatio in parte negativa haerere, plus aequo insistendo in defectibus sic dictae generationis hodiernae, sed e contra detegere studuit et aestimavit positivos valores qui omnium oculis sese, hodierno tempore, produnt.

Decretorum lectio Summi Pontificis animum levavit In eis enim animatorem Sancti Fundatoris nostri spiritum invenerat et quasi responsum ad interrogationes suas. Ideo sollicitudo paterna Summi Pontificis « magna ex parte evanuit ». Magna utique ex parte nec tamen undequaque, siquidem ipsum deviandi periculum minime evanuit atque stantibus decretis vel optimis, eorum executio tum tempus tum animi fortitudinem requirit.

Summi Pontificis verba nobis documento sunt quanti valeant Congregationis decreta ad hoc, ut omnes Societatis filii, fidelitate Romano Pontifici et Sancti Patris nostri Ignatii spiritui servata,

aptius in dies instrumentum evadant ad maiorem Dei gloriam et huius mundi salutem.

Sanus criseos sensus in commentariis legendis

Erronea denique illa ephemeridum commentaria de pontificia allocutione, occasionem praebent considerationis cuiusdam circa talium scriptorum lectionem. Necessaria est imprimis ars periodica legendi et nuntios audiendi ut nonnisi iustum valorem informationi publicae tribuamus.

Bona etiam supposita voluntate scriptoris, oblivisci non licet defectuum quibus saepe nuntii laborant:

1. Sensationalismi imprimis, seu immoderatae cupiditatis attentionem excitandi, etiam cum veritatis detrimento. Tituli apparere solent exaggerati neque semel ipsae citationes adulteratae.

2. Defectus informationis. Realis facti notitia deficiente, rem proprio marte fingere in usu est.

3. Ignorantia circa materiam de qua agitur. Vulgantur saepe nuntii qui de re ipsa defectum cognitionis manifestant.

4. Fidelitatis defectus. Non raro accidit ut articuli bene ab auctoribus praeparati, in Officina Centrali ad proprium scopum mutantur.

Experientia haec, quantumvis Societatis nostrae parum grata, edocere nos debet illum sanum criseos sensum quocum, nostra potissimum aetate, ephemerides legendae et varii nuntii excipiendi sunt. Eadem experientia nos iterum doceat vigilantiam et cautionem ad nuntios redactoribus periodicorum suppeditandos, ne posteaquam illi in foliis appareant, nos rei sero et inutiliter poeniteat.

Finem his litteris impositurus, ad meditationem Allocutionis Summi Pontificis vos omnes invito. Illa nobis velut « Carta magna » esse debet cui verus Societatis sodalis est accommodandus. Nec plura nunc dicam; cum enim decreta Congregationis erunt Provinciis mittenda, nova erit mihi occasio longius vobiscum iterum communicandi.

Commendo me ss. SS. et orationibus.

Romae, die 3 decembris 1966,
in festo S. Francisci Xaverii.

Vobis omnibus in Xto. addictissimus
PETRUS ARRUPE
Praep. Gen. Soc. Iesu

DECLARATIO *Patris Generalis ad* 150 *Scriptores diariorum internationalium die* 24 *novembris* 1966.

Vorrei anzitutto fare due premesse:

1° Oggi l'organizzazione e la diffusione dei mezzi di comunicazione è tale che un fatto qualsiasi avvenuto in un angolo remoto della terra, può avere immediata diffusione in tutto il mondo. Una notizia ripresa da una agenzia può fare il giro del mondo su tutte le catene di giornali. E' la vostra potenza di giornalisti!

5ª De Instituti cognitione.

Sexta Commissio: De hodierna Societatis missione.

Quo facilior et gratior redderetur Patrum distributio in varias Commissiones et Subcommissiones, singuli rogati sunt ut libere indicarent in qua libentius laborarent, et de eorum desideriis ratio habita est a Deputatione.

Posterius aliae Commissiones vel coetus constituti sunt, ut Commissio specialis quae ad conscribendos textus decretorum alias adiuvaret, Commissio de modo procedendi, coetus canonistarum qui praesertim Commissionibus primae et quintae adiumentum praestaret, coetus peritorum ad decreta perpolienda et ordinanda, coetus peri-

torum ad Formulas Congregationum retractandas, et alii Patrum delectus pro necessitate laboris cuiusdam perficiendi.

6. - De duplici periodo Congregationis

In Ms. act. 33-35, 38, 41-43, 46, 49-51, 54, 57, 58.

1. Quod numquam prius in historia Societatis evenerat, haec Congregatio in duas periodos divisa est. Consideratis enim hinc quidem ingenti laboris mole ab amplius mille nongentis postulatis imposita, gravissima quaestionum tractandarum indole et magna totius Societatis exspectatione, inde vero imminente quarta periodo Concilii Oecumenici aliisque rerum temporumque condicionibus, et examinatis variis solutionibus quae proponebantur (ut erat constitutio Deputatorum qui opus inceptum cum auctoritate Congregationis perficerent aut indictio alterius Congregationis Generalis intra tres vel quinque annos), tandem Congregatio, post duos menses laboris, statuit sessiones die 15 iulii 1965 interrumpere, easque mense septembris subsequentis anni 1966 continuare (cf. decr. 49). Postea Praepositus Generalis, litteris ad omnes Superiores Maiores die 8 decembris 1965 datis, constituit diem denuo conveniendi octavum septembris, opportunitatem offerens Patribus Congregatis habendi triduum spiritualis recollectionis diebus 5, 6 et 7 eiusdem mensis in ipsis Curiae Generalis aedibus.

2. Tempore interruptionis labor Congregationis non est intermissus. Sive enim per litteras sive per plures frequentesque conventus Electorum cum aliis Patribus peritis, relationes variae paratae sunt et omnibus Patribus Congregatis missae vel initio secundae periodi distributae.

3. Praemisso triduo recollectionis, in quo ipse Pater Generalis puncta meditationis singulis diebus proposuit, die 8 septembris 1966, Nativitatis B. M. V. festo, in loco Congregationis aderant iidem Patres Congregati qui in prima periodo, ac praeterea novi Assistentes Regionales et novi Praepositi Provinciales a Praeposito Generali interea nominati. Aberant tamen Provinciales et Electores Poloniae, qui licentiam gubernii civilis non obtinuerant, insuper Patres Fridericus Buuck, Elector Provinciae Germaniae Inferioris, Eduardus Mann, antiquus Praepositus Provinciae Bombayensis, Ioannes Rocha, antiquus Assistens Americae Latinae Meridionalis, Ioannes Sehnem, antiquus Praepositus Provinciae Brasiliae Meridionalis, Antonius Pinsker, Elector Provinciae Austriae et Ioannes Richard antiquus Praepositus Provinciae Montis Regii, morbo aliove obstaculo impediti, atque Patres Ioannes Terpstra, Praepositus Provinciae Neerlandicae, Daniel Villanova, Praepositus Provinciae Siculae, Ioannes Correia-Afonso,

Praepositus Provinciae Bombayensis, Leo Rosa, Praepositus Prov. Veneto-Mediolanensis, Abdallah Dagher, Elector Viceprovinciae Proximi Orientis et Ferdinandus Larraín, Elector Provinciae Chilensis, qui tamen postea pervenerunt.

4. In utraque periodo iidem fuerunt Secretarii eaedemque Deputationes et Commissiones. Sed cum ex Deputatis ad detrimenta in prima periodo electis, in secunda deessent Patres Antonius Pinsker et Eduardus Mann, in eorum loco pari ratione electi sunt, ex Assistentia Germaniae, P. Ioannes Schasching, Praepositus Provinciae Austriae, et ex Assistentia Indiae, P. Melchior M. Balaguer, Elector Provinciae Bombayensis.

7. - De modo procedendi et de informationibus

In Ms. act. 1, 2, 4, 5, 10, 12, 17, 46, 48, 50-52, 54, 56, 61, 62, 87, 88, 92, 96, 98.

1. Ad parcendum tempori in tam frequenti Congregatione et tanta negotiorum congerie, quidam « Modus procedendi » iam ab initio adhibitus est, qui in his potissimum a normis Formulae differebat vel eis addebat: ut singulis oratoribus facultas loquendi tribueretur semel tantum in eadem sessione de eodem negotio (postea tempus dicendi contractum est ad septem momenta); ut ad suffragationes negotiorum adhiberentur generatim lumina viridia vel rubra, quae electronice computabantur; ut Acta sessionum non legerentur publice, sed singulis Patribus Congregatis multiplicata traderentur (cf. Form. C. Gen. nn. 16, 24 § 2, 121). « Relationes praeviae » et « Iudicia definitiva » (cf. Form. C. Gen. n. 119) parabantur quidem a Subcommissionibus, sed approbanda erant a Praeside Commissionis et Praesidibus omnium eiusdem Commissionis Subcommissionum. Praesides Commissionum Patrem Generalem iuvabant in toto labore ordinando.

2. In secunda periodo, proponente Commissione speciali de modo procedendi sub finem primae periodi constituta, Congregatio, primum ad experimentum, dein definitive, novas normas approbavit, quarum praecipuae hae sunt: a) P. Generalis Vicepraesides nominavit Patres Paulum Dezza, Assistentem Generalem, Ioannem Calvez, Electorem Provinciae Parisiensis, et Georgium P. Klubertanz, Electorem Provinciae Wisconsinensis, a quibus iuvaretur in sessionibus Congregationis praeparandis et moderandis. b) Oratoribus qui ante sessionem facultatem loquendi petiissent, concedebantur septem momenta, eis vero qui in ipsa sessione eam postularent (cf. Form. C. Gen. n. 121), quinque momenta. c) Durante discussione licebat cuilibet proponere « motionem ordinis », ut, Congregatione approbante, mutaretur ordo agendorum a Praeside et Vicepraesidibus praestitutus. d) Oratoribus licebat proponere « emendationes » in textu decreto-

rum, quae suffragationi subiciebantur antequam de ipso textu suffragia darentur. e) Commissiones et Subcommissiones poterant habere « sessiones apertas », in quibus omnes Patres Congregati interesse et loqui poterant, non vero suffragium ferre nisi essent membra illius Commissionis vel Subcommissionis. f) Ad conscribenda Congregationis Acta petitum est auxilium Patrum ad Congregationem non pertinentium, quibus propterea permissum est ut sessionibus plenariis interessent.

3. Quod ad linguas vernaculas attinet, ab initio Congregationis probatum est ut oratores loqui possent anglice, gallice, hispanice et italice, dummodo latinum suae orationis summarium antea praeberent. Pauci tamen hac facultate usi sunt.

De adhibendis « translationibus simultaneis » pluries actum est. Sub finem primae periodi, Congregatio statuit eiusmodi systema in hac Congregatione non esse introducendum, sed Patri Generali commendandum ut tota res studio subiceretur in ordine ad proximam Congregationem Generalem. In secunda periodo, proponente Commissione de modo procedendi, Congregatio primum probavit ut translationes simultaneae adhiberentur in Commissionum « sessionibus apertis », postea ut etiam experimentum fieret in sex sessionibus plenariis Congregationis.

4. Cum ex una parte non pauci peterent ut de Actis Congregationis aliquomodo edocerentur sive nostri sive etiam externi, ex altera vero parte tam Formula Congregationis Generalis (n. 25 § 3) quam ipsa Congregationis et Electorum libertas cautelas exigerent, a Congregationis initio, re considerata et discussa, constitutum est « Officium Informationis » ex Patribus ad Congregationem non pertinentibus, quibus propterea accessus ad sessiones concedebatur; « Nuntii » autem ab eis conscripti subiciebantur quibusdam normis et praeviae censurae Commissionis Electorum eo consilio a Patre Generali constitutae. Normae datae sunt etiam de notitiis ab Electoribus privatim communicandis.

8. - De decretis introductoriis

In Ms. act. 32, 33, 38, 49, 105-108.

Voluit Congregatio tria documenta suis decretis, ad modum introductionis generalis, praeponere:

1) Primum, « De hodierna missione Societatis Iesu » (decr. 1), cuius primum schema paratum iam erat in prima periodo a Commissione VI. Postea vero in Congregationis interruptione, Commissio mixta ex IV et VI constituta est, quae, adiuvantibus plurimis aliis peritis, post varia tentamina, novum textum elaboravit. Acceptis Pa-

trum animadversionibus initio secundae periodi, hic novus textus denuo retractatus est; et disceptatione habita, a Congregatione approbatus tandem est die 16 novembris 1966.

2) Alterum, « De nostrarum legum renovatione » (decr. 2). In quo exponuntur principia et condiciones quae servanda sunt in illa renovatione. Paratum est a Subcommissione de substantialibus Instituti. Post consuetam deliberationem et discussionem, simul cum decreto primo est approbatum.

3) Tertium, « De munere Societatis erga atheismum » (decr. 3), cuius schema a Commissione VI in prima periodo elaboratum est, ut Societas statim sumeret munus sibi a Summo Pontifice in audientia diei 7 maii 1965 demandatum: « ut coniunctis viribus atheismo obsistat validissime ». Approbatum est die 5 iulii 1965, et die 15 eiusdem mensis Congregatio omnibus suffragiis decrevit eius immediatam promulgationem, eo consilio ut sine mora publici iuris fieret responsum a Societate datum voluntati Summi Pontificis.

9. - De Instituti conservatione et renovatione

In Ms. act. 52-54, 57.

Non pauca postulata ad Congregationem missa sive explicite sive implicite petebant ut de immutandis substantialibus Instituti, iis non exceptis quae in Instituti Formula continentur, facilius agere liceret. Alia vero postulata in fidelitate erga spiritum sancti Ignatii insistebant, et declarari volebant Institutum nostris quoque temporibus integram suam vim atque obligationem servare. Congregatio ergo putavit sibi agendum esse de recognoscendis decretis 12-16 Collectionis Decretorum. Hanc gravissimam quaestionem aggressa, Subcommissio de substantialibus Instituti duas paravit relationes, quae tamen, propter diuturnos labores investigationis, in prima periodo distributae quidem fuerunt Patribus Congregatis, sed in sessionibus plenariis disceptationi submitti non potuerunt. In intervallo inter utramque periodum, aliis quoque peritis auditis, ex illis duabus relationibus schema decreti conscriptum est, de quo in secunda periodo modo consueto disceptatum est. Haec autem disceptatio effecit novam schematis retractationem, ex qua exortus est textus definitivus, qui approbationem Congregationis obtinuit die 19 septembris 1966 (decr. 4). In eo, ex quibusdam difficultatibus extrinsecis, noluit quidem Congregatio retinere antiquam prohibitionem inducendi mutationes in ipsum textum ignatianum Constitutionum; sed hanc rem expresse commisit iudicio Praepositi Generalis. Voluit praeterea Congregatio ut in futura editione Collectionis Decretorum, titulus I inscribatur « De Instituto eiusque partibus », et ut titulus III, qui in-

scribendus est « De Instituti conservatione et renovatione », praeponatur titulo II, qui est « De Instituti interpretatione et dispensatione ».

10. - De graduum discrimine

In Ms. act. 33-35, 37, 38, 42-43, 55-59, 61, 62, 65, 67-73.

1. De hac quaestione, ex gravissimis et diutius agitatis in Congregatione, sat multa accepta erant postulata sive a Congregationibus Provinciarum sive a privatis missa; quarum alia discrimen graduum aboleri in Societate simpliciter volebant, alia eius opportunitatem in iudicium vocabant, alia illud incolume servari petebant, alia normas vigentes de promotione ad professionem sollemnem vituperabant ... Pro re et tempore, Subcommissio de gradibus, adscitis iuris et historiae peritis, investigavit quae fuerit eorum graduum origo et institutio, quae eorum progressio in antiqua Societate atque in Societate restituta; argumenta in utramque partem allata examinavit; et varias solutiones Congregationi proposuit. Compluribus animadversionibus a Patribus Congregatis scripto factis, et disceptatione in sessionibus plenariis habita, Congregatio tandem, in prima periodo, in hanc sententiam venit: a) Ferendum non esse decretum de tollendo discrimine graduum inter Professos et Coadiutores spirituales; b) Statuendum non esse ut omnes Scholastici prius vota Coadiutoris spiritualis emittant, quorum aliqui postea ad professionem sollemnem promoveri possint; c) Normas tamen vigentes de admissione ad professionem retractandas esse; d) Patri Generali commendandum esse ut commissionem constituat, cuius munus sit totum hoc problema investigare, investigatione extensa ad commoda et incommoda concedendi professionem sollemnem temporalibus quoque Coadiutoribus (cf. decr. 5 n. 2).

2. Nihilominus, cum praeter alia, inter utramque Congregationis periodum prodiissent duo documenta Ecclesiae, i. e. decretum conciliare « Perfectae caritatis » et litterae apostolicae « Ecclesiae sanctae », quae quibusdam videbantur mutare statum quaestionis, aliis vero e contrario sentientibus discrimen graduum Societatis neque menti neque voluntati Ecclesiae repugnare, mense septembri 1966 controversia restaurata est. In qua, quo maiore cum cognitione procedere omnes possent, imprimis coetus undecim peritorum relationem informativam paravit de maioribus punctis iuridicis quae in hac quaestione consideranda essent; dein quattuor oratores singulariter designati sunt, quorum duo quidem rationes pro discrimine tollendo, duo autem rationes pro discrimine servando exponerent; praeter quos ceteris omnibus copia dicendi data est. Dies considerationis et precationis interiectus est, et omnibus commen-

datum ut Missas et preces Deo offerrent, quibus lumen impetrarent ad eius voluntatem in hac gravissima decisione inveniendam. Tandem die 7 octobris, B. M. V. a Rosario dicato, suffragationibus secretis, Congregatio statuit: a) Gradum Coadiutorum spiritualium non esse hic et nunc supprimendum; neque constituendos esse Definitores qui cum Patre Generali suppressionem huius gradus decernant sive in iure sive in praxi; b) sed statim post absolutam hanc Congregationem Generalem XXXI, constituendam esse commissionem, quae totam quaestionem de suppressione gradus Coadiutorum spiritualium sit investigatura, et quae proximam Congregationem Procuratorum de suae investigationis exitu certiorem faciat, ut haec Congregatio decernat num ad hoc negotium Congregatio Generalis sit cogenda (cf. decr. 5 n. 1); c) disceptandum autem nunc esse de retractandis normis promotionis ad gradum Professi quattuor votorum sollemnium.

11. - De diaconatu permanente

In Ms. act. 43, 45, 48, 81-83, 90.

De diaconis perpetuis in Societate admittendis nonnulla agebant postulata coniunctim cum quaestione de Coadiutoribus temporalibus. Congregatio, sub finem primae periodi, statuit rem totam accuratius esse investigandam, considerata doctrina conciliari et quaestione de discrimine graduum in Societate. Ita factum est a Subcommissione competente aliisque peritis. Quorum propositionibus in altera periodo discussis, Congregatio iudicavit non esse agendum de diaconatu permanente iam nunc in Societatem inducendo; sed oportere removere obstacula quae impedire possent quominus postea inducatur, effectionem ipsam committens prudentiae Praepositi Generalis (decr. 6). Quod ad vota religiosa ab eiusmodi diaconis emittenda, utrum futura sint vota Coadiutorum temporalium an Coadiutorum spiritualium, Congregatio a decreto ferendo abstinuit, ideo quia eorum munus in documentis Ecclesiae nondum est clare definitum, et Sancta Sedes ulteriores determinationes est datura pro omnibus religiosis.

12. - De Coadiutoribus temporalibus

In Ms. act. 43-45, 48, 60-63, 79, 104, 105.

Numerus Coadiutorum temporalium in Societate, ab ineunte hoc saeculo XX constanter decrescens, non una fuit causa cur Congregatio Generalis hoc problema tractandum susciperet. Quam plurima

postulata id movebant, quae optabant ut natura vocationis Coadiutorum temporalium clarius definiretur, aestimatio huius vocationis etiam in usu ostenderetur, ad plura officiorum genera accessus daretur Fratribus Coadiutoribus, et ut his de causis eorum institutio spiritualis, culturalis, technica amplius perficeretur. His prae oculis habens, Subcommissio de Coadiutoribus temporalibus schema decreti paravit, et post acceptas Patrum animadversiones, correxit et disceptationi subiecit. Cui tamen Congregatio in prima periodo suffragari noluit, ut res tam gravis diutius consideraretur et ad maturitatem adduceretur. Quare, aliis peritis auxiliaribus designatis, novum schema in Congregationis interruptione conscriptum est. Interea indagatum etiam est quid ipsi Coadiutores temporales ex variis Societatis regionibus de sua vocatione et de Congregationis decreto sentirent; eorumque sententiae simul cum novo schemate traditae sunt Patribus Congregatis in secunda periodo. Factae de more sunt animadversiones scriptae, et res denuo in sessionibus plenariis discussa. Tandem de textu definitivo et de emendationibus ab Electoribus propositis die 12 octobris 1966 Congregatio suffragata est (decr. 7). Ad nomen quod attinet, cum alia ab aliis indicarentur, Congregatio decrevit in ipso decreto latino retinendum esse nomen « Coadiutorum temporalium », in vernaculis vero linguis licere illud vertere secundum cuiusque regionis usum.

13. - De Nostrorum institutione spirituali

In Ms. act. 82-86, 106, 107, 114.

Amplius 160 postulata accepta erant, in quibus nonnulli, alii ex alia causa, conquerebantur de modo quo his temporibus iuvenes nostri spiritualiter instituuntur. Sub finem primae periodi distributa est Patribus Congregatis relatio praevia a competente Subcommissione parata, in qua principia et notae spiritualitatis ignatianae memorabantur, et applicationes nunc faciendae ad singula formationis stadia proponebantur. Defectu temporis tunc ulterius procedi non potuit. Tempore inter utramque periodum interiecto, plurimi habiti sunt conventus Magistrorum noviciorum et Praefectorum spiritus ex pluribus Assistentiis; quorum opinionum ratione habita, Subcommissio in secunda periodo novam relationem conscripsit et distribuit. Habita etiam est « sessio aperta » Subcommissionis, cum translationibus simultaneis; atque ex eis quae ibi dicta sunt et ex scriptis Patrum animadversionibus Subcommissio schema retractavit, idque disceptationi submisit, observans naturam decreti esse paedagogicam non doctrinalem; in eo hoc praecipue intendi, ut difficultatibus spiritualibus iuvenum nostri temporis apte occurratur. In disceptatio-

ne non paucae propositae sunt emendationes, quarum ratio habita est in suffragatione. Tandem textus definitivus approbatus est diebus 4 et 5 novembris 1966. Mutatio quaedam verbalis in intercessione postea proposita, a Congregatione admissa est die 11 eiusdem mensis (decr. 8).

14. - De Scholasticorum institutione praesertim in studiis

In Ms. act 30-32, 39.

Postulata quae de Nostrorum institutione in studiis agebant, fuerunt circiter trecenta. Commissio III ea attente consideravit, et censuit melius esse unicum parare decretum, quod totam materiam organice tractaret, in multis quaestionibus satisfaciens desideriis postulantium, in aliis quae statim solvi non poterant, opportunas directiones praebens. Etenim Congregatio Generalis potest quidem priorum Congregationum decreta retractare, potest etiam ipsas Constitutiones mutare; attamen non potest recedere a legibus universalibus Ecclesiae, ut sunt constitutio apostolica « Sedes Sapientiae », quae omnes religiosos adhuc obligat, et decretum conciliare « Optatam totius », quod ad omnes sacerdotes pertinet. Quod ad gradus academicos, cum ex mandato Concilii Vaticani II, lex de gradibus academicis ecclesiasticis, i. e. constitutio apostolica « Deus scientiarum Dominus », recognoscenda sit, et hac de causa nondum constet quaenam studia ad singulos gradus in posterum requirantur, Congregatio noluit normas determinatas ferre, hac generali norma praestituta, ut Nostri communiter eos gradus in philosophia et theologia consequantur, qui per nostrum studiorum curriculum obtineri possunt. Praeterea, cum in studiis quoque res in mundo et in Ecclesia celeri progressu mutentur, et cum regiones a regionibus magnopere differant, difficile erat leges nimis determinatas ferre. Quare — Commissione proponente — placuit Congregationi normas generales statuere, et ulteriores determinationes remittere sive ad novam Rationem Studiorum, quod ad universam Societatem attinet, sive ad regionales studiorum ordinationes, quae mox in variis Societatis regionibus essent parandae. Atque adeo Praeposito Generali facultatem fecit ut, adiutus consilio commissionis quae ad Rationem Studiorum retractandam constituetur, retractare etiam valeat praecedentium Congregationum Generalium decreta de studiis, quae cum novis rerum temporumque condicionibus componi non possint. Hac ratione decretum in prima periodo paratum, discussum, approbatum, ex ipsius Congregationis voluntate statim, die 13 iulii 1965, a Patre Generali est promulgatum (decr. 9).

15. - De Scholasticorum votis et dimissione

In Ms. act. 37, 38.

Nonnulla postulata indicabant incommoda inveniri in vigente disciplina votorum biennii; et proponebant ut haec disciplina sive ad normas iuris communis accommodaretur, sive alio modo mutaretur. Alia postulata videbant quendam defectum aequitatis in dimissione Scholasticorum et Coadiutorum ad normas rescripti Sanctae Sedis die 10 augusti 1959 dati. De utroque hoc difficultatum genere Subcommissio competens diligenter investigavit et relationem paravit ac distribuit. Sed cum tangeretur ius pontificium Societatis proprium, quaesitum imprimis est num de eis disceptandum esset in Congregatione; atque in utroque casu maior pars Patrum Congregatorum suffragium negativum tulerunt.

16. - De tertia probatione

In Ms. act. 39, 40, 46.

Postulata quae hoc nostri Instituti caput tangebant, potius quam ipsam institutionem tertiae probationis impugnarent, de modo concreto quo in effectum his temporibus adducitur, seu de eius externa structura difficultates opponebant. Subcommissio de tertia probatione, quae ex octo Instructoribus constabat, his attente perpensis, et considerans illam externam structuram neque necessariam esse ad obtinendos fines in Constitutionibus et bullis pontificiis praestitutos, neque praescriptam a Congregationibus Generalibus, sed ex ordinationibus et instructionibus Praepositorum Generalium originem ducere; et videns ex alia parte vix aliquid pro tota Societate statui posse, quin prius investigaretur quatenus pro rerum temporumque condicionibus iidem fines alia structura in variis regionibus melius obtineri valerent, Congregationi proposuit schema decreti, in quo, confirmato tertiae probationis momento, normae generales darentur de modo renovandi eius structuram externam, factis eo consilio opportunis experimentis, quibus Praepositus Generalis quid in tota Societate statuendum sit, possit postea definire. Quod Congregatio probavit in prima periodo, die 13 iulii 1965 (decr. 10).

17. - De admissione ad vota religiosa

In Ms. act. 43, 55, 82-84, 104, 118, 121, 123.

1. Ex voluntate Congregationis in utraque periodo declarata (v. sup. n. 10), Subcommissio de gradibus, adiuvantibus aliis quoque peritis, relationem praeviam paravit de novis normis servandis in promotione ad ultima vota, ea mente ut, supposita sufficiente doctrina theologica, titulus ad sollemnem quattuor votorum professionem potius consisteret in egregio ipsius candidati valore apostolico, qui manifestus fieret in conspicua praestantia virtutis colendae et in aptitudine non communi atque experimento comprobata ad aliquod Societatis ministerium. Postquam Congregatio secundo statuit decretum de tollendo discrimine graduum non esse ferendum, quaestio de normis promotionis ad ultima vota reassumpta est, et propositio Subcommissionis modo consueto examinata ac discussa, et tandem, attentis etiam animadversionibus et emendationibus Electorum, die 3 novembris 1966 suffragatione approbata (decr. 11).

2. Quod attinet ad ritum in emissione votorum servando, Congregatio, cuidam postulato annuens, die 17 novembris 1966 Praeposito Generali commisit ut ordinationem pro tota Societate ad experimentum faceret (decr. 12).

18. - De vita religiosa

In Ms. act. 17, 33-38, 43, 44, 46-48, 77, 80, 81, 99-101, 105-123.

1. *De vita religiosa in genere.* — Opportunum iudicavit Congregatio suis decretis de accommodata renovatione vitae religiosae in Societate prooemium quoddam « de vita religiosa in genere » praemittere, id excerpens ex documento longiore de doctrina conciliari circa vitam religiosam eiusque applicatione ad Societatem, quod Subcommissio competens paraverat et disceptationi subiecerat, postea tamen — approbante Congregatione — retraxerat ideo quia, cum opus admodum difficile perficiendum adhuc esset, imminente fine Congregationis id fieri non poterat. Haec vero brevior introductio, modo consueto discussa et emendata, a Congregatione sancita est die 16 novembris 1966 (decr. 13).

2. *De oratione.* — In prima periodo Subcommissio competens relationem paravit de vita spirituali in Societate, quae desideratis postulatorum solutionem proponebat. De hac relatione, secundum Electorum animadversiones scriptas retractata, disceptatum est in tribus sessionibus; sed tempus defuit rem perficiendi. Tempore interruptionis, quam plurimi historiae, theologiae spiritualis, psycholo-

giae periti interrogati sunt, et eorum responsa scripta omnibus Patribus Congregatis distributa. In secunda periodo, opportunum visum est quaestionem de oratione seiungere a reliquis connexis quaestionibus (de spirituali institutione, de votis, de vita communitaria et disciplina ...), quae in aliis decretis tractabantur. Subcommissio de vita spirituali schema decreti denuo refecit. De hoc schemate in aula per quinque sessiones fere integras disceptatum est; et postquam amplius octoginta oratores auditi sunt, documentum remissum est Subcommissioni, quae aliis duobus sociis aucta est. Cum vero ad textum definitivum parandum oporteret cognoscere quo propenderet maior pars Patrum Congregatorum quod ad regulam de hora cotidiana orationis, petente Subcommissione habita est suffragatio indicativa secreta per schedas scriptas. Huius suffragationis indicationem secuta, Subcommissio tunc schema decreti retractavit, quod denuo publicae disceptationi est subiectum, ut Patres emendationes proponerent. Denique de schemate retractato et de emendationibus propositis suffragatio habita est die 14 novembris 1966. Sed subsequentibus diebus tres intercessiones de n. 11 factae sunt, quarum duae quidem die 17 eiusdem mensis reiectae sunt, tertia vero est admissa a Congregatione; quae tandem ulteriore suffragatione totum n. 11, secundum illam tertiam intercessionem emendatum, magnis suffragiis sancivit (decr. 14).

3. *De cultu SS. Cordis Iesu* non pauca erant postulata accepta in Congregatione. Consulti etiam sunt periti tempore inter duas periodos interiecto. Nihilominus, cum desiderata postulantium longam et difficilem investigationem theologicam exigerent, quae campum laboris Congregationis excedebat, Subcommissio de vita spirituali prius iudicavit decretum formale non esse ferendum, sed commendandum tantum Praeposito Generali ut studia theologica et pastoralia de hac devotione promoveret. Apparuit tamen in disceptatione generali id plerisque Patribus Congregatis non placuisse; et cum ad suffragationem die 17 novembris 1966, in ultima Congregationis sessione, perventum est, Congregatio suffragiis longe plurimis approbavit textum decreti in quadam emendatione propositum (decr. 15).

4. *De castitate.* — Subcommissio de votis, vestigia premens Concilii Vaticani II, et consultis pluribus aliis Patribus theologiae moralis, iuris canonici et psychologiae peritis, relationem paravit tempore interruptionis, eamque omnibus Patribus Congregatis misit. Habitis eorum animadversionibus, schema decreti in secunda periodo conscriptum est atque in sessionibus plenariis discussum. Punctum acre discussionis fuit num in tam brevi temporis spatio confici posset documentum quod exigentiis Societatis satisfaceret. Maior tamen pars censuit decretum quoddam a Congregatione ferendum

esse, complendum autem esse eius tenorem studio peritorum, quibus Praepositus Generalis id committeret (decr. 16).

5. *De oboedientia.* — Postulata non pauca querebantur de crisi oboedientiae in hodierna Societate. Eorum alia desiderabant ut denuo affirmarentur principia oboedientiae ignatianae; alia, ut exponeretur ratio quam illa principia habent cum progressu scientiae biblicae, psychologicae, sociologicae; alia, ut specialis commissio a Patre Generali constitueretur, quae totum hoc problema investigaret. Subcommissio de votis, iam a prima periodo, relationem parare curavit, quae his desideriis quodammodo responderet. Sed, post absolutum Concilium Vaticanum II, apparuit necessitas convocandi coetum peritorum, quorum adiutorio schema decreti conficeretur. Itaque, in Congregationis interruptione, undecim periti diversarum opinionum et tendentiarum consulti sunt, qui imprimis suas dissertationes scriptas miserunt, postea cum Praeside et aliis sociis Subcommissionis convenerunt, et alteram relationem pararunt, quae omnibus Patribus Congregatis distributa est. Habitis horum animadversionibus, ad earum rationem ultimum schema conscriptum est, quod fuit obiectum discussionis in sessionibus plenariis. In eo omissum erat caput de difficultatibus ortis ex dictamine conscientiae quod dicunt; apparuit tamen in disceptatione plerosque Patres eiusmodi omissionem non probare. Quare, absoluta disceptatione, prius, omisso n. 10, die 11 novembris 1966, Congregatio suffragata est reliquis decreti numeris; postea, die 16 eiusdem mensis, approbavit n. 10, cui Subcommissio restituerat paragraphum de conscientiae difficultatibus (decr. 17).

6. *De paupertate.* — Praeter labores commissionum iussu CC. GG. XXIX et XXX constitutarum, exstabat copiosa rei expositio ante Congregationem hanc a quodam perito facta. His documentis adiuta, Subcommissio de paupertate octo relationes paravit: de modo in hac re procedendi, de generalioribus principiis nostrae paupertatis, de voto non relaxandi paupertatem, de vita communi, de paupertate collectiva, de fructu laboris, de gratuitate ministeriorum, de fundationibus. Acceptis Patrum animadversionibus, confectum est schema decreti, quod, post consuetam disceptationem, approbatum est a Congregatione in prima periodo, die 10 iulii 1965 (decr. 18). Die vero 13 eiusdem mensis, ad plura medietate suffragia, electi sunt Definitores Patres Antonius Delchard, Elector Provinciae Galliae Septemtrionalis, Iesus Díaz de Acebedo, Elector Provinciae Loyolensis, Iosephus Gallen, Elector Provinciae Marylandiae, et Antonius Leite, Elector Provinciae Lusitanae, qui, ad normam n. 20 decreti, pararent schema renovationis accommodatae et recognitionis totius iuris nostri circa paupertatem, a Praeposito Generali postea ad praxim et experimentum usque ad proximam Congregationem Generalem promul-

gandum. Cum vero in decreto tangeretur Formula Instituti, in forma specifica a Sancta Sede approbata, expositio actorum facienda fuit Summo Pontifici, qui, audita S. Congregatione de Religiosis, per litteras Emmi Cardinalis Secretarii Status die 6 iunii 1966 datas, respondit ea benigne approbans et confirmans (cf. doc. 3).

7. *De vita communitaria et disciplina religiosa* plura documenta parata sunt a competente Subcommissione: in prima Congregationis periodo, Patribus distributa est relatio praevia, de qua tamen disceptari non potuit. In intervallo interruptionis, alia relatio confecta est, et periti non pauci consulti, qui suas dissertationes scriptas miserunt. Acceptis novis Patrum Congregatorum animadversionibus, schema decreti conscripsit Subcommissio, de quo in altera periodo, mense septembri 1966, per plures sessiones disceptatum est. Censuit nihilominus Congregatio schema esse accuratius etiam reficiendum, et hac de causa illud ad Subcommissionem iterum remisit. Subcommissio, novis sociis aucta, schema totum recognovit, et iterata disceptatione mense novembri, decretum tandem approbatum est die 17 huius mensis, in duabus postremis sessionibus (decr. 19).

8. *De lectione ad mensam.* — a) In nonnullis postulatis proponebatur ut normae vigentes de lectione ad mensam retractarentur. Sed Subcommissio de Instituti cognitione, cui quaestio delata est, considerata ipsa natura argumenti, quod potius ad potestatem Patris Generalis spectat, et difficultate condendi legem generalem in tanta locorum varietate, rem totam Praeposito Generali committendam esse iudicavit. Quod quidem iudicium a Congregatione in ultima sessione approbatum est (decr. 20, n. 1).

b) Cum R. P. Janssens, ad mentem Congregationis Generalis XXX, usum legendi ad mensam singulis mensibus Summarium Constitutionum mutasset in trinam lectionem annuam, firma tamen regula 53 eiusdem Summarii de menstrua lectione privata, aliqui in postulatis conquerebantur quod, ex illa ordinatione, cognitio Constitutionum decresceret, et alii alia remedia proponebant. Cum etiam hoc ad Praepositi Generalis munus pertineret, cui de cetero in alio decreto committitur revisio regularum (cf. decr. 19 nn. 14-16), Subcommissioni de cognitione Instituti visum est eius prudentiae hoc negotium commendandum esse. Et hanc propositionem Congregatio in ultima sessione etiam confirmavit.

19. - De ministeriis apte deligendis et promovendis

In Ms. act. 23, 39-41, 48.

1. Occasione postulatorum, quae aliquos tantum aspectus apostolicos respiciebant, Subcommissio de ministeriorum ordinatione iudicavit de totius nostri apostolatus accommodatione considerationem instituendam esse; et hac de causa relationem generalem de ministeriis apte deligendis et ordinandis Congregationi proposuit. Acceptis Patrum animadversionibus, textum decreti fecit, de quo disceptatum est in prima periodo, et die 14 iulii 1965 instituta suffragatio (decr. 21).

2. Plura postulata petebant ut Superiores Maiores ad efficaciorem delectum ministeriorum faciendum iuvarentur commissionibus peritorum; quibus non videbatur satis esse provisum in decreto 50 C. G. XXX. Congregatio nostra, re a Subcommissione examinata et consueto modo in sessionibus plenariis discussa, opportunum censuit commendare constitutionem commissionis de ministeriis seligendis et ordinandis, non solum apud Praepositos Provinciarum sed etiam apud regionales Provincialium coetus. Ita decretum est eodem die 14 iulii 1965 (decr. 22).

20. - De sacerdotali nostro apostolatu

In Ms. act. 66, 73-75, 87, 102, 108.

In hoc decreto (decr. 23) Congregatio pluribus postulatis respondere intendit, in quorum aliis timor exprimebatur ne Societas hodierna nimis distineretur operibus apostolicis ordinis temporalis, quae laicorum potius sunt quam sacerdotum, et petebatur ut sacerdotes nostri in ministerium verbi Dei et administrationem sacramentorum praecipue incumberent; in aliis, e contrario, manifestum fiebat desiderium ut declararetur sacerdotium in Societate posse exerceri non solum in directa cura animarum, sed etiam in aliis operibus ad bonum Ecclesiae ordinatis, ex. gr. in investigatione scientifica, in educatione iuventutis, in labore sociali. In prima periodo Congregationis, relatio parata est a Commissione VI, quae tamen multis Patribus non satisfecit. Durante quarta periodo Concilii Vaticani II, inquisitio sat ampla facta est apud peritos conciliares e Societate, Romae tunc degentes, quorum postea conventus habitus est, ut inter alia hoc argumentum examinaretur. Hoc adiutorio altera relatio parata est a quibusdam Electoribus, et ad omnes Patres Congregatos missa. Animadversionibus acceptis, in secunda nostrae Congregationis periodo, Subcommissio specialis constituta est, quae totum tex-

tum schematis propositi retractavit, antequam disceptationi subiceretur. Disceptatione habita, die 19 octobris 1966 Congregatio hunc textum cum quibusdam emendationibus approbavit (decr. 23). Intercessum postea est in n. 6, de muneribus quae presbyteris per ipsam ordinationem conferuntur; et Congregatio, ad vitandas falsas interpretationes, die 7 novembris illum numerum correxit.

21. - De servitio missionali

In Ms. act. 41, 61, 63-65, 92, 107.

1. Ad satisfaciendum iis qui sive de fine et natura nostrarum missionum quaerebant, sive de aliis quaestionibus actionis missionariae Societatis hodiernae in postulatis agebant, Congregatio praetulit decretum generale ferre quam singulis quaesitis seu desideriis separatum responsum dare. Hoc consilio, sub finem primae periodi, schema paratum est et Patribus Congregatis distributum, sed defectu temporis disceptationi non subiectum. Post primam vero periodum prodiit decretum conciliare « Ad gentes » et recentius litterae apostolicae « Ecclesiae sanctae », ac plures periti ex tota Societate interrogati sunt. Eorum iudiciis acceptis, Subcommissio de missionibus exteris totum schema retractavit, de quo Patres in disceptatione sententias dixerunt et emendationes proposuerunt. Tandem die 22 octobris 1966 suffragatio instituta est et decretum secundum ultimam formam approbatum (decr. 24).

2. De itineribus missionariorum in Provinciam originis facilius permittendis septem erant postulata, quorum unum missum erat ab omnibus Superioribus Maioribus Asiae Orientalis. Nihil quidem obstabat ex praecedentium Congregationum Generalium decretis. Quare Subcommissioni sufficere visum est declarare eiusmodi itinera consideranda esse quid normale in beneficium missionis et missionariorum, et accuratiores normas definiendas committere Patri Generali. Hoc iudicium a Congregatione approbatum est die 5 novembris 1966 (decr. 25).

22. - De oecumenismo

In Ms. act. 77-79, 101, 102, 115.

Quattuor postulata desiderium patefaciebant ut spiritus et opera oecumenica in Societate promoveretur. In prima periodo Congregationis relatio parata est, addito brevissimo decreti schemate; sed disceptandi tempus defuit. Posterius Electores aliquot aliique rerum oecumenicarum et conciliarium periti alteram relationem retractatam conscripserunt, quae omnibus Patribus Congregatis missa est.

Inita secunda periodo, nova Subcommissio constituta est, quae, consideratis Electorum et peritorum animadversionibus et ratione habita magnae in hac re condicionum varietatis in variis regionibus, textum denuo recognovit. Disceptatum est tunc in sessionibus plenariis; et absoluta disceptatione, Emmus Cardinalis Augustinus Bea, Praeses Secretariatus pro Unione Christianorum, a Patre Generali invitatus, Patres Congregatos allocutus est. Tandem die 2 novembris 1966 approbatum est decretum (decr. 26).

23. - De institutionibus pastoralibus

In Ms. act. 43, 44, 95-97, 116.

In prima Congregationis periodo investigatum est et in aula disceptatum de accipienda paroeciali cura animarum, ut in pluribus postulatis proponebatur. Ad suffragationem tamen, tempore deficiente, non est perventum. In interruptione duae relationes paratae sunt a Subcommissione competente: altera de institutionibus pastoralibus, praesertim de Apostolatu Orationis et Congregationibus Marianis, altera de labore apostolico in paroeciis. His relationibus ad Patres Congregatos missis et eorum animadversionibus habitis, atque consultis etiam Secretariatibus Apost. Orat. et Congr. Mar., in secunda periodo a tribus coetibus Patrum separatim conscripta sunt tria capita, ex quibus schema decreti constat. Instituta dein est consueta disceptatio generalis, post quam definitivus textus decreti approbatus est a Congregatione die 14 novembris 1966 (decr. 27).

24. - De apostolatu educationis

In Ms. act. 97-100, 115, 123.

Postulata non pauca petebant a Congregatione ut munus docendi in collegiis alumnorum definiret, ratione habita cum indolis nostrae vocationis tum doctrinae theologicae de charactere et officio sacerdotis in Ecclesia. Haec postulata ponderata iam sunt in prima Congregationis periodo. Postea, exeunte mense ianuario 1966 aliqui Electores convenerunt, et, examinatis prioribus laboribus et commendationibus a Praefectis studiorum factis, auditisque aliis peritis, relationem paraverunt, quae omnibus Patribus Congregatis missa est. Propter materiae momentum haec relatio causa fuit multarum animadversionum, quarum aliquae ipsam utilitatem huius apostolatus in dubium vocabant, aliae respiciebant particularia eius problemata. Quapropter Subcommissio de educatione, considerationibus generalioribus praemissis, in textum decreti, una cum normis

nostrae aetatis necessitatibus accommodatis, inserendas duxit etiam normas datas in praecedentium Congregationum decretis. De hoc schemate sat diu disceptatum est in secunda periodo Congregationis, adhibitis ad experimentum translationibus simultaneis: quadraginta circiter Patres locuti sunt, et fere sexaginta emendationes propositae. De quibus omnibus die 12 novembris 1966 suffragatio facta est, et textus definitivus approbatus (decr. 28). Intercessiones tamen factae sunt, quae in duobus locis accuratiorem loquendi modum optabant; et a Congregatione acceptae sunt die 17 eiusdem mensis.

25. - De labore et investigatione scientifica

In Ms. act. 65, 66, 68, 69, 103.

Haec quaestio sive directe sive indirecte in pluribus postulatis tangebatur. In prima Congregationis periodo investigata est comparate ad munus sacerdotale, et ea ratione schema paratum est, quod distributum est Patribus Congregatis. Multis animadversionibus acceptis, initio secundae periodi propria Subcommissio constituta est, quae novam relationem confecit in duas partes divisam, quarum prima iustificationem quandam decreti praebebat, altera decretum ipsum in quinque capita distributum. Facta consueta disceptatione, Subcommissio curavit decretum retractare secundum oratorum emendationes et propositiones, et hac de causa primum caput in duas paragraphos divisit, ut maius momentum scientiis sacris tribueretur. Decretum ita retractatum a Congregatione approbatum est die 2 novembris 1966 (decr. 29).

26. - De artibus in Societate colendis

In Ms. act. 112-114, 119.

Quidam Patres Congregati postularunt ut Congregatio decreto proprio agnosceret valores apostolicos artium liberalium. Subcommissio ergo constituta est, quae relationem pararet. In ea Subcommissio demonstravit quem locum eiusmodi artes habuerint in historia Societatis et in documentis Ecclesiae, in confirmationem afferens decretum conciliare « Gaudium et spes », n. 62; et contendit eas artes his nostris temporibus maiorem etiam influxum exercere in animos hominum, propter maiorem locum quem in hodierna vita habent media communicationis socialis. His praemissis, textum decreti proposuit, quod post disceptationem in aula, a Congregatione admissum est die 15 novembris 1966 (decr. 30).

27. - De domibus romanis interprovincialibus

In Ms. act. 100, 102-104, 106, 118.

Ut postulatis responderet, quae domos in Urbe a Praeposito Generali immediate dependentes amplius promoveri optabant, Subcommissio de educatione, iam in prima periodo, relationem de indole et condicionibus harum domorum cum quodam commendationis schemate paraverat et Patribus Congregatis distribuerat. Quo accuratius autem res examinaretur, in secunda periodo specialis Subcommissio constituta est, quae alterum decreti schema confecit. Post consuetam disceptationem, hoc schema a Congregatione sancitum est die 15 novembris 1966 (decr. 31).

28. - De apostolatu sociali

In Ms. act. 23, 24, 32.

Quamquam in apostolatu sociali tres postremae Congregationes Generales XXVIII, XXIX et XXX versatae erant, ad resarciendos tamen quosdam defectus qui in nostra legislatione sociali inveniebantur, et ad respondendum postulatis, Subcommissio competens Congregationi proposuit ut, praecedentibus decretis suppositis et confirmatis, novum decretum conderet, in quo aliqui aspectus apostolatus socialis distinctius definirentur. Ita factum est in prima Congregationis periodo, et, secundum praescriptum procedendi modum, novum decretum discussum et approbatum est die 1 iulii 1965 (decr. 32).

29. - De ratione cum laicis habenda

In Ms. act. 63-66, 82, 100-103, 112.

De laicis et eorum collaboratione in nostro apostolatu in pluribus Congregationis decretis sermo est. Consideratis tamen Concilii Vaticani II praescriptis et doctrina, atque desideriis multorum in postulatis prolatis, necessarium visum est proprium decretum condere, eo potissimum consilio, ut Nostri modum sese habendi erga laicos ad doctrinam conciliarem accommodarent. Sub finem primae periodi, Subcommissio de laicis constituta est, quae tempore intervalli schema decreti paravit. Inita vero secunda periodo, et acceptis Patrum Congregatorum animadversionibus, Subcommissio opportunum iudicavit duo decreta disceptationi subicere: alterum generale de habitudine Societatis erga laicos et eorum apostolatum; alterum de arctiore vinculo iuridico Societatis cum quibusdam laicis. Nam in

hac altera quaestione, non solum apostolatus, sed alii quoque aspectus nostri Instituti tanguntur.

Primum decretum, post consuetam disceptationem et emendationes, approbatum est die 14 octobris 1966 (decr. 33).

De altero problemate, disceptatione habita, cum varietas condicionum magna sit in variis Societatis regionibus, satius visum est rem totam iudicio et prudentiae Praepositi Generalis committere. Quod a Congregatione suffragatione probatum est die 10 novembris 1966 (decr. 34).

30. - De mediis communicationis socialis

In Ms. act. 18, 32.

1. Attentis postulatis nonnullis et ordinationibus R. P. Ioannis B. Janssens, opportunum visum est, iam in prima Congregationis periodo, decretum de hac re condere, in quo normae hucusque datae colligerentur et ordine disponerentur, atque nova Societatis declaratione roborarentur (decr. 35). Huic Congregatio addidit specialem commendationem Stationis Radiophonicae Vaticanae, a Summo Pontifice Societati commissae (decr. 36). Utrumque decretum approbatum est die 1 iulii 1965.

2. Duo postulata agebant de opportunitate constituendi apud Praepositum Generalem « centrum » informationis, ad eos nuntios colligendos et diffundendos qui nostro apostolatui utiles forent. Re modo consueto a competente Subcommissione examinata et proposita, et in aula discussa, Congregatio hanc propositionem Patri Generali commendandam esse duxit (decr. 37).

31. - De Congregatione Generali

In Ms. act. 47, 52, 53, 55, 58-60, 75, 76, 108, 109, 120.

1. Quaedam postulata proponebant ut Congregatio Generalis statis temporibus, ex. gr. sexto quoque anno, cogeretur. Re tamen investigata a Subcommissione de Congregationibus, visum est rationes quae tempore sancti Ignatii valebant ne Congregationes Generales certo tempore fierent, adhuc valere; incommoda vero in postulatis allata removeri satis posse a Congregationibus Procuratorum et a Congregationibus Provinciarum, quarum munus amplificatum nunc est. Praeterea, maiorem communicationem inter caput et membra obtineri posse per Congregationes Provincialium, per Relatores in Congregationibus Provinciarum electos, per itinera Praepositi Generalis in Provincias et Provincialium in Urbem. Quibus omnibus con-

sideratis, Congregatio die 14 iulii 1965 decrevit Congregationes Generales non esse statis temporibus cogendas.

2. Alia non pauca postulata agebant de restringendo numero congregandorum in Congregatione Generali, de aequiore « repraesentatione » Provinciarum, de iure concedendo Praepositis Viceprovinciarum ex officio adeundi Congregationem Generalem, sive cum socio electo, sive sine socio. Iam ante Congregationem nostram ampla et accurata investigatio de his rebus facta est a quodam perito. In Congregationis vero prima periodo Subcommissio de Congregationibus relationem paravit et animadversionibus acceptis retractavit, in qua plures methodi excogitabantur huius haud facilis quaestionis solvendae. In secunda periodo disceptatio per plures sessiones instituta est. Sed tandem, die 22 septembris 1966, Congregatio statuit ut in proxima Congregatione Generali XXXII serventur normae nunc vigentes, i. e. ut eidem intersint ex unaquaque Provincia Provincialis cum duobus Electoribus; Viceprovinciarum vero independentium Praepositi ne vocentur ad Congregationem Generalem ex officio, neque cum socio in Congregatione Viceprovinciae electo, neque sine socio eiusmodi.

3. Experientia ipsa Congregationis nostrae et non pauca postulata opus esse suadebant ut negotia in Congregatione tractanda accuratius praepararentur, et ut ipsi Congregationi praesto essent periti in omnibus quaestionibus difficilioribus. Huic rei studuit Subcommissio competens, et relationem paravit in prima periodo; de qua tamen disceptatio habita est mense novembri 1966. Decretum cum quibusdam emendationibus in disceptatione propositis sancitum est die 16 eiusdem mensis (decr. 38).

4. Cum litterae apostolicae « Ecclesiae sanctae », a Summo Pontifice Paulo VI motu proprio die 6 augusti 1966 datae, praescriberent ut ad accommodatam renovationem promovendam in singulis institutis religiosis, congregaretur intra duos vel ad summum tres annos speciale Capitulum Generale, ordinarium vel extraordinarium, mota est quaestio utrum haec Congregatio Generalis XXXI satisfaceret illi pontificio praescripto, an alia Congregatio Generalis convocanda esset. Res modo consueto examinata est: consulti sunt sex viri periti; relatio a Subcommissione parata est, de qua Patres Congregati suas animadversiones scriptas fecerunt; disceptatio in aula secuta est. Congregatio tamen censuit suum non esse de hac re suffragari, sed interrogandam esse S. Congregationem de Religiosis; quae die 12 novembris 1966 respondit secundam periodum nostrae Congregationis gaudere illis requisitis quae in litteris apostolicis « Ecclesiae sanctae » exiguntur (cf. doc. 4).

32. - De Congregationibus Procuratorum et Provincialium

In Ms. act. 15, 16, 42, 85, 89, 90, 93.

Congregationem Procuratorum alia postulata supprimi volebant, alia apte accommodari. Iam in praeparatione Congregationis R. P. Janssens quaestionem posuerat et investigatio a perito facta fuerat. In Congregationis prima periodo, Subcommissio de Congregationibus relationem exaravit, et postquam modo praescripto animadversiones factae sunt et in aula disceptatum, iudicio Congregationis rem per gradus definiendam proposuit. Die igitur 9 iulii 1965 Congregatio decrevit: Congregationem Procuratorum non esse supprimendam; renovandam tamen esse seu accommodandam in fine et in membris: a) In fine, ut, praeter suffragationem de cogenda aut non cogenda Congregatione Generali, consultatio fiat, duce Praeposito Generali, de rebus et actione Societatis in universum; b) In membris, ut alternatim conveniant Procuratores, in Congregationibus Provinciarum electi, et Praepositi Provinciales (qui tamen obligentur ad sequendum « votum » suae Provinciae, si hoc sit de cogenda Congregatione Generali); cum vero conveniunt Provinciales, alius eligatur, qui possit esse aut Professus aut Coadiutor spiritualis, quique relationem scriptam mittat, et, de iudicio Generalis, Romam possit advocari. Tandem Congregatio haec omnia extendit ad Viceprovincias independentes. In secunda Congregationis periodo, Subcommissio, nixa nominatim quibusdam factis historicis quae prius considerari non poterant, proposuit quaestionem redintegrare; sed Congregatio id non probavit. Quare quaestiones additiciae tantum consideratae sunt. Die 24 octobris 1966 decretum est ut sexennalis Provincialium conventus cum Praeposito Generali eiusque Assistentibus et Consiliariis, appellaretur « Congregatio Provincialium »; ut prima post Congregationem Generalem convocanda sit Congregatio Procuratorum in Congregationibus Provinciarum electorum; ut cum, post accepta Romae « vota » Congregationum Provinciarum et Viceprovinciarum independentium, iam certum sit in Congregatione Provincialium suffragia pro cogenda Congregatione Generali fore plura medietate, Congregatio Provincialium non sit ex iure habenda (decr. 39).

33. - De Congregatione Provinciae

In Ms. act. 19-23, 42, 83, 85-88, 97-99, 114, 115, 119, 120, 123.

Norma vigens de compositione Congregationis Provinciae iam dudum multis displicebat. Quare nihil mirum si plurima postulata quaestionem hanc moverent; quam, in praeparatione Congregationis

Generalis, R. P. Janssens iam posuerat, et de qua accurata investigatio a perito facta erat. In prima nostrae Congregationis periodo, tres solutiones praecipuae propositae sunt a Subcommissione de Congregationibus: limes aetatis congregandorum, congruens aetatum proportio, electio praevia. Re de more examinata et discussa, die 9 iulii 1965, Congregatio statuit: a) Legislationem vigentem esse reformandam; aliquam tamen limitationem numeri congregandorum esse retinendam; b) Non esse inducendum criterium limitis aetatis neque distributionis secundum aetates, sed praeferendum esse criterium electionis praeviae. Plures ulteriores determinationes restabant, quae examinatae sunt in secunda periodo. Facta praevia suffragatione, qua definiretur, ad normam Form. C. Gen., in quibus quaestionibus necessariae essent duae tertiae partes suffragiorum, die 22 octobris 1966 Congregatio decrevit ut in illa praevia electione: a) Vocem activam haberent, non solum Professi quattuor votorum, sed etiam Coadiutores spirituales et temporales formati, et quidem eodem iure ac Professi; minime vero Scholastici sacerdotes qui theologiam absolvissent, ut aliqui proponebant; b) Vocem passivam haberent, non solum Professi quattuor votorum omnes, sed etiam Coadiutores spirituales, ita ut numerus Coadiutorum posset quidem adaequare, numquam vero superare numerum Professorum. Die 12 novembris, ulterius procedens, Congregatio constituit ut etiam Coadiutores temporales formati haberent vocem passivam, sed ita ut ad summum quinque vocari possent ad Congregationem, et unus saltem adesse deberet. Propositae tandem sunt aliquae quaestiones complementi gratia, de quibus Congregatio iudicium tulit in ultima sessione, die 17 novembris (decr. 40 et 51).

34. - De gubernatione in genere

In Ms. act. 17-19.

Documentum de gubernatione in genere paratum est a Subcommissione competente. De eo factae sunt animadversiones scriptae et disceptatio in sessionibus plenariis. Sed ex hac disceptatione apparuit quaestiones in eo agitatas melius et accuratius tractandas esse in decretis de vita religiosa, praesertim in decreto de oboedientia, et hac de causa minus utile videri separatum decretum ferre de gubernatione in genere.

35. - De gubernatione Societatis universae

In Ms. act. 3-7, 12-16, 20-26, 30, 32-34, 41,
46, 49, 53, 55, 56, 58, 60, 66.

1. *De Praeposito Generali.* — a) De duratione muneris Praepositi Generalis — ut supra in n. 3 dictum est — iam ante eius electionem in pluribus sessionibus est disceptatum. Post electionem Congregatio confirmavit Constitutiones quae statuunt Praepositum Generalem eligendum esse ad vitam; re autem modo consueto a Subcommissione competente examinata et in sessionibus plenariis discussa, clariores normas statuendas esse duxit de muneris renuntiatione, retractato decreto 260 Collectionis Decretorum. Utrumque statutum approbatum est diebus 8 et 13 iulii 1965, et textui decreti Congregatio suffragata est die 15 eiusdem mensis, addita facultate illud statim promulgandi (decr. 41).

b) Ne in tanta negotiorum complexitate Praepositus Generalis adiutorio careret, examinatis a Subcommissione postulatis quae de hac re agebant, et disceptatione in aula habita, die 8 iulii 1965 Congregatio probavit ut in decreto 262 Collectionis Decretorum, firma § 3 de Vicario Generali substituto, adiungeretur § 4 de iure Praepositi Generalis nominandi Vicarium Generalem adiutorem, quoties id sibi necessarium vel conveniens videretur (decr. 41, n. 3).

c) In nonnullis postulatis manifestum fiebat desiderium ut Pater Generalis regiones et Provincias Societatis ipse visitaret, saltem cum adsint graviora negotia. Consideratis commodis et incommodis, Congregatio ea itinera Praeposito Generali censuit esse commendanda (decr. 42).

2. *De Vicario Generali mortuo Generali.* — Necessitas bene praeparandi Congregationem Generalem, quam Patres Congregati experti erant, et numerus Assistentium Generalium ad quattuor redactus, quaestiones ponebant de munere Vicarii Generalis mortuo Generali. Hae quaestiones, propositae in duobus postulatis, examinatae sunt a Subcommissione de gubernatione universali in Congregationis interruptione, et post acceptas Patrum Congregatorum animadversiones, disceptationi in secunda periodo subiectae. Tandem die 17 octobris 1966 Congregatio decrevit mutationes quae inducendae sunt in Officium Vicarii Generalis (decr. 43).

3. *De Assistentibus Generalibus.* — Crescente Societate et aucto propterea numero Assistentium, non pauca incommoda sequebantur ex usu invecto a Congregatione Generali I, ut iidem essent Assistentes ad providentiam et ad consilium. De hac re in praeparatione Congregationis egerat R. P. Janssens et studium periti factum erat. Praeterea septuaginta circiter postulata missa erant Congregationi. Sub-

commissio de gubernatione universali, examinatis attente Constitutionibus et historia Societatis, plures solutiones excogitavit et Congregationi proposuit. Postea, facta praevia suffragatione indicativa ad cognoscendam Congregationis mentem, Subcommissio relationem paravit, et acceptis de more animadversionibus iudicium definitivum disceptationi subiecit. Quaestio diu discussa est. Tandem die 24 iunii 1965 Congregatio statuit: a) Ut quattuor tantum Assistentes eligerentur a Congregatione, qui exercerent providentiam Societatis erga Generalem, et essent consultores P. Generalis sensu canonico; alii consiliarii (Consiliarii Generales, Assistentes Regionales et Consiliarii periti) nominarentur a P. Generali; b) Ut duratio muneris illorum quattuor Assistentium Generalium, ad normam Constitutionum, non esset limitata, sed illi eligerentur usque ad electionem novi Praepositi Generalis, ita tamen ut eis alii sufficì possent ad normam retractandi decreti 269 Collectionis Decretorum, et Congregatio Generalis, etiamsi ad sola negotia cogeretur, posset semper novos Assistentes eligere; c) Ut explicite diceretur has dispositiones esse « ad experimentum », usque ad proximam Congregationem Generalem. Suffragatione absoluta, P. Generalis declaravit se pro hac vice nominaturum Consiliarios Generales eos ipsos quos Congregatio eligeret Assistentes Generales. Facta quidem est intercessio de duratione muneris Assistentium Generalium; sed suffragatione iterata, in neutro casu obtentae sunt duae tertiae partes suffragiorum, quae necessariae sunt ad Constitutiones mutandas. Tandem die 28 iunii 1965 approbatus est textus decreti de Assistentibus Generalibus; cui postea in secunda periodo additae sunt quaedam declarationes ad dubia vitanda: decretum 264 Collectionis Decretorum simpliciter suspendi usque ad proximam Congregationem Generalem; approbationem vero Assistentium et Provincialium, in novo Assistente Generali designando extra Congregationem Generalem, requiri ad validitatem (decr. 44, I).

4. *De aliis consiliariis Praepositi Generalis.* — In suffragatione de Assistentibus Generalibus approbata iam erat exsistentia aliorum consiliariorum; sed ulteriores determinationes erant necessariae. Quaestione proposita et discussa, die 1 iulii 1965 Congregatio decrevit: a) Ut P. Generalis haberet Consiliarios Generales, a quibus adiuvaretur praesertim in iis quae sunt universaliora Societatis; Consiliarios regionales, a quibus adiuvaretur praesertim in negotiis alicuius regionis; et Consiliarios peritos, a quibus adiuvaretur praesertim in quaestionibus specialibus; b) Ut quattuor ii Assistentes ad providentiam vocarentur « Assistentes Generales », Consiliarii de rebus universalioribus, « Consiliarii Generales », Consiliarii de negotiis singularum regionum, « Assistentes Regionales », et ceteri, « Consiliarii periti »; c) Ut Assistentes Regionales nominarentur auditis regionis

Provincialibus, et si nominatio fieret durante Congregatione Generali, auditis etiam Electoribus illius regionis seu Assistentiae (decr. 44, II).

5. Mutata figura Assistentium, dubium exoriebatur de eorum iure ad Congregationes Societatis. Re modo consueto examinata et discussa, Congregatio die 22 septembris 1966 novas normas servandas statuit, donec proxima Congregatio Generalis de hoc experimento ultimum iudicium ferat (decr. 44, III).

6. *De Visitatoribus.* — a) Quoddam postulatum proponebat retractari decretum 274 Collectionis Decretorum, ut vitarentur dubia vel difficultates quae obvenire possent. Re examinata et de more discussa, Congregatio die 17 septembris 1966 petitioni annuit (decr. 45, n. 1).

b) De munere ipso Visitatoris nonnulla alia agebant postulata. Quaestio agitata est, consultis documentis iuris et historiae Societatis. Die tamen 8 iulii 1965 Congregatio statuit nihil immutandum esse in nostra legislatione de Visitatoribus; sed Praeposito Generali commendandum ne Visitatores diu in munere manerent neque indefinita auctoritate vel iurisdictione pollerent (decr. 45, n. 2).

36. - Electio Assistentium Generalium et nominatio aliorum Consiliariorum Praepositi Generalis

In Ms. act. 24, 27-30, 33, 41.

1. Soluta quaestione de Assistentibus Generalibus, et expleto quadriduo informationum aliisque Formulae praescriptis rite servatis, die 29 iunii 1965, in tribus sessionibus et distinctis scrutiniis, electi sunt Assistentes Generales: P. Paulus Dezza, Elector Provinciae Veneto-Mediolanensis (secundo scrutinio), P. Vincentius T. O'Keefe, Elector Provinciae Neo Eboracensis (primo scrutinio), P. Ioannes L. Swain, munere Assistentis et Vicarii Generalis nuper defunctus (secundo scrutinio), et P. Andreas Varga, Substitutus Praepositi Provinciae Hungariae (tertio scrutinio).

2. Die 30 iunii, praesentibus iis quoque Patribus qui ad sola negotia Congregationem ingressi erant, tertio scrutinio electus est Admonitor Praepositi Generalis P. Ioannes L. Swain.

3. Pater Generalis, ut dictum est, Consiliarios Generales eos nominavit quos Congregatio Assistentes Generales elegerat. Postea, auditis cuiusque Assistentiae Provincialibus et Electoribus, Assistentes Regionales die 8 iulii nominavit: pro Assistentia Italiae, P. Hyginum Ganzi, e Provincia Taurinensi; pro Assistentia Germaniae, P. Marium Schoenenberger, e Viceprovincia Helvetica; pro Assistentia Galliae, P. Mauritium Giuliani, e Provincia Parisiensi; pro Assistentia Hispaniae, P. Victorem Blajot, e Viceprovincia Boliviana; pro Assistentia

Angliae, P. Andream Snoeck, e Provincia Belgica Septemtrionali; pro Assistentia Americae, P. Haroldum Small, e Provincia Oregoniensi; pro Assistentia Slavica, P. Antonium Mruk, e Provincia Poloniae Minoris; pro Assistentia Americae Latinae Meridionalis, P. Candidum Gaviña, e Provincia Argentinensi; pro Assistentia Indiae, P. Hieronymum D'Souza, e Provincia Madurensi; pro Assistentia Americae Latinae Septemtrionalis, P. Emmanuelem Acévez, e Provincia Mexicana Septemtrionali; pro Assistentia Asiae Orientalis, P. Herbertum Dargan, e Provincia Hiberniae.

37. - De gubernatione Provinciarum et domorum

In Ms. act. 16-18, 24, 30, 44, 47, 77-81, 95, 103, 104, 112, 121, 123.

1. *De Provincialibus.* — Multa postulata agebant de Provincialibus, sive ut maior potestas eis tribueretur, sive ut ipsi magis iuvarentur a consultoribus et peritis, sive ut foveretur cooperatio interprovincialis. Congregatio, cum maiorem potestatem Provincialibus concedere ad munus Praepositi Generalis pertineat, die 12 iulii 1965: a) Voluit retractari nonnulla decreta in quibus Provincialibus praescribitur impetrandus consensus Praepositi Generalis; b) Commendavit P. Generali ut pro sua prudentia ampliores facultates Provincialibus communicaret, et ut Provinciales, post aliquod tempus muneris suscepti, Romam vocarentur ut cum Patre Generali coram loqui possent et melius praepararentur ad Provinciam regendam secundum mentem sancti Ignatii; c) Provincialibus commendavit ut magis uterentur commissionibus peritorum et consultationibus Provinciae, in quibus alii quoque Patres vel Fratres pro materia tractanda iuvare possent; d) Commendavit etiam ut mutaretur norma Epitomes n. 825, 3°, ne munus Admonitoris Provincialis necessario committendum sit eius Socio; e) Tandem sancivit decretum proprium de Provincialibus (decr. 46).

2. *De Superioribus localibus* relatio parata erat in prima Congregationis periodo, et animadversiones Patrum Congregatorum acceptae. Sed postea praeferendum visum est non ferre decretum separatum de Superioribus localibus, sed materiam tractari in aliis decretis, nominatim in decreto de vita oboedientiae in Societate.

3. *De Consultoribus seligendis.* — Quamquam in Societate, secus atque in aliis institutis religiosis, consensus vel consilium Consultorum ad actum validum Superioris generatim non requiritur, ut se tamen magis accommodaret menti Sanctae Sedis in litteris apostolicae « Ecclesiae sanctae » significatae, Congregatio die 10 novembris 1966 decretum tulit ad modum definiendum quo sodales Societatis partem habeant vere efficacem in Consultorum selectione. Interces-

sione postea facta, restituta sunt verba « vere efficacem », quae in textu decreti exciderant (decr. 47).

4. *De cooperatione interprovinciali* diutius deliberatum est. In prima Congregationis periodo Subcommissio competens relationem paravit, de qua post acceptas animadversiones disceptatum est in aula; sed nihil tunc decisum est, quia, quibusdam Patribus petentibus, Congregatio iudicavit rem, nondum maturam, esse ad secundam periodum postponendam. Nova relatio parata est in interruptione Congregationis; de qua disceptatum est per plures sessiones in secunda periodo. Denique, die 25 octobris 1966 approbatum est decretum (decr. 48).

38. - De Formulis Congregationum

In Ms. act. 3, 7, 11, 12, 17, 20, 23-25, 48, 59, 60, 64, 89-91, 107, 114, 115.

1. Post consuetam deliberationem, die 9 iunii 1965 Congregatio statuit aliqua mutanda esse in nn. 25, 118 et 124 *Formulae Congregationis Generalis,* ut definiretur modus procedendi in secreto servando et in quibusdam mutationibus Instituti decernendis. Item die 16 novembris 1966 approbavit emendationes quasdam n. 116 de postulatis ad Congregationem Generalem mittendis (decr. 50).

Actum est etiam de mutandis caerimoniis electionis Praepositi Generalis, ut duo postulata proponebant. Variae mutationes propositae sunt a Subcommissione. Sed facta disceptatione, cum non constaret de condicionibus in quibus facienda esset futura electio et nominatim de statu legum liturgicarum, quae nunc mutantur, Congregatio die 27 septembris 1966 satius esse duxit, omisso capite VI in titulo III Formulae Congregationis Generalis, in n. 56 paragraphum addere qua ordo et modus agendorum die electionis dicerentur a Vicario proponenda et a Congregatione approbanda (decr. 50).

De potestate Congregationis Generalis ante electionem Praepositi Generalis deliberatum quidem est; sed cum res exigeret maiorem investigationem et aliae quaestiones graviores urgerent, nulla decisio facta est.

2. In *Formula Congregationis Provincialis,* praeter ea quae ad Congregationis compositionem pertinent, de quibus supra n. 33, Congregatio quasdam mutationes inducendas statuit: a) die 27 iunii 1965, in nn. 3 et 92, ne Provinciae quae persecutionem patiuntur a Congregatione prorsus absint; b) die 16 novembris 1966, in nn. 28, 74, 81, 86, de postulatis et rebus in Congregatione tractandis; c) die 5 novembris 1966, in nn. 29, 39, 43, 55, 76, ad quaestiones minores definiendas (decr. 51).

3. Sub finem Congregationis coetus peritorum constitutus est, qui de retractandis Formulis Congregationum curaret. Cum vero praeter mutationes ab ipsa Congregatione praescriptas, essent aliae inducendae, quae sive ex Congregationis legislatione quodammodo exiguntur sive in postulatis desiderantur, neque tempus tunc subesset ut a Congregatione singulatim examinari et approbari possent, Congregatio mandatum et facultatem dedit Praeposito Generali, ut cum suffragiis deliberativis eorum Patrum Curiae Generalis qui ratione officii ius habent ad Congregationem Generalem, hoc opus Formularum perficeret (decr. 52).

39. - De catalogo Censurarum et Praeceptorum

In Ms. act. 110, 111, 119.

Postulatum fuerat ut retractaretur Catalogus Censurarum et Praeceptorum nostris impositorum (Coll. Decr. dd. 303-315). Sed cum ageretur de rebus iuridicis implexis, quarum nonnullae investigationem quoque historicam exigerent, et in novo Codice Iuris Canonici pars poenalis recognoscenda esse praevideretur, Congregatio, audita relatione coetus canonistarum, et disceptatione de ea habita, satius iudicavit facultatem suam delegare Praeposito Generali (decr. 53).

40. - De praevia censura librorum

In Ms. act. 111, 119.

Nonnulla postulata proponebant retractari normas de praevia censura librorum. Relatio facta est a coetu canonistarum et de ea in aula disceptatum. Sed cum de normis circa doctrinam in Societate tenenda investigandum adhuc sit a commissione de Ratione Studiorum, neque scire possimus quae leges de hac re ferendae sint ab Ecclesia in novo Codice Iuris Canonici, quaestio iam nunc decidi non poterat. Ut tamen aliquod remedium difficultatibus afferretur, Congregatio eam commendavit Praeposito Generali, ei tribuens necessariam facultatem, ut, auditis peritis et Assistentibus Generalibus, normas particulares nostri iuris accommodaret (decr. 54).

41. - De quibusdam decretis abrogandis vel retractandis

In Ms. act. 120, 121, 123.

In Collectione Decretorum anno 1923 approbata quaedam decreta, ex. gr. de Instituti conservatione et renovatione, de studiis nostrorum Scholasticorum, de paupertate ..., Congregatio nostra, praemissa consueta investigatione et deliberatione, retractaverat. Restabant autem alia decreta quae variis ex causis aut retractari aut extra Collectionem amandari petebatur. Congregatio huic postulationi annuens, decretum 55 tulit, cuius nn. 2 et 3 approbavit die 12 iulii 1965; atque n. 1, die 17 novembris 1966 (decr. 55).

42. - De facultatibus concessis Praeposito Generali

In Ms. act. 49, 123.

Praeter facultates et delegationes quae in aliis decretis definiuntur:

1) Sub finem primae suae periodi Congregatio, pro illa tantum vice, Praeposito Generali concessit ut, ex causa proportionate gravi, posset ante finem Congregationis mutare Provinciales, ita vero ut qui inter utramque periodum munere Provincialis defuncti essent, ius retinerent adeundi Congregationem Generalem in secunda periodo, et qui eo tempore Provinciales constituerentur, Congregationem etiam ingrederentur pleno iure Electorum (decr. 49).

2) Cum opus legislativum Congregationis Generalis XXXI fuisset maximum, nec propterea semper curari potuisset de omnibus implicationibus quae nova decreta cum ceteris dispositionibus nostri iuris habere possunt, Congregatio facultatem fecit Praeposito Generali ut, cum voto deliberativo eorum Patrum Curiae Generalis qui ratione muneris ius habent ad Congregationem Generalem, abrogare vel obrogare posset decreta priorum Congregationum Generalium quae cum decretis huius Congregationis minus consonare viderentur (decr. 56 n. 1).

3) Ut postremae Congregationes facere consueverunt, sub finem utriusque periodi Congregatio Praeposito Generali, quibusdam sub condicionibus, concessit facultatem Collegia et Domos Professas dissolvendi, Acta quarundam sessionum approbandi, statuta Congregationis perpoliendi (decr. 56, n. 2).

43. - De aliis actis in Congregatione

In Ms. act. 11, 12, 20, 34, 43, 74, 81, 83, 92, 96, 104, 105, 109, 112.

1. Cum Collegia a sola Congregatione Generali alienari, dissolvi, transferri possint (cf. Form. Inst. n. 2; Coll. Decr. d. 281), a Congregatione petita est suppressio Collegii Beaumontani in Provincia Angliae et Collegii Liburniensi in Provincia Romana. Sed, Electoribus plurimis e pluribus Assistentiis petentibus, cum ageretur de re singulari maximeque implexa, Congregatio totum hoc negotium commisit Patri Generali cum plena facultate rem decidendi pro sua prudentia.

2. In utraque Congregationis periodo facultas citius abeundi concessa est quibusdam Patribus Congregatis sive propter gravia negotia quae moram non patiebantur, sive propter adversam valetudinem:

a) In prima periodo: P. Emmanueli Antunes, Elect. Prov. Lusit. (ab act. 20), P. Wenceslao Feřt, Proc. Prov. Bohem. (ab act. 35), P. Aloisio del Zotto, Elect. Viceprov. Keral. (ab act. 44);

b) In secunda periodo: P. Petro B. Velloso, Elect. Prov. Bras. Centr. (ab act. 73), P. Iosepho Čurič, Elect. Prov. Croat. (ab act. 76), P. Emmanueli Antunes, Elect. Prov. Lusit. (ab act. 89), P. Mauritio Eminyan, Elect. Viceprov. Melit. (ab act. 92), P. Ioanni Thomas, Elect. Prov. Wiscons., et P. Eusebio García Manrique, Elect. Prov. Arag. (ab act. 102), P. Ioanni Foley, antiquo Praep. Prov. Wiscons. (ab act. 108), P. Ioanni M. Le Blond, Elect. Prov. Gall. Sept., et P. Danieli Villanova, Praep. Prov. Sic. (ab act. 112), P. Iosepho Arroyo, Elect. Prov. Tolet. (ab act. 118).

Aliis Patribus concessum est ab una alterave sessione abesse.

3. Terminus afferendi nova postulata bis statutus est: die 9 iunii 1965, ad eos omnes qui de Congregatione non erant, et die 13 novembris 1966, appropinquante fine laborum, etiam ad Patres Congregatos.

44. - De Summi Pontificis benevolentia erga Congregationem

In Ms. act. 1, 11, 105, 110, 120.

Summus Pontifex Paulus VI bis voluit Congregationem Generalem praesens alloqui. Die 7 maii 1965 mane, antequam sessiones inchoarentur, totam Congregationem in aedibus vaticanis admisit et sua omina ac vota paterne manifesta fecit (cf. doc. 1). Sub finem Congregationis, die 16 novembris 1966, cum Patre Generali aliisque quinque Patribus Congregatis dignatus est concelebrare in Sacello Xystino, praesentibus reliquis omnibus Patribus Congregationis, quibus in altera oratione suas anxietates suamque fiduciam erga Socie-

tatem sincere et amantissime patefecit (cf. doc. 2). Praeterea pluries in utraque Congregationis periodo et in eius interruptione voluit per Patrem Generalem de cursu laborum certior fieri et Congregationis decreta ipse examinare. Congregatio Generalis per litteras die 16 novembris 1966 datas gratum suum animum significavit (cf. doc. 5).

45. - Congregatio solvitur

In Ms. act. 49, 123.

Die 17 novembris 1966 absoluta est Congregatio Generalis, quae die 15 iulii 1965 sessiones interruperat et die 8 septembris 1966 eas resumpserat.

In postrema utriusque periodi sessione P. Severianus Azcona, munere Assistentis defunctus, qui professione erat antiquissimus, omnium Patrum Congregatorum nomine locutus est ad gratias in primis Deo reddendas, deinde Patri Nostro eisque omnibus qui ad felicem exitum Congregationis iuverant. Postea Pater Generalis verba fecit, quibus, postquam summam laborum Congregationis breviter exposuerat, omnibus animum addidit ad efficaciter allaborandum ut eius decreta et statuta in effectum adducerentur et ita desiderata Societatis renovatio perficeretur.

Tandem rogati Patres num vellent Congregationem solutam decernere, omnes affirmative responderunt. Quare, recitato alternatim hymno « Te Deum laudamus », omnes discesserunt.

Itaque, absoluta sessione 123, post dies laboris centum quadraginta unum (quorum septuaginta in prima periodo et septuaginta unum in secunda), praeter multos Commissionum et peritorum conventus habitos in Congregationis interruptione, hora octava pomeridiana diei 17 novembris 1966, finis impositus est Congregationi Generali trigesimae primae, a Societate restituta duodecimae, cuius laboribus velit Deus ad maiorem suam gloriam benedicere.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS XXXI

I. DECRETA INTRODUCTORIA

1. - De hodierna missione Societatis Iesu

In Ms. act. 105-108, 121.

1. *De vita ac missione Societatis hoc novo tempore.*

Hac « nova aetate » in qua genus humanum nostro tempore versatur [1], Societas Iesu, iuxta spiritum totius Ecclesiae sese renovantis, agnoscit difficultates quae ex mutato ordine vivendi ac sentiendi scopum suum et vitae formam praepediunt. Simul etiam discernit Societas opportunitates tum eas quae oriuntur ex novis humani generis adiunctis tum quae profluunt ex renovatione Ecclesiae per Concilium coepta. Intendit ergo Societas suam indolem atque missionem intimius recognoscere, ita ut, fidelis suae vocationi perseverans, sese renovet vitamque suam et activitatem ad exigentias Ecclesiae et ad necessitates hominum nostrorum temporum accommodet.

Quaenam vero indoles, quodnam charisma peculiare nostrae vocationis sit, ex dynamico processu iam ab origine historiae Societatis est potissimum eruendum.

2. *Origo Societatis ex experientia Exercitiorum Spiritualium.*

Haec enim historia ex Exercitiis Spiritualibus, quae S. P. Ignatius eiusque socii peregerant, exordium habuit. Hac illi spirituali experientia ducti, coetum apostolicum in caritate fundatum efformarunt, in quo ipsi, emissis castitatis et paupertatis votis auctique sacerdotio, se ipsos in holocaustum offerrent Deo, in cuius laudem et honorem cederent sua omnia [2].

Invitationem Christi Regis audierant eamque secuti sunt; ideo non modo se totos ad laborem obtulerunt, sed, insignes fieri cupien-

---

[1] CONC. VAT. II, *Gaudium et spes,* n. 4.

[2] Cf. *Deliberatio primorum Patrum* (a. 1539): MHSI Mon. Ign. Const., I 2.

tes in omni servitio sui Regis, oblationes fecerunt maioris aestimationis et momenti [3]; ita ut sub vexillo Christi ab Ipso « mitterentur » in universum mundum, spargendo Eius doctrinam per omnes status et condiciones personarum [4].

3. « *Missio* » *sub Romano Pontifice.*

Hoc spiritu sese suamque vitam Christo Domino et eius vero et legitimo Vicario in terris obtulerant et dedicaverant; ut Ipse, tamquam Vicarius Christi, de ipsis disponeret, eosque eo mitteret ubi plus iudicavisset posse fructificare.

Prima vero missione, a Paulo III concredita, coetus Patrum erat dispergendus. Inde ergo, post plures deliberationes quibus varii spirituum motus discernerentur et rationes pro utraque parte ponderarentur, elegerunt primi illi Patres non debere se « Dei unionem et congregationem scindere », sed potius eam in dies confirmare et stabilire, reducendo sese ad unum corpus; imo, expedientius esse rati sunt praestare oboedientiam alicui ipsorum quo melius et exactius exsequi possent prima desideria implendi per omnia divinam voluntatem; ita tutius conservaretur Societas [5].

4. *Societatis Iesu constitutio* « *missionaria* ».

Inde evenit quod promissio Deo facta, oboediendi Romano Pontifici circa missiones, evaserit « principium nostrum et principale fundamentum » [6].

Talis enim oblatio et summam experientiarum de Christo in Exercitiis habitam expressit et primitivum coetum apostolicum in uno corpore devinxit et colligavit. Ad eam plenius explendam tota Societas ut « institutum vitae » sub Constitutionibus initium habuit.

---

[3] Cf. *Exerc.*, n. 97.

[4] Cf. *Exerc.*, n. 145. In *Deliberatione de paupertate* (a. 1544) S. Ignatius inter « commoda seu rationes non habendi ullos reditus » scripsit: « Esta [pobreza] eligiendo todos diez, nemine discrepante, tomamos per cabeza al mismo Jesú nuestro Criador y Señor, para ir debajo de su bandera para predicar y exhortar, que es nuestra profesión »: MHSI Mon. Ign. Const., I 80 n. 13.

[5] *Deliberatio primorum Patrum* (a. 1539): MHSI Mon. Ign. Const., I 7. Quo verus valor oboedientiae in Societate clarior appareat, id notandum est: initio oboedientiam fuisse potius « ad intra » pro corpore Societatis; « missiones » enim exclusive procedebant a Summo Pontifice. Facultas mittendi Socios « ad christifideles » data est Praeposito Generali a Paulo III anno 1542; mittendi vero « ad infideles », nonnisi anno 1549 in bulla *Licet debitum*, et quidem renitentibus quibusdam ex primis Sociis (cf. Ibid., p. 395). Inde iam oboedientia in Societate plenum sensum apostolicum seu « missionarium » acquisivit et consequenter summum quoque suum momentum.

[6] *Declarationes circa missiones* (a. 1544-1545): MHSI Mon. Ign. Const., I 162.

Primi autem Societatis gressus in viam Domini ab ipso Ignatio directi sunt per experientiam spiritualem, secundum quam ipse cursum eventuum luce divina interpretabatur; ita ut Ignatius condiderit Societatem talem quae ulterius, ex interna vi Exercitiorum, sub vitali impulsu Spiritus, in Ecclesia continenter sese renovet ad explenda ea quae vocatio et missio sua ad gloriam divinam et maius servitium animarum expostulent.

5. *Nova adiuncta historiae generis humani.*

Historia quattuor saeculorum, cum suis vicissitudinibus gloriae et humiliationis, penitius indolem Societatis eiusque primigeniam ideam illuminavit. Qualicumque gradu fidelitatis erga vocationem et missionem incepta et gesta sunt opera apostolica Societatis, haec tamen commonstrant, ex una parte, internum dynamismum in spiritu universalitatis et liberae disponibilitatis, ex alia vero limitationes et deficientias sociorum.

Hodie autem Societas nostra, pariter ac tota Ecclesia, adiuncta profunde mutata historiae humanae experitur [7]. Ipsi socii participant hodiernae « socialis et culturalis transformationis » et novorum vivendi modorum qui ex socializatione, urbanizatione, industrializatione atque crescente inter homines communicatione oriuntur, necnon mutatorum modorum cogitandi et sentiendi atque valores humanae vitae aestimandi. Experiuntur quoque acriorem factum esse sensum libertatis universalioremque appetitionem ad « plenam et liberam vitam »; simul ergo mutatas esse condiciones quae ipsam vitam religiosam afficiunt [8].

Conscii enim sunt tum illius purificationis vitae religiosae quae, secundum Concilium Vaticanum II, ex « acriore » facta « diiudicandi facultate » hodie dimanat [9], tum gravium problematum quae apud plures, etiam christianos, ex crisi nascuntur cui ipsum Evangelium et doctrina Ecclesiae per modernam criticam et hodiernam philosophiam subiciuntur. Nec possunt non percipere illam late sparsam obiectionem secundum quam doctrina et vita christiana homines a mundo eiusque conaminibus avertunt [10], dum ingentes multitudines vitam personae humanae indignam adhuc degere coguntur atque ipsum genus humanum verae unitatis expers manet.

Etiam apprime sciunt circumdari se variis doctrinis atheis, ac praesertim illo humanismo qui contendit « libertatem in eo esse quod homo sibi ipsi sit finis propriaeque historiae solus artifex et demiur-

---

[7] Cf. Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 1.
[8] Cf. Ibid., nn. 4, 6, 7, 9.
[9] Cf. Ibid., n. 7.
[10] Cf. Ibid., n. 34.

gus: idque componi non posse cum agnitione Dei »[11]. Ipsi autem et in seipsis saepius sentiunt illam ambivalentem appetitionem qua coaetanei sese ut homines perficere desiderant.

6. *Renovanda missio Societatis.*

Firmiter autem sodales Societatis omnes, in fide radicati, simul cum ceteris christianis, oculos extollunt ad Christum, in quo illam absolutam donationis sui perfectionem ac indivisam caritatem inveniunt, quae solae hominem Deo sibique plene reconciliant: nisi enim homines Christo adhaereant viamque sequantur quam Ille demonstrat, illam plenam sui realizationem quam in suis inceptis desiderant, frustra exoptant atque anhelant.

Ex hoc amore erga Christum, Societas in his necessitatibus totam se Ecclesiae offert, ut Summus Pontifex, tamquam Christi Vicarius, « mittat » omnes sodales in vineam Domini.

Sic Societas conabitur Ecclesiae esse iuvamini iuxta mensuram gratiae suae vocationis, dum ipsa Ecclesia mundum adiuvat ut Regnum Dei adveniat et totius generis humani salus instauretur. Ipse autem Dominus, cuius nomine nostra Societas insignita est, et sub cuius crucis vexillo regno sui amoris servire cupit, finis est humanae historiae, punctum in quod historiae et civilizationis desideria vergunt, humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque appetitionum plenitudo. « In Eius Spiritu vivificati et coadunati, versus historiae humanae peregrinamur consummationem, quae cum consilio Eius dilectionis plene congruit: 'Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terris sunt' (Eph 1, 10) »[12].

7. *Renovanda et accommodanda Societas.*

Quo nostra Societas hac nova aetate missionem suam sub Romano Pontifice aptius explere valeat, Congregatio Generalis XXXI renovationem ita pro viribus promovere nisa est, ut a nostro corpore amoveantur quae Societatis vitam constringere eamque a fine suo plene attingendo impedire possint utque sic interna libertas dynamica ad omne servitium Dei expedita fiat et in suo vigore corroboretur.

---

[11] Ibid., n. 20. Vide infra, pag. 51 decr. 3.
[12] Ibid., n. 45.

2. - De nostrarum legum renovatione

In Ms. act. 105-108, 121.

1. Accommodata renovatio nostri vivendi atque operandi modi sese extendit, ut par est, etiam ad corpus legum, quae Societatis spiritum et finem referunt, structuras describunt, actionem apostolicam regunt. Dum autem Concilium et documenta postconciliaria ad hanc reformationem invitant, accurate et luculenter distinguunt inter elementa fundamentalia seu permanentia instituti (sive id ut ratio vitae sive ut collectio legum intellegitur) atque ipsius elementa contingentia, quae pro adiunctis et exigentiis temporum sunt mutabilia.

2. Elementa priora, quippe quae ex ipsa consiliorum evangelicorum natura consequantur [1] vel Instituti nostri naturam specificam constituant [2], cum sint perennis valoris, conservanda quidem sunt, sed simul renovanda per continuum reditum ad omnis vitae christianae fontes, ad spiritum Fundatoris necnon ad instituti primigeniam inspirationem [3]. Elementa autem contingentia ita sollerter accommodari debent, ut vita religiosa ab elementis alienis purificetur et ab obsoletis liberetur [4]. Quin etiam, in hunc finem experimenta contra ius proprium a legitima auctoritate prudenter fieri possunt, immo et contra ius commune, si vero pro opportunitate ea a Sancta Sede permittantur [5].

3. Hac igitur via, advocante et ducente Matre Ecclesia et in continua quadam tensione inter fidelem voluntatem retinendi quod permanens et fundamentale perstare debet et vitalem necessitatem instituti adaptandi sese iis circumstantiis in quibus eius missio peragitur, Congregatio Generalis XXXI accommodatam Societatis renovationem aggressa est.

Sic censuit regimen integrum Societatis hodiernis necessitatibus et habitibus esse accommodandum; totam nostram institutionem in

---

[1] Cf. PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*, 23 maii 1964: Act. Rom. XIV (1964) 408.

[2] Haec elementa propria, quasi specificativa et praeservanda, diversimode describuntur: « integer Conditoris animus » (PAULUS VI, alloc. cit., p. 410); « propria instituti natura et disciplina » (Ibid.); « regularum ... spiritus ... integer » (Ibid.); « propria indoles » (CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 2, c); « Fundatoris spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt » (Ibid., n. 2, b; cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 12, a); « proprius spiritus » (PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 31); « finis, natura, indoles Instituti » (Ibid., n. 6; cf. nn. 33, 40; CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 20); « primigenius spiritus » (PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 16 § 3).

[3] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 2.

[4] Cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 16 § 3.

[5] Cf. Ibid., nn. 6-8.

spiritu et in studiis esse readaptandam; vitam ipsam religiosam et apostolicam esse renovandam; ministeria nostra ad spiritum pastoralem Concilii sub criterio maioris et universalioris servitii divini in mundo hodierno esse perpendenda; ipsumque nostri Instituti spirituale patrimonium, nova et vetera continens, iuxta necessitates nostrorum temporum esse obsoletis exonerandum, novis autem ditandum.

4. Tandem, cum omnis vera lex voluntatem Dei enuntiare quaerat, haec autem voluntas per unctionem Spiritus Sancti tam subditis quam praepositis et capitulis manifestari possit, merito Sancta Sedes urget amplam et liberam sodalium consultationem, ut per eam capituli opus adiuvetur et dirigatur [6]. Iam vero, quantum ratio temporis et adiunctorum suae indictionis permisit, Congregatio nostra hoc adiutorio usa est [7].

Cum vero apta renovatio pro semper fieri non possit, sed continua ratione sit fovenda [8], amplior adhuc consultatio in futuro haberi poterit [9], tum ut futurae Congregationes Generales praeparentur, tum ut Praepositus Generalis cum suo Consilio ea utatur ad prosequendam Societatis renovationem, vigore facultatum sibi a Sancta Sede concessarum usque ad proximam Congregationem [10].

3. - De munere Societatis erga atheismum

In Ms. act. 32, 33, 38, 49.

I. *De diffusione atheismi et de munere a S. Pontifice demandato.*

1. Cum gloria Dei, ut finis omnis creationis, et ipsum bonum hominis requirant ut ille Deum agnoscat Eique reverentiam exhibeat atque inserviat, periculum atheismi, in quo tam multi homines hodie versantur, socios Iesu valde stimulare debet ad purius testimonium vitae religiosae praestandum et ad opera apostolica alacrius amplectenda. Dei enim negatio non iam sicut transactis saeculis singularis eventus manet, sed apud multos, immo apud coetus sociales vel populos quasi integros diffunditur. In quibusdam nationibus ab ipsis potestatibus publicis atheismus systematice spargitur, laesis iuribus hominis ad liberam inquisitionem veritatis exercitiumque religionis; multo vero latius negatio Dei vel indifferentia erga religionem imbuit, directe quidem vel indirecte, vitam culturalem et socialem.

[6] Cf. Ibid., n. 4.
[7] Cf. I. L. SWAIN, Vic. Gen., Epist. de Congregatione Generali paranda, 15 dec. 1964: Act. Rom. XIV (1964) 525-526.
[8] Cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae,* II, n. 19.
[9] Cf. Form. C. Prov., n. 28 §§ 1, 2; Form. C. Gen., nn. 116, 117.
[10] Cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae,* II, nn. 7, 8.

Summus autem Pontifex Paulus VI, occasione sumpta ex conventu Patrum ad Congregationem Generalem XXXI adunatorum, Societati ratione specialis voti oboedientiae, demandavit ut atheismo « coniunctis viribus » obsisteret [1]: in hoc ergo strenue, etsi humiliter, pro sua parte, oratione et actione Nostri omnes incumbant oportet, atque sese gratos exhibeant quod sic melius « soli Domino ac Ecclesiae Ipsius Sponsae sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario », servire valeant [2].

II. *De cognitione atheismi eiusque causarum necnon motivationum atheorum.*

2. Ipsis atheis magis attentos sese praebeant socii omnes, cuicumque labori apostolico addicti sint, atque pleniorem cognitionem atheismi et indifferentiae erga religionem excolant. Formas diversas atheismi, sive systematicas sive practicas, investigent et, in quantum fieri possit, perspiciant.

3. Etiam causas eius bene dignoscant: sive illam habitudinem quam hodierna negatio Dei habet ad omnimodas mutationes quae in condicione materiali ac sociali hominum fiunt, sive illas « implicatas et multiplices » causas quae « in mente atheorum » reperiri possunt, « ita ut prudenter de iis sit iudicandum » [3], sive iniustitias sociales quae, praesertim in regionibus in via evolutionis, multos disponunt ad accipiendas doctrinas atheisticas cum programmatibus revolutionis socialis conexas.

III. *De aliquibus difficultatibus quae circa fidem in Deum moventur atque de remediis adhibendis.*

4. Ad superandas difficultates quae circa fidem, saepe etiam apud ipsos credentes, moventur, remedia apta adhibeant Nostri, cum intentione plene apostolica nulloque modo politica.

5. Cum difficultates saepe inde oriantur « quod poscitur, ut ordo rerum divinarum altiore purioreque ratione proponatur quam ea quae in quibusdam imperfectis sermonis cultusque modis invaluit » [4], enitantur Nostri repraesentationes de Deo purificare et vere personalem adhaesionem fidei inter credentes promovere.

6. Cum sint etiam aliqui athei, « mentis quadam magnitudine ornati », qui ducantur impatientia « mediocritatis et cupidinis proprii commodi ... quibus tot partes societatis humanae temporibus no-

---

[1] Vide infra, pag. 194, doc. 1.
[2] Form. Inst. Iulii III, n. 2.
[3] PAULUS VI, *Ecclesiam suam*: A. A. S., 56 (1964) 652.
[4] Ibid.

stris inquinantur »[5], adlaborent Nostri ut fides ad genuinum proximi amorem, practicum et socialem, semper ducat.

7. Cum alia ex parte legitima aspiratio ad autonomiam scientiarum navitatisve humanae saepe eousque perducatur ut contra agnitionem Dei obiectiones suscitet, vel immo alienatio a religione ut via ipsa ad liberationem hominis a nonnullis exhibeatur, enitendum est ut fides totam vitam concretam informet atque ut inde elucescat vitam christianam a mundo excolendo neminem avertere, immo valores humanos, sine superbia excultos, atque ipsum universum, a peccati corruptione mundatos, illuminatos et transfiguratos, inveniri posse in « regno aeterno et universali » quod Christus Patri in consummatione saeculi reddet[6].

IV. *De vitae nostrae ratione.*

8. Quae remedia in propria vita socii imprimis adhibeant oportet constanterque excolant illum sensum Dei viventis, operantis et amantis quem Exercitia S. P. Ignatii per meditationem fundamentalem et contemplationem ad amorem communicant. Atque in tota Nostrorum vivendi agendique ratione, in quantum fieri possit, appareat quid sit Deus: per illam nempe appropriationem habitudinis fundamentalis a Verbo Dei incarnato, in tota vita et maxime in sacrificio supremo manifestatae, quam eadem Exercitia inde a contemplatione Regni Christi intendunt.

9. Cum athei, ab ambitu mundi religiosi alieni, praesertim vitam ipsam et actiones nostras iudicaturi sint, omnino sincera esse debet nostra ratio vivendi et agendi, depositis omni specie superbiae omnique fictione.

V. *De institutione Nostrorum.*

10. Ita institutio Nostrorum aptetur, ut huiusmodi spiritualem vitam sincerumque ac fraternum stylum agendi fundare et promovere valeant. Instruantur etiam Scholastici ad mentem atheorum atque illorum theorias intellegendas, muniantur que apta doctrina, praesertim anthropologica moderno sermone tradita; curandum denique est, in quantum fieri possit, ut praesertim ii qui ex intactis ambitibus christianis proveniunt, contactus personales quosdam cum hominibus atheis tempestive habere possint.

---

[5] Ibid., p. 653.
[6] Cf. 1 Cor. 15, 24.

VI. *De hierarchia ministeriorum et eorum accommodatione ad exsequendum munus a S. Pontifice demandatum.*

11. Debet mandatum obsistendi atheismo omnes formas probatas nostri apostolatus permeare, ita ut apud credentes ipsam fidem et sensum genuinum Dei excolamus. Sed etiam partem virium nostrarum maiorem quam hucusque ad non credentes dirigamus oportet, nova quoque media quaerenda erunt experimentoque subicienda ut crebrius et intimius adeamus atheos ipsos, sive ad coetus illos pertineant qui maxime rerum indigentia laborant sive ad illos qui magis doctrina exculti sunt.

12. Considerantibus nobis regiones ubi spargitur atheismus, insistendum magis est in adiutorio praestando regionibus in via evolutionis, in quibus vita religiosa ob celeriores mutationes maioribus magisque subitaneis perturbationibus obnoxia est.

13. Perspicientibus vero principaliores causas atheismi, insistendum esse patet et in apostolatum socialem et in apostolatum universitarium, idque tum per nostras universitates tum quoque in universitatibus saecularibus.

14. Requiruntur etiam validi conatus intellectuales omnium nostrorum in scientiis peritorum, philosophorum et theologorum, et constans cooperatio inter illos qui diversas disciplinas, praesertim scientias « hominis », colunt.

15. In nostris scholis exponantur et crisi subiciantur hodiernae doctrinae atheorum, non vanae polemicae indulgendo sed quam exactissimam intellegentiam criticam promovendo argumentorum atheorum eorumque mentis.

16. Atheos ipsos adeant Nostri cum firmissima convictione quod lex divina in cordibus omnium inscripta est et cum fide quod Spiritus Sanctus omnes ad obsequium Deo creatori debitum movet; adlaborent ut impedimenta removeantur et ut athei Deum inveniant et agnoscant, tam per praedicationem unicuique accommodatam, cum religioso respectu coniunctam, quam per testimonium fraternum in vita concreta et in actione propositum.

17. Omnibus Superioribus curae sit apostolatum ad hunc scopum constanter aptare. Praeposito autem Generali peculiariter commendatur ut, in colloquio cum Summo Pontifice, mentem eius de missione ab eo concredita clare cognoscere enitatur, atque, ope consilii peritorum, universum apostolatum Societatis ad illam missionem pro viribus adimplendam dirigat.

II. DE INSTITUTO IN GENERE

4. - De conservatione et renovatione Instituti

In Ms. act. 52-54, 57.

1. *Introductio*

Siquidem « maximi momenti opus, in quo Capitula Generalia curas praecipuas ponere debent, hoc est, ut Instituti sui leges ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent ..., tamen ita ... ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur » [1], Congregatio Generalis, libenter exoptans viam patefacere et principia iuridica praebere pro corporis legum accommodatione, de qua in decreto introductorio, sequentes Collectionis Decretorum mutationes statuit atque decernit.

2. *De Instituto eiusque partibus*

In Prooemio Collectionis Decretorum hoc novum decretum initio inseratur:

Nomine Instituti Societatis intellegitur cum nostra vivendi atque operandi ratio [2] tum documenta scripta quibus haec ratio authentice et legitime proponitur [3]. Horum documentorum alia sunt verae leges, alia autem sanas Societatis traditiones ostendunt [4].

Ad gratiam nostrae vocationis, prout in Instituto descriptae, fideliter servandam, maximo valore Exercitia Spiritualia nostri S. Fundatoris gaudent, tam uti fons perennis illorum donorum interiorum, ex quibus efficaciam permanare ad finem nobis propositum oportet [5], quam uti expressio viventis spiritus ignatiani quo leges nostrae omnes moderandae sunt et interpretandae.

§ 1. Primum dignitatis auctoritatisque gradum in Instituto obtinet « Formula » Instituti seu « Regula » fundamentalis Societatis [6], primum a Paulo III [7], deinde exactius et distinctius expressa a Iu-

---

[1] PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*, 25 maii 1964: Act. Rom. XIV (1964) 410.

[2] Cf. PAULUS III, *Regimini militantis;* IULIUS III, *Exposcit debitum;* Form. Inst. Pauli III, nn. 1, 9; Form. Inst. Iulii III, nn. 1, 2, 9; *Const.*, Prooem. n. 1 [134]; P. I c. 2 n. 4 [152]; c. 3, I [186]; P. IV c. 7 n. 3 [398]; P. VI c. 3 n. 4 [686]; P. VII c. 1 n. 1 [603]; etc.

[3] Cf. *Coll.*, d. 7.

[4] Ex. gr., S. P. IGNATII Epistola de oboedientia (cf. *Coll.*, n. 7 § 1, 2°).

[5] Cf. *Const.*, P. X n. 2 [813].

[6] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 6.

[7] PAULUS III, *Regimini militantis.*

lio III [8], atque a compluribus successoribus in forma specifica approbata, quae praesertim in Ius Pontificium transiit.

§ 2. Sunt etiam aliae Instituti leges quae in Ius Pontificium transierunt, attamen non omnes eodem modo a Sancta Sede approbatae sunt, ideoque diverso gradu dignitatis et auctoritatis gaudent.

§ 3. Pertinent etiam ad Ius Pontificium Societatis proprium Litterae Apostolicae, Rescripta et Indulta pro Societate data.

3. *De Instituti conservatione et renovatione*

In Collectione Decretorum decreta 12-16 hoc modo mutentur:

Decr. 12. - § 1. In nostro Instituto ea imprimis substantialia seu fundamentalia sunt, quae in Formula Iulii III continentur [9]. In ea enim structura fundamentalis Societatis exhibetur, ex principiis evangelicis et ex usu rerum ac sapientia Sancti Patris Ignatii sociorumque eius sub influxu gratiae efformata [10]. Quare, prout in ipsa Formula commendatur, omnes Nostri huius sui Instituti rationem, quae via quaedam est ad Deum, quoad vixerint, ante oculos habere curent [11].

§ 2. Deinde ea quoque substantialia sunt, sine quibus illa quae Formula continentur, aut nullo modo, aut vix constare possunt [12]. Porro, Congregationes Generales quaenam sint haec substantialia declarare valent, sicut aliquando iam fecerunt [13]; immo pro praxi, ad tempus, Praepositus Generalis eadem facultate pollet.

Decr. 13 abrogatur.

Decr. 14. - § 1. Substantialia Formulae Instituti a Congregatione Generali declarari quidem possunt, non vero propria auctoritate mutari [14].

§ 2. Substantialia extra Formulam Instituti stabilitate hucusque habita gaudere pergant, nisi forte Congregatio Generalis alicuius eorum connexionem cum Formula notabiliter debilitatam fuisse iudicaverit.

§ 3. Constitutiones, in iis quidem quae substantialia non sunt, a Generali Congregatione mutari possunt et aliquando debent; quae mutatio non est definitive decernenda sine experimento praevio vel ratione clarissima [15].

---

[8] Iulius III, *Exposcit debitum.*
[9] Cf. C. G. V, dd. 44, 58.
[10] Cf. Paulus III, *Regimini militantis;* Iulius III, *Exposcit debitum.*
[11] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1.
[12] Cf. C. G. V, dd. 44, 45, 58.
[13] Cf. C. G. V, d. 58; C. G. XXVII, *Coll.*, d. 13 § 7.
[14] Cf. Form. Inst. Iulii III, n. 2; C. G. I, d. 16.
[15] Cf. C. G. I, d. 16.

§ 4. Decreta Congregationum Generalium necnon Regulae et Ordinationes a Praepositis Generalibus latae, etsi Collectioni Instituti insertae, non tantum a praefatis auctoritatibus, pro earum competentia, mutari queunt, sed in earum officio est illa ad temporum necessitates continenter accommodare [16].

§ 5. Omnis accommodatio Instituti eo tendat oportet, ut id semper statuatur, quod, omnibus perpensis, ad Dei cognitionem, amorem, laudem, servitium, et ad animarum salutem magis collaturum esse videatur. Legibus etenim nostris omnibus quasi fundamentum seu normam primam subiecit S. Pater Ignatius maiorem Dei gloriam et auxilium animarum [17].

Decr. 15. - § 1. De substantialibus Instituti Congregationibus Provinciarum agere licet, quotiescumque rationes graves adsunt et iuxta normas in Formula Congregationis Provinciae statutas.

§ 2. Omnes nostri qui ad Congregationem Generalem vel Provincialem postulata mittant, prae oculis habeant quae supra decreta sunt, atque ratione habita debiti erga Societatis patrimonium amoris necnon et propriae responsabilitatis, sua quisque desideria pro accommodata Instituti renovatione proponat. Lumen autem ad eiusmodi postulata conficienda necessarium, non solummodo ex colloquiis sed imprimis ex oratione se hausturos esse intellegant.

Decr. 16. - In Societate non admittitur consuetudo contra ius nostrum.

4. *De censuris et praeceptis quae ad Instituti conservationem pertinent.*

Congregatio Generalis XXXI praeceptum sanctae oboedientiae d. 306 Coll. Decr. abrogat; mandat praeterea A. R. P. Generali ut, quatenus opus sit, a Sancta Sede poenarum de quibus in Coll. Decr d. 305, rescissionem petat. Exoptat enim Congregatio ut amor et desiderium omnis perfectionis omnes Nostros ducat ad veram conservationem et incrementum non solum corporis sed etiam spiritus Societatis [18].

---

16 Cf. PAULUS III, *Iniunctum nobis;* IULIUS III, *Exposcit debitum; Const.*, Prooem. Decl. [136]; C. G. VII d. 76; C. G. XXVII, *Coll.*, dd. 1, 3, 14, 15.

17 *Exam.* et *Const.*, passim.

18 Cf. *Const.*, P. VI c. 5 [602]; P. X n. 2 [813].

5. - De graduum discrimine

In Ms. act. 33-35, 37, 38, 42, 43, 55-59, 61, 62, 65, 67-73.

1. - Congregatio Generalis decernit ut, statim post absolutam Congregationem Generalem XXXI, Commissio constituatur, quae totum negotium de suppressione gradus Coadiutorum spiritualium, sive in iure sive in praxi, investiget, et quae proximam Congregationem sive Provincialium sive Procuratorum de eo certiorem faciat, ut haec decernat num ad hoc negotium Congregatio Generalis sit indicenda.

2. - Congregatio Generalis commendat ut Commissio, quae totum de discrimine graduum problema erit investigatura, investigationem extendat quoque ad commoda et incommoda in concedenda professione sollemni etiam Coadiutoribus temporalibus.

6. - De diaconatu permanente

In Ms. act. 43, 45, 48, 81-83, 90.

1. - Libenter obsecundans voluntati Ecclesiae, quae restitutionem permanentis diaconatus commendat in Ecclesiis Orientalibus ubi in desuetudinem venerit [1], atque etiam in Ecclesia Occidentali ubi, iudicio Episcoporum et approbante Sancta Sede, talis restauratio in profectum animarum vergat [2], Congregatio Generalis XXXI declarat nihil obstare quominus Societas nostra, quantum a se pendet, in posterum adiuvetur a quibusdam sodalibus qui permanenter in sacro ordine diaconatus in servitium Ecclesiae operentur.

2. - Hoc vero negotium de diaconis permanentibus, Congregatio Generalis A. R. P. N. Generali committit ad prudens experimentum, iuxta Ecclesiae mentem, ubi opus erit ad bonum animarum, v. g. in domibus nostris rituum orientalium, in quibus sacerdoti non licet fungi muneribus diaconi in officiis liturgicis celebrandis.

7. - De Coadiutoribus temporalibus

In Ms. act. 43-45, 48, 60-63, 79, 103, 105.

1. Cum maxime intersit ut indoles vocationis Coadiutorum temporalium recte ab omnibus intellegatur, ut ipsi in vita Societatis bene integrentur, Congregationi Generali XXXI visum est principale opus agendum circa Coadiutores temporales esse indolem eorum vocatio-

---

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Orientalium Ecclesiarum*, n. 17.

[2] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 29; *Ad gentes*, n. 16.

nis cum concretis consectariis clare affirmare. Ita fiet ut omnes de Societate, eadem praeter sacerdotium vocatione gaudentes, mente etiam conversa [1], revera « cor unum et anima una » sint [2], atque simul et secundum eundem Fundatoris spiritum Ecclesiae missioni totaliter se devoveant [3].

2. Quoniam in institutis apostolatui deditis ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica [4], tota Coadiutorum temporalium vita apostolica dicenda est ex propria eorum consecratione facta Deo per vota in corpore Societatis. Sed insuper specialis natura apostolica Societatis, quae ad omnia ipsius membra pertinet, a Coadiutoribus temporalibus plene participatur. Ideo eorum activitas in Societate iisdem debet definiri principiis, quibus servitium apostolatus totius Societatis definitur, per intentionem scilicet maioris Dei obsequii et boni universalis. Unde fit quod diversitate donorum et functionum — sociis omnibus uno Spiritu, vinculo amoris et oboedientiae coadunatis [5] — Societas praesentia Christi gaudeat, Eiusque opera exerceat et adventum manifestet [6].

3. Eorum officia et munera in Instituto descripta, spiritu cooperationis exercenda, verum valorem apostolicum habent. Illorum enim opera domorum Societatis intimitas et quies religiosa, fraterna in militia Christi communio [7], Scholasticorum studiis dedicatio et sacerdotum praesertim in ministerio mobilitas et libertas [8] perfectius obtinentur. Huiusmodi officia eis cum plena responsabilitate, quantum fieri poterit, committantur.

Immo, ad Societatem sublevandam [9] eis concredi possunt munera directiva etiam domi et quoad Nostros, seclusa, ut par est, potestate iurisdictionis.

4. Praeterea, antiquae et restauratae Societatis exempla prosequentes, Coadiutores temporales, praeter officia supra memorata, illa alia munera, de iudicio Superiorum, rite suscipiunt, quibus pro talentis a Domino receptis « ad iuvandas animas » [10] auxilio et exemplo sint, uti sunt docere, artes liberales et technicas exercere, scien-

---

[1] Cf. I. B. Janssens, Epist. promulgationis Regularum Fratrum Coadiutorum, 30 oct. 1959: Act. Rom. XIII (1959) 628-629; Id., Epist. de Salmanticensi conventu circa Fratres Coadiutores, 31 aug. 1964: Act. Rom. XIV (1964) 553-555.
[2] Act. 4, 32, cit. in Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.
[3] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 6.
[4] Cf. Ibid., n. 8.
[5] Cf. *Const.*, P. X n. 9 [821].
[6] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.
[7] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 43.
[8] Cf. *Const.*, P. I c. 2, A [149]; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 27.
[9] Cf. *Const.*, P. I c. 2 n. 2 [148].
[10] Cf. *Const.*, P. IV Prooem. n. 1, A [307-308].

tifica opera promovere aliaque, iuxta adiuncta et loca, utiliora ad finem Societatis assequendum adimplere.

Omnibus supra memoratis formis Coadiutores temporales, utpote Deo consecrati, ostendunt in solo spiritu beatitudinum mundum transfigurari Deoque offerri posse [11], atque in Societate ad bonum Ecclesiae plurimum conferunt.

5. Cum Societas velit ut Coadiutores temporales vitae et sociali et liturgicae nec non et communitatis operibus arcte coniungantur [12], sicut decet sodales qui vitam religiosam in eadem familia degunt, fraterna unio ac communicatio magis ac magis inter Nostros foveatur, omnibus mediis quae discreta caritas suadeat [13].

6. Ad hunc finem conducet etiam:

a) si omne sociale discrimen in vita communitaria vitetur;

b) si pars aliqua in laboribus domesticis communibus ab omnibus Nostris habeatur, maiore Dei obsequio et animarum auxilio semper spectatis;

c) si Coadiutores temporales gradatim participationem obtineant in consultationibus;

d) si denique ea serventur quae haec Congregatio Generalis alibi decernit quoad eorum participationem in Congregationibus [14].

7. Coadiutorum temporalium institutio viris bene selectis et sedulo praeparatis [15] concredatur. Doceantur imprimis suam vitam in sequela Christi servitio Ecclesiae impendere. Ut autem sua munera et officia in hodiernis adiunctis perfectius adimpleant, eorum institutio sit spiritualis, doctrinalis et technica, etiam titulis congruentibus sancita; in domibus aptis protrahatur, et pro viribus per totum vitae decursum perficiatur [18]. Diversitas exinde forte oritura, servata, ut par est, indifferentia et ad quaelibet officia disponibilitate, plurimum conferet ad diversas ministrationes necessarias uno eodemque spiritu exercendas. « Divisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus » [17].

8. Ut haec omnia convenienti modo executioni mandentur, A. R. P. Generalis commissionem instituat peritorum. Eorum officii sit:

---

[11] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 31.
[12] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.
[13] Vide infra, pag. 114, decr. 19, nn. 1-8.
[14] Vide infra, pag. 168, decr. 40, nn. 2, 4; Cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 27.
[15] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 18.
[16] Cf. Ibid.
[17] 1 Cor. 12, 4.

a) Theologiam vocationis religiosi non sacerdotis in Societate profundius investigare et declarare [18];

b) A. R. P. Generali consilio esse in experimentis promovendis circa applicationem huius decreti;

c) Lineamenta generalia formationis Coadiutorum temporalium, a Provincialibus pro suis regionibus aptanda, proponere;

d) Revisioni subicere Regulas et Ordinationes de Coadiutoribus temporalibus iuxta spiritum huius decreti.

---

[18] Cf. Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 16 § 2.

III. DE NOSTRORUM INSTITUTIONE

8. - De Nostrorum institutione spirituali

In Ms. act. 82-86, 106, 107, 114.

Congregatio Generalis, quae pro suo munere ardenter exoptat ut unusquisque Nostrum illud instrumentum coniunctum cum Deo evadere queat quod a nostra religiosa et apostolica vocatione requiritur, has normas velut paedagogiae cuiusdam spiritualis omnibus Nostris fraterno animo proponit.

I. Normae generales.

1. Cum omnis spiritualis profectus sit opus divinae gratiae, oportet ut unusquisque sese disponat tum ad ipsam gratiam humili oratione impetrandam, tum ad eidem, in omnibus suis actionibus, docili oboedientia respondendum.

2. Spiritualis proinde institutio auxilio erit Nostris ut ipsi, in fide, spe et caritate crescentes, Christum pressius sequantur, Eique secundum gratiam vocationis nostrae intimius conformentur. Cum tamen nos, qui ad perfectam caritatem vocamur, peccatores simus, nostra sequela Christi semper se habebit ut continuam conversionem ad Eum.

Haec vero progressiva conformatio cum Christo fieri non potest nisi nos, effecti humiles auditores Eius, in Scriptura loquentis, et Ipsius sacramentis continenter vivificati, Eum in Ecclesia praesentem sequamur.

3. Sequela autem Christi eo verior et intimior nobis erit quo promptiori animo unusquisque Nostrum enitatur sibi assumere eam serviendi Christo rationem in hac Societate quae profecto « Iesu nomine insigniri » cupit [1]. Omnes igitur hanc vocationem tamquam donum Dei aestimare addiscant eique fideliter adhaereant. Foveantur ergo illae animi dispositiones Sancto Ignatio carissimae quales sunt: amor personalis Christi pauperis et humilis, filialis devotio erga Matrem Eius Dominam nostram, zelus sincerus animarum, animi fortitudo ad difficiliora quaequae pro Dei gloria aggredienda, disponibilitas vera in oboedientia et abnegatione sui, aptitudo ad Deum in omnibus inveniendum, peritia in discretione spirituum acquirenda, fa-

---

[1] Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1.

miliaritas in dialogo spirituali cum aliis instituendo, diligentia ad sentiendum cum Ecclesia ...[2].

4. Apostolicus Societatis finis habendus est ut principium quo tota sodalium institutio regatur. Eo ergo animari debet tum illa educatio ad orandum cuius scopus est efformare homines qui Deum in omnibus quaerant, tum illa institutio qua Nostri ad vitam religiosam et apostolicam ita edoceantur ut « prompti et diligentes » fiant ad missionem redemptricem Christi in Ecclesia participandam, et quidem illa magnanimitate quae maiora semper moliatur et omnia adversa constanti hilarique animo[3] sustineat.

5. Spirituali cuiusque incremento nos omnes actuose cooperari debemus in spiritu fraternae caritatis, alter alterius onera portantes secundum mensuram propriae gratiae et munera unicuique a Societate commissa. Omnibus ergo cordi sint: imprimis ratio conscientiae Superioribus reddenda, quam tanti fecit longa traditio Societatis; necnon colloquium cum Patre Spirituali et etiam fraterni conventus, qui, dummodo communem inquisitionem voluntatis divinae foveant, gaudium spirituale, robur animi, fecunditatem in apostolatu omnibus afferent.

6. Memores sint opus illud formationis, quod progressivum quidem est neque umquam absolvendum, organice in quovis formationis gradu evolvendum esse, ita ut numquam vita spiritualis a vita vel affectiva vel intellectuali vel apostolica seiungatur. Enitamur potius ut, ducti discreta caritate quam sanctus Ignatius nos docet, in omnibus voluntatem divinam cognoscere et eligere valeamus.

7. Secundum paedagogiam Exercitiorum, institutio spiritualis viros in spiritu vere liberos et maturos efformet, qui eo liberiores se sentient quo intimiori sui deditione adhaerebunt per oboedientiam voluntati divinae, quae quidem nobis sese concrete manifestat potissimum internis gratiae motionibus et superiorum directione, necnon fratrum exemplis et exigentiis tam nostri laboris apostolici quam vitae communis et regularum nostrarum, atque per eventus propriae vitae et per spirituales necessitates nostri temporis.

Hic autem scopus attingi non poterit nisi iugiter spiritus initiativae et responsabilitatis in oboedientia colatur, necnon abnegationis in cooperatione pro opere communi. Quod, uti iam sanctus Ignatius recte perspexerat, obtineri nequit nisi mediante experien-

---

[2] Cf. *Exerc.*, nn. 146, 147, 352-370; *Const.*, P. III c. 1 n. 26 [288]; P. VI c. 1 n. 1 [547]; P. VII c. 4 n. 8 [648]; P. IX c. 2 n. 6 [729]; P. X n. 2 [813].

[3] Cf. *Exerc.*, nn. 91, 97, 98; *Exam.*, c. 4 nn. 44, 45 [101-102]; *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547]; P. VII c. 2, C [621].

tia; quapropter necesse est ut tempore formationis omnibus occasio praebeatur in libertate et maturitate progrediendi.

8. Cum recta intentio a sancto Ignatio nobis tantopere commendetur [4], iure quidem a Nostris vera sinceritas colatur, quae tamen genuina non erit nisi cum coniuncta fidelitate erga normas tum ab Ecclesia tum a Societate nobis datas, iuxta ea quae libere promisimus. Persuasum ergo omnes habeant sinceritatem subiectivam obiectiva fidelitate esse complendam.

9. Cum adiuncta mundi moderni solidiora fundamenta vitae spiritualis exigant, iam ab initio requiritur ut tam Scholastici quam Fratres modo progressivo et continuo formentur ad profundiorem cognitionem Mysterii Chrisi hauriendam ex Scriptura Sacra et Liturgia, necnon ex traditionali devotione Societatis erga Sacratissimum Cor Iesu et ex doctrina de Ecclesia aliisque theologiae capitibus; illum finem semper intuendo ut fides, spes et caritas simul nutriantur et roborentur [5].

In terris missionum uber earum patrimonium sanae moralitatis et aspirationis asceticae et mysticae proficue etiam adhibebitur ad spiritualem institutionem Nostrorum.

10. Magnopere aestimentur virtutes humanae, quippe quae et apostolatum fecundiorem et vitam religiosam feliciorem reddunt, « ut sunt cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas apostolus Paulus commendat » [6].

11. Sicut et aliae Congregationes Generales iam declaraverunt, specialis cura tribuatur selectioni Superiorum et eorum qui Patres et Magistri sunt in vita spirituali, ita ut ad haec munera, posthabitis aliis quibuscumque, quam aptissimi seligantur. Summopere autem invigilare oportet ut illi, praeter scientiam et virtutem requisitam, iis dotibus praesertim gaudeant humanis et spiritualibus, quibus poterunt et communitates animare et fraternam cooperationem fovere et unumquemque ad maiorem maturitatem spiritualem inducere in vias Dei discernendas. Quam ob rem et spiritùs apertus, et facilitas in dialogo, et fecundum ingenium optanda sunt in illis viris, quibus essentiale munus erit fratres suos stimulare ac perducere per nova et vetera.

12. Ad hoc ut quaevis spiritualis paedagogia fructus suos ferre valeat, aptetur necesse est ad eos ad quos dirigitur. Superiorum ergo

[4] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 26 [288]; P. IV c. 6 n. 1 [360]; P. VII c. 2 n. 1 [618]; P. X n. 2 [813].

[5] Conc. Vat. II, *Optatam totius*, nn. 8, 14; *Perfectae caritatis*, n. 2.

[6] Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 3; cf. Phil. 4, 8.

erit et coetuum qui in Provinciis vel regionibus formationis Nostrorum curam habent, ea media sub ductu Patris Generalis quaerere quae diversis adiunctis melius aptentur. Indicationes quae in sequentibus capitibus continentur hanc continuam adaptationis inquisitionem semper supponunt.

II. De noviciatu.

Quae in hoc capite continentur pari modo intellegenda sunt de noviciatu Scholasticorum et de noviciatu Fratrum. Eas solum inducere oportebit methodicas differentias quas requirunt diversi modi unius eiusdemque servitii ad quod omnes vocantur. Sive unus idemque sit Magister pro Scholasticis et pro Fratribus, sive sint distincti, cura habeatur de communi formatione obtinenda.

Primum hoc stadium formationis duplici sua finalitate definitur: est simul tempus probationis et tempus formationis, in quo gratia vocationis excolenda est et suos fructus iam manifestare debet.

13. Hoc ut obtineatur, maturitas humana sufficiens a candidatis requiritur. At experientia constat nostra tempora difficiliorem reddere adolescentibus maturitatem affectivam, cuius defectus non facile detegi potest; praesertim apud candidatos iam sub certis aliis aspectibus maturos et dotibus intellectus satis praeditos. Cui seriae difficultati providendum erit, iuxta adiuncta, opportuniori modo, nempe:

— Instaurando profundius examen candidatorum, adaptatis ad nostra tempora instructionibus a sancto Ignatio datis et, ubi opus fuerit, requisito consilio virorum in psychologia peritorum. Stricte tamen serventur secretum consultationis et libertas candidati nec non normae ab Ecclesia prolatae.

— Tempus admissionis, si opportunum videatur, differendo. Quo in casu candidati commendari possunt quibusdam Patribus selectis qui eos ad maturitatem in vocatione obtinendam iuvabunt, dum studia et apostolica experimenta peragentes ingressum suum in noviciatum parant.

14. Vocatio deinde probanda est per varia experimenta quae ad mentem sancti Ignatii notam specificam noviciatus Societatis constituunt. Haec autem, ut finem suum adimpleant, debent novicios in illis condicionibus ponere in quibus ipsi ostendere possint « quales re vera sint » [7] et revelare quomodo affectus spirituales vocationis

[7] Cf. L. Gonçalves da Câmara, *Memoriale*, n. 257: MHSI Mon. Ign. Font. Narr. I 678.

nostrae proprios sibi faciant. Nova igitur experimenta prudenter et audacter inquirenda sunt quae huic fini hodie respondeant.

15. In noviciorum institutione Exercitia Spiritualia, cum sint omnium experimentorum praecipuum atque fundamentale, primas partes habeant oportet. Bene igitur praeparentur, aptissimo tempore fiant totaque sua vi atque spirituali vigore tradantur. Eorum enim gratia novicii veluti in cor suae vocationis introducuntur, cuius charisma ita percipiunt ut iam de eo testimonium tradere valeant.

16. Educatio ad familiaritatem cum Deo in oratione sub atmosphaera apostolica Exercitiorum fieri debet. Cotidiana pietatis exercitia eo tendant ut amorem personalem erga Christum suscitent atque Deum in omnibus familiari commercio quaerere doceant. Insuper curandum est ut novicii perspicue intellegant quomodo media diversa quae in Constitutionibus ipsis proponuntur (examina, oratio, meditatio, lectio ...) [8], mutuo sese compleant. Hi vero precandi modi nutriri debent assidua Sacrae Scripturae lectione necnon participatione Sacrae Liturgiae. Ita fiet ut magis magisque in communem precationem Populi Dei inserantur et ut sacramentalis uniuscuiusque vita abundantiores fructus afferat. Huius sacramentalis vitae primas obtinet Eucharistia, quae ab initio centrum vivum nostrae vitae fieri debet. Paenitentiae autem sacramentum ea ratione excolendum est ut valorem suum theologalem atque ecclesialem servet necnon vim ad progressum spiritualem in via Domini plene exerceat.

17. Haec cum Deo familiaritas tamquam condiciones supponit abnegationem, recollectionis spiritum et animi pacem. Hisce enim temporibus haud raro vitae condiciones eae sunt quae, etiam inconscie, quandam animi inquietudinem vel anxietatem gignunt ex qua orationis vita difficilior redditur, licet bona voluntas adsit. Oportet igitur ut omnes intellegant quantopere praeter vivam fidem etiam aequilibrium affectivum, humilis sui acceptatio, fiducia erga alios, animique libertas quasi fundamentales condiciones sint ut unusquisque verum atque familiare cum Deo commercium habeat.

18. Exercitium vitae communitariae debet simul et fraternitatem sociorum praeparare et maturitati affectivae noviciorum favere. Quod supponit communitatem noviciatus iam esse fraternitatem in Spiritu, quae verae amicitiae conferet illam perfectionem caritatis ad quam ipsum votum castitatis tendit. Quo magis fraterna erit vita communitaria, eo magis novicii eius sensum necnon exigentias intellegent atque se partem esse totius Societatis experientur.

---

[8] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 20 [277].

In eodem spiritu foveatur, inde ab initio, congrua conviventia et collaboratio inter novicios scholasticos et coadiutores, qua intime cognoscantur et adiuventur in aestimatione et realizatione propriae vocationis. In exterioribus quoad victum, vestitum, habitationem etc. plena vigeat aequalitas.

19. Educatio ad discretam caritatem per directionem spiritualem et oboedientiam supponit inter Patrem Magistrum et novicios veram vigere fiduciam et libertatem. Requiritur praeterea ut ratio vitae in noviciatu non ita stricte disponatur ut novicii, deficiente omni initiativa, discretionem spiritualem vix umquam exercere possint et ne oboedientiam quidem nisi per modum submissionis mere passivae et impersonalis.

20. Formatio ad abnegationem eo magis genuina fiet quo novicii vestigia Christi, formam servi accipientis, propius prement. Abnegatio in primis exercebitur humiliter et simpliciter in iis quae a nostra vocatione cotidie exiguntur. Mortificationes autem particulares fiant, sub ductu oboedientiae, prout necessitas uniuscuiusque necnon Ecclesiae invitationes et inopia mundi requirunt. Addiscant novicii, theoria et praxi, austeram et sobriam vitam conformare, ut « re et spiritu pauperes » sint illud signum « hodie multum aestimatum » quod vult Ecclesia [9].

21. Illa vero elementa doctrinalia, de quibus in numero nono sermo est, constituuntur pro tempore noviciatus tum profundiore initiatione ad Mysterium Christi tum pleniore cognitione fontium doctrinae spirituails et rationis vitae Societatis quae in eius historia et exemplis sanctorum maxime elucet. Defectus tamen et maculae ne systematice praetermittantur, ita ut novicii magis parati sint ad vestigia meliorum sodalium persequenda et magis conscii suae responsabilitatis erga Societatem fiant.

Novicii scholastici de indole etiam sacerdotali suae vocationis iam ab initio instituantur, novicii autem coadiutores de indole religiosa et apostolica suae vocationis necnon de significatione et valore spirituali laboris ad mentem decreti de Coadiutoribus temporalibus.

22. Quamquam ingressus in noviciatum veram a vita anteacta in mundo separationem instituere debet, provideant tamen Superiores ut novicii, spiritu recollectionis firmiter servato, relationes cum suis coaetaneis (tum intra tum extra Societatem) sufficientes habere possint. Item necessaria separatio a parentibus et amicis ita observari debet, ut verus progressus in affectivo aequilibrio et supernaturali amore consequendo non impediatur.

---

[9] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13.

Ad hunc finem obtinendum ibi domus noviciatus collocentur, quantum fieri possit, ubi novicii convenienter probari possint secundum propriam rationem vivendi Societatis.

23. Cum ad progressum spiritus requirantur condiciones vitae quae humanas virtutes non opprimant sed alant, diligenter vitandum est ne noviciatus ita avulsus a realitate sit, ut in eo difficultates noviciorum praetermittantur sed non solvantur. Quo magis autem novicii prudenti et discreta caritate ad responsabilitates assumendas stimulabuntur, eo felicius maturitatem spiritualem consequentur et vocationi suae liberius adhaerebunt.

24. Cum evolutio humana non pari gressu apud omnes fiat, si tempore noviciatus absoluto aliqui novicii, dotibus quidem ad vocationem requisitis bene instructi, sufficientem maturitatem nondum exhibuerint, ne dubitent Superiores maiores, facultate a nostro iure concessa utentes, emissionem primorum votorum differre vel etiam noviciatum ipsum aliquo longiore experimento interposito ad tempus prorogare [10].

25. Ad formationem tam spiritualem quam intellectualem et affectivam noviciorum, conveniens erit ut alii quoque, praeter Patrem Magistrum, selecti viri prae oculis eorum appareant et ipsum Magistrum certis temporibus in munere suo adiuvent, ita ut noviciis ditiorem et ampliorem figuram ignatianae vocationis praebeant.

26. Adiuvandus est Magister noviciorum ad cognoscendam magis in dies mentalitatem candidatorum, ut eis possit paedagogiam suam spiritualem et ipsas noviciatus structuras accommodare. Peculiariter Patris Provincialis est, ei in hoc opere auxilium praestare, praebendo peritorum cooperationem atque favendo conventibus Magistrorum cum illis qui, sive intra sive extra Societatem, formationi iuvenum operam dant.

III. *De institutione spirituali Fratrum post noviciatum.*

27. Noviciatu expleto institutio Fratrum usque ad tertiam probationem tam in iunioratu [11] quam postea una cum diversis experimentis et officiis perseveret, ita ut eorum formatio technica, culturalis, doctrinalis, quae aptiores ad Dei servitium eos praestabit, stricte cum spirituali cura nectatur.

28. Tempore iunioratus instituatur, ubi nondum sit, cursus completus theologiae bene aptatus, ut disciplina principalis. Nec desit

[10] Cf. *Exam.*, c. 4 n. 43 [100]; *Const.*, P. V c. 1 n. 3 [514].
[11] Cf. C. G. XXX d. 41.

inter alias disciplinas « de vigentibus hodiernae vitae socialis moribus rationibusque sentiendi et cogitandi » congruens instructio [12].

29. Post iunioratum Fratres destinentur in domos ubi facilior sit eorum progrediens instructio spiritualis. Cura vero maxima de formatione eorum sit apud Superiorem domus, qui simul ac progressivam eis responsabilitatem committit, aptiora media ad personalem vitam spiritualem evolvendam procurare debet. Activam maxime urgeat et consciam participationem in liturgicis celebrationibus, in Eucharistia praesertim [13].

Aptum habeant Praefectum spiritus, qui eorum curae serio incumbat. Sub eius ductu etiam instructionem spiritualem per frequentiora colloquia et privatam lectionem prosequantur.

30. Brevis cursus vel sessio de formatione spirituali et doctrinali quotannis instituatur pro iis Fratribus praesertim qui tertiam probationem nondum perfecerunt. Hac occasione, et secundum programma organice compactum, praelectiones proponantur de Sacra Scriptura vel de liturgia vel de theologia vel de doctrina sociali.

IV. *De institutione spirituali Scholasticorum post noviciatum.*

31. Vocatio, quae in noviciatu probatur atque firmatur, toto formationis decursu incrementum accipere debet. Oportet igitur ut aptus transitus a noviciatu ad reliquam formationem fiat atque inter varia huius stadia continuitas procuretur. Formatio intellectualis atque valorum humanorum sincera integratio plenum sensum et momentum solummodo obtinebunt si pari gressu progredientur cum intimiore cognitione et amore Christi, ita ut totius personae unificatio habeatur.

32. Attente igitur omnes legant quae de formatione in genere in decreto de Scholasticorum institutione praesertim in studiis dicuntur (cap. I), eaque in praxim quam fidelissime deducere conentur. Scholastici autem sibi persuasum habeant optimam sane viam ad unionem cum Deo et aptiorem ad sacerdotium praeparationem sese profecto inventuros in serio studio vivendi spiritum vocationis nostrae.

33. Tales Patres Spirituales seligantur oportet, qui, sapientia et competentia pollentes, Scholasticos tempore studiorum in veram discretionem spirituum fraterno modo adiuvare in Domino possint.

---

12 Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 18.
13 Cf. Conc. Vat. II, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 10.

Omnes quoque Patres qui in domibus formationis degunt partes se habere sentiant, iuxta cuiusque munus, in Scholasticorum incremento spirituali et praeparatione apostolica obtinendis [14]. Immo vero omnes in Provincia parati sint ad opem suam in formatione Nostrorum libenter ferendam.

Pariter optandum est ut in singulis regionibus, seorsim vel una cum coetibus de institutione intellectuali et pastorali curantibus, conventus habeantur qui de spirituali institutione organicum conspectum pro toto formationis curriculo praeparent.

43. Decursu totius formationis indolem sacerdotalem vocationis nostrae Scholastici saepe in mentem revocent, ut tum studia tum orationes tum omnes aliae actiones informentur desiderio serviendi Deo et Ecclesiae in caritate sacerdotali erga homines. Praesertim ante ingressum in theologiam opportunitas eis praebeatur ut profundiorem capiant intellegentiam vocationis suae sacerdotalis.

35. Orationis vita colatur quae congruat tempori studiorum. Quapropter omnes suum vitalem orationis modum, adiuvante Patre Spirituali, diligenter inquirant. Ad hunc finem consequendum sedulo quisque investiget inter diversos modos orationis in Exercitiis propositos, scl. meditationem, contemplationem, lectionem divinam, orationem liturgicam et vocalem, eos qui ipsum magis ad Deum conducant. Ille personalis conatus, constanti animo perductus, Scholasticos multum adiuvabit ad familiaritatem cum Deo in omnibus acquirendam.

Exercitia spiritualia annua habenda sunt tamquam anima quae iugiter vivificat formationem nostram et ad pleniorem vocationis conscientiam adducit. Eorum regulas et principia Scholastici applicare addiscant illis difficultatibus quae tempore studiorum evenire solent. Scholasticis facultas nonnumquam concedatur ut, decursu formationis, Exercitiis spiritualibus unusquisque solus vacare possit, moderante Patre Spirituali experto, ita ut maiore cum libertate et fructu commercium cum Deo habeant, atque Spiritus Sancti motionibus pleniore cum disponibilitate respondeant.

36. Meminerint Scholastici quod virtutes quas labor intellectualis requirit, sicut sunt attentio, humilitas, disponibilitas, constantia, patientia atque tolerantia rerum adversarum, amor veritatis, aptissimam viam ipsis aperiunt ad Deum in studiis inveniendum.

Prae oculis quoque habendum est studiorum tempus, susceptum iuxta spiritum nostrae vocationis, magni pretii occasiones praebere ut in oboedientia simul et propria initiativa, in maturitate affectiva

[14] Cf. CONC. VAT. II, *Optatam totius*, n. 5.

et caritate, in vita paupere et labori dedita versetur. Vita ergo scholasticatus tali modo ordinetur, ut occasiones has virtutes exercendi per veram responsabilitatem ne desint, ita ut Nostri personalem experientiam consiliorum evangelicorum acquirant [15].

37. Dum Scholastici, apostolico quidem spiritu impulsi, mundum eiusque aspirationes ac valores, saepe hodie a fide alienos, addiscere nituntur, fidem suam sedulo nutriant atque ipsum intellectum Mysterio Christi magis in dies conforment, ne gravissimum divortium inter humanam sapientiam et fidem paulatim instituatur. « Imprimis vero Sacram Scripturam cotidie prae manibus habeant, ut divinarum Scripturarum lectione ac meditatione ' eminentem scientiam Iesu Christi ' (Phil. 3, 8) ediscant » [16].

38. Oportet denique ut Scholastici, qui aspirationibus et motibus nostri temporis multum afficiuntur, tamquam viri spirituales iis respondeant, humili erga Societatem fiducia. Sic tandem propria vi et alacritate adaptatae renovationi Societatis operam exoptatam praestabunt.

39. Magisterii vel experimentorum tempore, de quibus in decreto de studiis agitur (n° 30), enixe curandum est ut spiritualis vita Scholasticorum non solum exinde nullum detrimentum, sed e contra debitum incrementum percipiat. Prout enim huiusmodi experimenta sunt probatio quoque ac formatio, specificis suis condicionibus conferre debent ad illam plenam maturitatem apostolicam et religiosam obtinendam, quae scopus est totius Nostrorum institutionis.

40. Scholasticis igitur maxime cordi sit proprium spirituale incrementum prosequi atque illud peculiaribus condicionibus vitae apostolicae pressius aptare. Si vero difficultates maiores in oratione et labore tunc experiuntur, magnanimiter et patienter eas superare in Domino addiscant.

41. Invigilent autem Superiores ut Scholasticis illi tantum apostolici labores concredantur qui progressui eorum spirituali apte congruant. Immo eis provideant illud iuvamen spirituale quo tunc temporis magis indigent. Quapropter curent Superiores ut Scholastici in communitatem sodalium iam formatorum fraterno animo accipiantur, atque ita ab aliquo Patre Spirituali idoneo adiuventur, ut talia experimenta eos firmiores in sua vocatione reddant.

Ad haec vero experimenta Scholastici ne mittantur antequam formationem doctrinalem obtinuerint, quae eos ad illa cum fructu

---

[15] Cf. Ibid., n. 9.
[16] CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 6.

obeunda capaces reddat. Eorum praesertim qui ad studia profana destinantur maxima cura habeatur, ut formationem quoque doctrinalem prosequi possint propriis studiis et necessitatibus adaptatam.

V. *De tertia probatione.*

Cum Congregatio Generalis decretum de tertia probatione ferat, quod Instructores hortatur ad experientias peragendas ut uberior eius fructus percipiatur, tantummodo hic indicantur locus et momentum tertiae probationis in organico decursu formationis tam Patrum quam Fratrum.

42. Tertia probatio habet scopum simul perficiendae formationis affectus [17] necnon probandi utrum tertianus, spiritu Societatis imbutus, spem praebeat se magis ac magis profecturum atque alios in Domino esse adiuturum.

43. Expressio « schola affectus » [18] eam institutionem designat in qua sodales Societatis ita « afficiuntur ad veram Christi doctrinam » [19], ut « procedant in spiritu et serio Christum Dominum nostrum sequantur » et « ament ac ardenter exoptent indui eadem veste ac insignibus Domini sui pro Ipsius amore ac reverentia » [20]. Haec schola consistit in concreto et personali cum rebus Societatis contactu, tali ut ex una parte detur vivida cum Instituto collatio tam in documentis quam in ipsa religiosa et communitaria vita, ex altera autem parte, activa participatio habeatur in variis experimentis, scl. primum in Exercitiis spiritualibus, ut profundius in oratione exerceantur (et in illa « quaerant Deum et affectum universum in Creatorem conferant » [21]) deinde in experimentis quae pro sacerdotibus erunt naturae pastoralis, ut operantes inter mundi varietates in discretione spirituum se exerceant.

44. Ad hoc obtinendum maxime iuvabit ut tertiani illum Instructorem habeant qui imprimis sit verus magister spiritus quique experientias decursu formationis peractas examinet et ope regularum discretionis spirituum sodales adiuvet ut suam quisque viam ad ulteriores progressus inveniat.

45. Iure meritoque exspectari potest fructus optimus ex hac ultima probatione, nempe: ut unusquisque optatam synthesim for-

---

17 Cf. *Const.*, P. V c. 2 n. 1 [516]; I. A. DE POLANCO, *Industriae*, ser. I, Ind. 5ª: MHSI Polanci Compl. II 744-748.
18 *Const.*, P. V c. 2 n. 1 [516].
19 *Exerc.*, n. 164.
20 *Exam.*, c. 4 n. 44 [101].
21 *Const.*, P. III c. 1 n. 26 [288].

mationis spiritualis, apostolicae et intellectualis perficiat, qua fiet maior unificatio totius personalitatis in Domino, secundum scopum Societatis a sancto Ignatio descriptum: « Ut cum in seipsis profecerint, melius ad profectum spiritus alios ad gloriam Dei et Domini nostri iuvent » [22].

VI. *De formatione continuanda.*

46. Pressius sequentes Ecclesiam, quae, liturgica renovatione necnon biblica et theologica reflexione, attenta quoque ad temporum mutabiles condiciones, sub ductu Spiritus Sancti, veterum sapientiam etiam novis incrementis adauget, studeant omnes, etiam iam formati, propriam vitam spiritualem ex ipsis his fontibus continenter renovare, unde et eorum apostolica operositas Ecclesiae hominumque necessitatibus efficacius respondere valeat.

47. Ea igitur sedulo serventur media, quae ab Instituto nostro commendantur (Exercitia annua, recollectiones, etc.) quaeque, prudenti accommodatione ad proprias vel aetatis vel etiam status spiritualis necessitates, ab omni formalismi macula purgantur et genuinam suam virtutem exercent; nova quoque illa media adhibeantur (cursus speciales vel conventus, etc.) quibus talis renovatio in hodierna Ecclesia promoveri solet. Superiorum igitur cura erit huiusmodi occasiones omnibus praebere, maxime vero illis qui ob munera et labores plerumque impediuntur.

48. Similiter optandum est ut pro Societate universa et in singulis regionibus praesto sint omnibus instrumenta institutioni spirituali necessaria, eaque in lingua vernacula, ut sunt: opera sancti Ignatii et textus traditionis nostrae spiritualis, scripta theologiae valore praestantia, informationes de inceptis tentatis in aliis regionibus, etc. Ita universa Societas hanc communem inquisitionem ac Dei voluntatis discretionem efficere poterit, quae omnis spiritualis incrementi est et principium et finis, ut omnes « cum Patre per Filium Eius Iesum Christum in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere discant » [23].

---

[22] *Const.*, P. V c. 2 n. 1 [516].
[23] CONC. VAT. II, *Optatam totius*, n. 8.

9. - De Scholasticorum institutione praesertim in studiis

In Ms. act. 30-32, 39.

I. De formatione in genere

1. Nostrorum formationis scopus est apostolicus nempe ut Nostri « suis et proximorum animis Dei favore aspirante prodesse » [1] valeant. Quapropter Scholastici a Christo Domino ut futuri sacerdotes in servitium Ecclesiae universalis vocati « ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana » [2], divinae gratiae cooperantes, idoneos se reddere debent ut, vitam familiarem cum Deo gerentes, per profundum fidei intellectum simul ac per vitalem hominum cognitionem, veri fiant Christi ministri, qui mundo moderno Deum praesentem exhibeant.

2. In Scholasticorum institutione servetur unitas organica totius formationis, ita ut inde a noviciatu, per integrum scholasticatum, intima fiat integratio et spiritualis institutionis et studiorum occupationis et apostolicae exercitationis; atque ad hunc finem sedulam concordemque operam praestent quotquot, sive regendo sive docendo, formationis Nostrorum curam habent.

3. Scholastici, Societatis spiritualitatis principiis innixi, secundum ea quae in decreto de vita spirituali statuuntur, ad plenitudinem vitae christianae in caritate contendant; veram sui abnegationem praesertim in studiis constanter persequendis exerceant; ad intimam cognitionem ac liberalem observationem Constitutionum assuescant; atque cum Christo Domino, qui ad suum sacerdotium participandum eos vocat, tam in familiari oratione quam in Sacrae Liturgiae mysteriis, personalem unionem perpetuo colant.

4. Toto formationis decursu, experimenta apostolica apto modo instituantur, atque ea dirigant iisque invigilent viri periti, qui ita spiritu sacerdotali et pastorali sint ipsi praediti, ut formatio tota tam spiritualis quam doctrinalis eodem spiritu imbuatur; ad quod etiam iuvabit frequens conversatio cum iis qui iam in apostolatu laborant.

5. In unoquoque formationis gradu, maturitati personali, singulariter quidem affectivae, provideatur (consilio quoque adhibito, ubi opus sit, peritorum in rebus psychologicis), ita ut, ex aequo sese evolventibus vita spirituali, intellectiva et affectiva, sanum aequilibrium veraque maturitas totius personae instaurentur.

---

[1] *Const.*, P. IV c. 5 n. 1 [351].
[2] Form. Inst. Iulii III, n. 1.

6. Scholastici, per totum studiorum decursum, verae seriaeque responsabilitatis sensum foveant, depulsa quavis immaturitatis forma quae ineptos eos redderet ad difficultates vitae obeundas. Quapropter occasiones frequentius iis praebeantur responsabilitatem exercendi, tum in vita spirituali et intellectuali magis active et spontanee ducenda, tum in munere aliquo domi assumendo, tum in variis experimentis apostolicis viriliter peragendis.

7. Diligenter curandum est ut unusquisque Scholasticus secundum propria dona tam naturalia quam supernaturalia dirigatur; simul vero ita constanter promoveatur sensus solidarietatis et collaborationis in tota scholasticatus vita, ut a nostra formatione penitus removeatur omnis nota illius individualismi qui iure improbatur.

8. Vitae communis disciplina ex interna caritatis lege amplectenda est, tamquam formationis necessarium elementum, ad voluntatem Dei in cotidiana vita fideliter exsequendam, ad solidam personae maturitatem promovendam, ad munera caritatis erga socios adimplenda. Ita quidem exerceatur haec disciplina religiosa ut Scholastici, humili reverentia et oboedientia Christum Dominum ac Magistrum sequentes, vera libertate filiorum Dei in Spiritu fruantur.

9. Numerus Scholasticorum in domibus formationis ne modum excedat curandum est, ita ut spirituales et fraternae evadant mutuae relationes, disciplina sit familiaris et regimen vere paternum.

10. Inter Superiorem, Professores et Scholasticos verus habeatur dialogus, quo opiniones et suggestiones omnium aperte et sincere declarari possint, ita ut, quamcumque se tandem praebeat Superioris decisio, intimior sit consensus et oboedientia, atque magis in dies crescant inter omnes socios et spiritus filialis et fraterna animorum communio.

11. Exerceantur Scholastici, servatis prudentiae regulis, in relationibus opportune instituendis, sive cum coetibus universitariis externis, sive cum clericis et religiosis necnon et laicis tum propriae tum aliarum nationum, ita ut (omni reactione nationalismi vel alius particularismi reiecta) apertum atque universalem animum habeant erga culturas, civilizationes et formas mentalitatum diversas, prout ipsa postulat nostra vocatio apostolica.

12. Integra Scholasticorum institutio informetur oportet Concilii Vaticani II spiritu, prout in eius constitutionibus et decretis manifestatus est, nominatim in constitutionibus de Ecclesia et de Sa-

cra Liturgia, atque in decretis de Institutione sacerdotali, de accommodata renovatione vitae religiosae et de Oecumenismo [3].

II. De studiis

13. Sicut totius formationis, ita etiam studiorum finis in Societate est apostolicus; per ea Scholastici illam doctrinae copiam atque excellentiam consequi debent, quae ad hunc finem requiritur.

14. Formatio in studiis distinguitur generalis et specialis: generalis quae omnibus Societatis sacerdotibus est necessaria, et specialis quae magis in dies requiritur secundum diversa ministeria quibus Nostri destinantur. Formatio vero generalis eam mentibus Scholasticorum christianam visionem aperiat, quae futuri specialis studii et activitatis campum illuminet et aliis quoque lucem afferre valeat.

15. Ad formationem Nostrorum doctrinalem ordinandam secundum temporum necessitates, a speciali Commissione recognoscenda erit tota Ratio Studiorum, quae in tanta regionum et adiunctorum diversitate nonnisi generales normas tradet, ratione habita tum legum Ecclesiae sive vigentium sive earum quae a Concilio latae sunt vel post Concilium ferentur, tum eorum quae a praesenti Congregatione Generali statuuntur. Nova Ratio Studiorum discedere poterit a praecedentium Congregationum Generalium decretis, quatenus opportunum videbitur, donec proxima Congregatio Generalis definitivam sententiam ferat. Interea definita quaedam experimenta, Patre Generali probante, fieri possunt, quorum exitus Commissioni Rationis Studiorum accurate communicetur.

16. In singulis regionibus coetus Provincialium erit curare ut specialis Ordo Studiorum conficiatur, qui normas generales ad peculiaria locorum adiuncta accommodet et compleat; speciales Ordines Studiorum, qui a Patre Generali approbandi sunt, certis temporibus recognoscendi erunt ut Nostrorum institutio semper respondeat apostolicis necessitatibus diversarum regionum.

A. *De generali studiorum curriculo.*

17. Antequam studia philosophica et theologica incipiant, Scholastici eam in litteris et scientiis institutionem absolverint oportet, quae in unaquaque natione ad studia academica inchoanda requiri-

---

[3] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium; Sacrosanctum Concilium; Optatam totius; Perfectae caritatis; Unitatis redintegratio.*

tur; atque eam linguae latinae cognitionem habeant qua tot scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta facile intellegere et adhibere valeant. Quae institutio, si ante ingressum in Societatem nondum completa fuerit, in noviciatu et, quatenus opus sit, in iunioratu, perficienda erit.

18. In Provinciis, in quibus secundum proprias Ordinationes altiora studia in iunioratu peraguntur, oportet ut haec studia ad harmonicam maturitatem humanam et religiosam, necnon ad vitalem hominis et mundi moderni cognitionem obtinendam Iuniores nostros apte adducant. Quae humanistica formatio tum litterarum antiquarum et modernarum, tum historiae tum scientiarum studio consequenda est; neque sensum aestheticum Iuniores colere omittant. Praeter propriam, unam alteramve linguam modernam mature addiscere conentur. Denique sicut per totum studiorum curriculum, sic et magis iunioratus tempore, Scholastici media sese exprimendi, hominibus aetatis nostrae accommodata, ita exerceant ut artem et dicendi et scribendi percallentes, aptiores evadant praecones Evangelii Christi.

19. Cum in hodierna civilizatione media audio-visiva primum facile locum teneant ad animos cuiuscumque coetus movendos, Scholasticis praebeatur non tantum congrua opportunitas ad ea accedendi, sed etiam addiscendi modum quo illa media apte et apostolice adhibere possint.

20. In noviciatu vel iunioratu vel saltem ineunte curriculo philosophico Scholasticis tradatur introductio, eorum mentibus accommodata, in Mysterium Christi et historiam salutis, ita ut omnium studiorum sensum, ordinem et finem apostolicum conspiciant, ac simul ad propriam vitam religiosam fide fundandam iuventur et in vocatione sua prosequenda firmentur. Lectio vero methodica Sacrae Scripturae iam a noviciatu per gradualem initiationem fiat. Per totum similiter formationis curriculum Liturgiae active participare eamque profundius intellegere Nostri addiscant.

21. Curriculum philosophicum et theologicum inter se componantur et disciplinae apte ordinentur, ita ut concordi ratione conspirent ad apostolicum studiorum nostrorum finem obtinendum; qui finis in Societate non obtinebitur nisi per studia ipsa praeparentur viri apostolici optime instructi. Ideo gradus illos academicos, sive in philosophia sive praesertim in theologia, qui per studiorum nostrorum curriculum obtineri possunt et ad illum finem apostolicum conferunt, Scholastici nostri communiter consequantur.

22. Omnes Scholastici saltem per biennium studio philosophiae incumbant quo, introductione in Mysterium Christi praelucente, patrimonio philosophico perenniter valido innixi, ad personalem reflexionem vere philosophicam in exsistentiam humanam eamque christianam inducantur. Haec autem reflexio tum philosophiae tum scientiarum progressus rationem habeat et vitalibus hominum recentium problematibus, praesertim eis quae in propria regione maiorem influxum exercent, respondere intendat. Inde visionem universalem realitatis secundum eius rationes metaphysicas aperiat et ad cognitionem Dei perducat ideoque viam ad ipsam theologiam parandam curet.

23. Institutio communis in sacra theologia, quae quadriennium complectitur, ita pastoralis sit oportet ut Scholastici nostri, per studium accuratum fontium et per inquisitionem intellectus fidei, divitias revelationis divinae intime penetrent, easque tum propriae vitae spiritualis reddant alimentum, tum in ministerio sacerdotali hominibus sui temporis apte communicare valeant. Studio Sacrae Scripturae sedulo incumbant ita ut Verbum Dei, ope exegeseos accuratae et convenientis synthesis doctrinalis, omnes disciplinas veluti anima inspiret. Ad illum vero altiorem intellectum fidei, nostris coaetaneis tam necessarium, consequendum, pio et aperto animo perscrutentur tum mysteriorum inter se nexum, tum illorum relationem ad urgentes philosophicas quaestiones sui temporis, fideliter vestigia prementes SS. Patrum tam Orientis quam Occidentis et magnorum Ecclesiae Doctorum.

24. Distincti praelectionum cursus, maior et minor, in theologia non requiruntur; distincta tamen habeatur Scholasticorum cura ut peculiari ratione secundum diversam aptitudinem et destinationem melius instituantur.

25. Programmata totius curriculi philosophici et theologici recognoscantur, ita ut disciplinae integrae tradantur, materiae aptius distribuantur, earundem repetitiones vitentur, quaestiones obsoletae omittantur, et quae vere actualem influxum exercent profundius tractentur. Novae disciplinae ne facile introducantur, sed potius novae quaestiones in disciplinis tradi solitis apto loco inserantur. Quare ad formationem socialem Scholasticorum fovendam, praeter peculiares huius materiae disciplinas, curandum est ut magis evolvatur in aliis disciplinis philosophicis et theologicis earum aspectus et dimensio socialis.

26. Methodi quoque didacticae accurate recognoscantur et diminuto, prout opus sit, praelectionum numero, augeatur Scholastico-

rum activa participatio et mutua cooperatio, sub personali professorum ductu, frequentibus seminariis et scriptis exercitiis, studio privato vel in parvis coetibus.

27. Optandum etiam est ut singuli Scholastici, sub Praefecti studiorum ductu, aliquem specialis studii campum sibi inveniant secundum uniuscuiusque talenta, cui tempore ab ordinariis studiis libero incumbant, personale « interesse » in studiis foveant, et ad proprium futurum apostolatum in mundo moderno remote se praeparent.

28. Examina serio fiant et, secundum normas in Ratione Studiorum determinandas, scripta et oralia poterunt esse; de disciplina vero praecipua non solum scripta sint. Examinatores iudicium personale et liberum ferre debent, at eis licita est post examen inter se consultatio. Examina semel repeti possunt; qui vero in disciplina praecipua repetitum examen non superat, ius amittit ad gradum tum Facultatis tum Societatis.

29. Examinis ad gradum materia est universa theologia; quaestiones philosophicae includantur quatenus cum theologicis integrantur. Ideo examen duret per horam cum dimidio, et candidatus a singulis examinatoribus examinetur per circiter viginti momenta. Etiam examen ad gradum semel repeti potest; licita est consultatio inter examinatores, qui iudicare quoque poterunt ex scientia aliunde habita et rationem habere suffragiorum totius curriculi studiorum, quae propterea examinatoribus praesto sint.

30. Magisterium post philosophiam peragi potest vel, ubi melius videatur, post theologiam differri, vel omitti, vel cum studiis specialibus coniungi. Finis vero a magisterio intentus, etiam magisterio omisso, curandum est ut obtineatur per apostolica experimenta quae, discrete et absque damno studiorum, toto formationis tempore, ut in n. 4 dictum est, ac praesertim feriis annuis, viro perito dirigente, instituenda sunt.

31. Ordinatio sacerdotalis, praesertim ubi magisterium ante theologiam non fit, opportune differri potest secundum peculiares normas a Generali pro regionum condicione approbandas.

32. In Nostrorum Collegiis Scholastici ne nimis numerosi sint ob rationes in n. 9 allatas. Cum vero ad intellectualem institutionem copia professorum, bonae bibliothecae aliaque scientifica subsidia necessaria sint, ne multiplicentur scholae et Facultates, sed ubi commode fieri potest, plures habeantur religiosae communitates, quorum Scholastici eandem scholam vel Facultatem frequentant. Immo cu-

retur, quoad fieri potest, ut Nostrorum Collegia prope centra universitaria constituantur, ut Scholastici aliis quoque professoribus et bibliothecis frui possint, opportunis adhibitis cautelis, ita ut eorum formatio, nedum damnum patiatur, robustior evadat.

B. *De studiis specialibus*

33. Cum magis in dies oporteat ut non tantum qui ad docendum destinantur, sed etiam qui diversa ministeria Societatis exercere debent, specialem praeparationem habeant, curent Provinciales non paucos viros ad varia munera obeunda peritos efformare ratione habita tum necessitatum apostolicarum tum capacitatis et inclinationis Scholasticorum.

34. Qui studiis specialibus incumbere debent, accurate et tempestive seligantur, a speciali studiorum Praefecto iam durante generali curriculo opportune dirigantur, suae specializationi dein generose et exclusive se dedant et in ea constanter permaneant, ut, quantum fieri poterit, insignes evadant.

35. Ii quoque qui ad varia administrationis munera in magnis domibus, praesertim formationis Nostrorum, destinantur, praeter dotes naturales et supernaturales quae ad haec officia requiruntur, congruo tempore, etiam per peculiaria studia, praeparentur. Quod specialiter dicendum est de iis qui oeconomi magnarum domorum vel Provinciarum fieri debent.

36. Speciali vero cura praeparentur qui ad munus Patris Spiritualis tum Nostrorum tum externorum destinantur, sive in Schola Romae vel alibi ad hoc instituta, sive privatim, duce Patre perito, sive alia opportuna ratione, secundum ea quae in decr. 40 Congr. Gen. XXX statuta sunt. Quod quidem peculiari modo valet de futuro Magistro noviciorum et Instructore tertiae probationis.

37. Qui scientias sacras in Seminariis maioribus ac praesertim in nostris Facultatibus docere debent, specialia studia accurate perficiant sive in institutis internationalibus romanis sive in aliis universitatibus, prout Provinciali, auditis viris peritis, magis convenire videbitur, ut congruentes gradus academicos, imprimis ecclesiasticos, consequantur et ad docendi munus apte disponantur.

38. Cum progressus scientificus et technologicus magnum momentum hodie habeat et scientiae positivae influxum semper crescentem in mentalitatem et in ipsam structuram vitae nostri temporis exerceant, specialibus studiis formentur qui ad investigationem scientificam et ad scientias profanas docendas destinantur, ita ut apti fiant

ad apostolatum scientificum, qui tanti momenti est, exercendum; immo curandum ut aliqui sint in Societate, qui supremos etiam gradus academicos obtineant et vere excellentes deveniant.

39. Specialibus quoque studiis viri in re pastorali periti formentur, qui nostrorum ministeriorum aptam ordinationem et ad hodierna tempora ac specialia adiuncta accommodationem promovere valeant.

40. Ii vero qui ad alias regiones destinantur, praeter generalem praeparationem, antequam ad novam regionem accedant, requisitam, proprie dictam specializationem, ubi opus est, ita accipiant ut rationem habeant adiunctorum regionis in qua laborandum sibi erit.

C. *De doctrina tradenda.*

41. Ad hoc studia dirigantur ut Nostri idonei reddantur qui veritatem in Christo revelatam et Ecclesiae commissam hominibus apte annuntient et transmittant. Quapropter talis doctrina tradenda est, quae « semel traditae sanctis fidei » [4] fideliter inhaereat, et quae hanc fidem in cordibus hominum, pro mutatis loquendi ac cogitandi modis et pro diversis totius mundi culturis, iugiter iuvenescere faciat.

42. Nostri fiduciam ponant in ipsius divinae Veritatis vigore et in illa Spiritus intima unctione quae Christi Ecclesiam in omnem veritatem ducit. Quare cum studiis suis coniungere satagant familiaritatem cum Deo, qua secura via tam ab animi timiditate quam ab innovandi levitate caveant. In omnibus vero soliditati studeant secundum normas a Sancta Sede Societati traditas.

43. Memores sint professores se non proprio nomine docere, sed in Ecclesia, ex missione ab Ecclesia accepta, caritate coniuncti in Societate Iesu. Itaque ab Ecclesiae sensu et voluntate dirigi se sinant; magisterio ecclesiastico debitum obsequium exhibeant, rationem habeant aedificationis in fide tum auditorum tum omnium fidelium; simul vero eos respiciant qui a nobis seiuncti sunt.

44. Tam professores quam Scholastici Verbo Dei scripto et tradito fideliter inhaereant illudque assidue scrutentur; magni etiam faciant SS. Patrum et aliorum Doctorum doctrinam, eorumque Societatis auctorum quorum laus est in Ecclesia; ac mentem et principia sancti Thomae imprimis sequantur, cuius opera sibi familiaria reddere conentur.

45. Professores distincte doceant ea quae tamquam doctrina fidei ab omnibus tenenda sunt et ea quae consensu doctorum probantur. Probabiles, novas et proprias explicationes modeste proponant.

---

[4] Iud. 3.

46. Ut debitus doctrinae progressus securius ac fructuosius obtineatur, valde iuvabit quod professores sua nova concepta, iam antequam scripto edant, libenter et sincere cum collegis communicent, ut, si opus est, ab eis emendari et eis etiam prodesse possint.

47. Scholastici tempore studiorum doceantur, sub professorum directione, opera etiam auctorum non catholicorum critice legere et prudenter adhibere, ea praesertim quae in hodiernam mentem maiorem influxum exercent, ut discant quae bona sunt retinere, quae improbanda corrigere.

10. - De tertia probatione

In Ms. act. 39, 40, 46.

1. Congregatio Generalis XXXI, magni faciens institutum tertiae probationis, a sancto Patre Ignatio in Constitutionibus definitum atque in litteris apostolicis et documentis Societatis commendatum, simulque conscia de difficultatibus quibus tertia probatio laborat, accommodatam renovationem quaerit, quae ad fines ab ipso Fundatore intentos efficacius conducat, secundum normas Concilii Vaticani II et principia de vita religiosa et de missione apostolica Societatis in aliis documentis huius Congregationis proposita.

2. Ad talem renovationem valde confert specialis cura adhibenda in intime cognoscendo et gustando spiritu Exercitiorum et Constitutionum [1], eodemque in propriam orationem et actionem apostolicam traducendo.

3. Cum tamen pleraeque difficultates hodiernae versentur circa modos concretos, quibus ordinatur praxis ipsius instituti tertiae probationis, Congregatio, attenta adiunctorum diversitate in variis regionibus, censet in praesenti nova experimenta tentanda esse, quoad tertiae probationis structuram antequam definitive aliquid pro tota Societate statuatur.

4. In singulis ergo regionibus, Provincialium et Instructorum sit curare ut, cum approbatione Patris Generalis, novae methodi aptaque experimenta adhibeantur, ut fines in Constitutionibus [2] et in bulla « Ascendente Domino » definiti, sub luce principiorum huius Congregationis accommodati et renovati, secundum diversa regionum adiuncta, nostris quoque temporibus obtineantur.

5. Experimenta per tres annos fieri debent, vel amplius si Patri Generali videbitur; eo autem tempore transacto, conventus coadune-

---

[1] Cf. *Coll.*, d. 156.
[2] *Const.*, P. V c. 1 n. 3 [514]; c. 2 n. 1 [516].

tur qui de fructibus iudicare valeat quique Patri Generali sit iuvamen ad novam Instructionem edendam et ad Regulas Instructoris revisendas.

11. - De normis promotionis ad ultima vota

In Ms. act. 43, 73, 82-84, 104.

Introductio

Congregatio Generalis, plurimis postulatis satisfacere exoptans petentibus ut titulus ad professionem quattuor votorum, supposita sane congrua doctrina theologica, magis respiciat totum valorem religiosum et apostolicum viri, normas ad professionem quattuor votorum sic ad experimentum esse reformandas decernit:

1. Decr. 158 Coll. Decr. reformetur, ut legatur:

In omnibus ad ultima vota promovendis requiritur ut emineant in Christi sequela in Evangelio proposita, cum ea sit ultima norma vitae religiosae [1]; tales autem dicendi sunt qui:

1° Regulariter et ut plurimum, in rebus communibus, secundum exigentiam virtutis caritate Christi informatae operantur, speranturque idem facturi in difficilioribus, si quae occurrant;

2° Monitiones de defectibus in vita religiosa admissis humiliter accipiunt atque illos generose emendare nituntur;

3° Caritate impulsi, magis magisque vivunt Christo et Corpori Eius quod est Ecclesia [2], et in cotidiano virtutum exercitio tam Nostris quam aliis vitam novam redemptione Christi acquisitam testificantur [3].

2. Decr. 160 Coll. Decr. reformetur, ut legatur:

Ut quis ad sollemnem quattuor votorum professionem admittatur, requiruntur:

1° Praestantia virtutis ad normam d. 158, positive comprobata eaque conspicua, ita ut bono suo exemplo ceteris praeluceat [4]. Huius defectum nulla alia dona supplere possunt.

2° Rectum iudicium et prudentia in agendo [5], pariter ac virtus comprobata ac necessaria;

3° Aptitudo supra mediocritatem ad nostra ministeria [6];

---

[1] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 2, *a*.
[2] Ibid., n. 1.
[3] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 44.
[4] Cf. *Exam.*, c. 1 n. 8 [12]; *Const.*, P. X n. 7 [819].
[5] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 9.
[6] Cf. Ibid.; *Exam.*, c. 1 n. 8 [12]; *Const.*, P. IV Prooem., A [308]; P. X n. 7 [819].

4° Praestantia doctrinae ad normam d. 118 (abrogata § 3ª) aut alia dona egregia ad normam nn. 3 et 4 infra;

5° Sacerdotium [7];

6° Aetas triginta trium annorum expletorum [8];

7° Anni saltem decem integri in Societate, praeter annos primorum in Societate studiorum philosophiae et theologiae peractos [9];

8° Anni saltem tres integri post absolutum theologiae cursum et praeter tertiam probationem ac studia specialia, si quae facta erunt, peracti in fungendis ministeriis vel muneribus.

3. Abrogantur dd. 161 et 162 Coll. Decr. et d. 36 C. G. XXVIII, eorumque loco novum decretum condatur quod legatur:

§ 1. Salvis semper requisitis de quibus in n. 2, ad sollemnem professionem quattuor votorum sine examine ad gradum admitti possunt laureati aut licentiati aliove aequivalenti gradu induti in scientiis sacris, vel qui has scientias cum laude docendo vel scribendo professi sunt [10].

§ 2. De singulis hisce casibus requiritur ut constet Praeposito Provinciali eiusque Consultoribus de praestantia doctrinae candidati.

4. Reformetur d. 163 Coll. Decr., ut legatur:

§ 1. Salvis semper requisitis de quibus supra in n. 2, ad professionem sollemnem absque examine ad gradum admitti possunt illi qui valorem egregium apostolicum et ministerialem exhibent. Sunt autem:

1° Qui notabile talentum gubernandi vel contionandi vel scribendi exhibuerunt [11];

2° Viri in litteris vel scientiis versati et aut titulis superioribus academicis ornati, aut qui disciplinas superiores cum laude docuerunt [12];

3° Qui quodcumque munus vel ministerium Societati conveniens modo egregio et communiter laudato aliquamdiu exercuerunt;

§ 2. In singulis hisce casibus, praeter sufficientem doctrinam theologicam, requiritur ut constet Praeposito Provinciali eiusque Consultoribus de egregio valore apostolico et ministeriali candidati.

5. Novum decretum condatur:

Praepositi Provinciales eiusque Consultores, cum de promovendis ad gradum est agendum, inquirant quinam Coadiutores spiritua-

---

[7] Cf. *Exam.*, c. 1 n. 8 [12].
[8] Cf. C. G. VIII dd. 7 et 33.
[9] Cf. C. G. IX d. 42; C. G. XIII d. 9; C. G. XVI d. 20.
[10] Cf. C. G. VII d. 96; C. G. XXX d. 68.
[11] Cf. C. G. VII d. 33 n. 3; C. G. XIII d. 19.
[12] Cf. C. G. VI d. 15; C. G. VII d. 33 n. 6; C. G. XXIX d. 33.

les vel Scholastici approbati digni sint qui ad gradum Professorum Praeposito Generali proponantur, ad normas nn. 3 et 4 supra. Quod si tales esse constet, ut in citatis decretis describitur, ceterae quoque informationes petantur, ut Praeposito Generali proponi possint. Quod non semel tantum fieri sed iterari potest.

6. Decr. 165 Coll. Decr. reformetur, ut legatur:

Ad gradum Coadiutorum formatorum sive spiritualium sive temporalium ne admittantur nisi ii qui:

1° Mediocritatem virtutis superaverint ad normam d. 158;

2° Aptitudinem sufficientem ad propria munera et ministeria in Societate exhibuerint [13];

3° Si Coadiutores temporales, vitae religiosae annos decem, aetatis vero triginta tres, expleverint; si Scholastici approbati, tempus in Societate et annos aetatis ad normam n. 2, 6°, 7° et 8° supra.

7. Commendat Congregatio Generalis:

1° ut totus informationum processus, sive de admissione ad theologiam, sive de promotione ad ordines sacros, sive ad gradum, sive ad gubernandum, penitus investigetur et recognoscatur;

2° ut Praeposito Provinciali eiusque Consultoribus, iudicaturis de dignitate cuiusdam ut ad gradum Professorum promoveatur, praesto sint:

a) schedula completa punctorum in examinibus totius curriculi tam philosophiae quam theologiae;

b) notitiae amplae de aliis studiis superioribus sive in Societate sive extra factis;

c) accurata relatio de ministeriis et operibus quibus candidatus incubuerit, cum iudiciis de successu, etc.

12. - De ritu emissionis votorum

In Ms. act. 121, 123.

Congregatio Generalis A. R. P. Generali committit ut ordinationem faciat pro tota Societate, saltem ad experimentum, circa:

a) concelebrationem in emissione ultimorum votorum;

b) usum linguae vernaculae in votis biennii;

c) admissionem saltem familiarium ad eadem vota, et alia similia.

---

[13] Cf. *Const.*, P. V c. 2 n. 4 [522].

IV. DE VITA RELIGIOSA

13. - De vita religiosa in genere

In Ms. act. 105-108, 112, 113, 120.

1. Concilium Vaticanum II, cum Mysterium Ecclesiae pro huius temporis condicionibus penitus investigavit, professionem religiosam consiliorum evangelicorum praeclara luce illustravit tum in ordine ad sanctitatem speciali gratia prosequendam tum propter Dei hominumque servitium adimplendum.

2. Per baptismum Corpori Christi Mystico inserti, per confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati et in regale sacerdotium et gentem sanctam consecrati [1], ut queamus gratiae baptismalis uberiorem fructum percipere, consiliorum evangelicorum professione divino obsequio intimius consecramur [2] in Societate Iesu.

3. Cum vero scopus, ad quem Societas recta tendit sit « suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem creatae fuerunt, iuvare » [3], necesse est ut vita nostra, tam Sacerdotum quam Scholasticorum, Fratrumque Coadiutorum, sit per modum unius simul apostolica et religiosa. Haec intima conexio aspectum apostolicum inter et religiosum debet in Societate totam nostram vivendi, orandi et laborandi rationem informare, eique characterem apostolicum imprimere.

4. Ad assecutionem autem huius finis quem sibi praefigit Societas, et « ad conservationem et incrementum non solum corporis ... sed etiam spiritus Societatis ... media illa quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt quam quae illud disponunt erga homines » [4].

5. Vita enim spiritualis est participatio in vita Sanctissimae Trinitatis in nobis inhabitantis, ut ita conformes efficiamur imagini Filii Dei, « ut sit ipse primogenitus in multis fratribus » [5], ad gloriam Dei.

Talis vita totum hominem omnesque eius activitates comprehendit, per quas ipse ut christianus correspondet omni motioni Dei. Non

---

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Apostolicam actuositatem*, n. 3.
[2] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 44.
[3] *Const.*, P. IV Prooem. n. 1 [307].
[4] *Const.*, P. X n. 2 [813].
[5] Rom. 8, 29.

solis actibus pietatis constituitur, sed debet informare et dirigere vitam nostram totam, individualem et communitariam, una cum omnibus relationibus nostris ad omnes alias personas et res. Nutritur et fovetur omni gratia, qua Deus se vertit ad nos atque semetipsum nobis communicat, praecipue per verbum suum et per sacramenta Christi.

Nos autem respondemus oboeditione fidei, qua nos totos libere Deo committimus « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium praestando » [6]; celebrantes, ut culmen, Sacram Liturgiam Eucharistiae Domini, participantes in sacramentis Christi, et nosmetipsos offerentes per caritatem in omnibus actibus, praecipue apostolicis, vitae nostrae, cunctisque aerumnis et gaudiis.

6. Ad promovendam ergo accommodatam renovationem vitae religiosae apud omnes Nostros, Congregatio Generalis XXXI haec ad mentem Concilii Vaticani II decernit:

14. - De oratione

In Ms. act. 46-48, 89-95, 99-101, 105, 106, 117, 122.

Introductio

1. Ad renovationem in Ecclesia promovendam, Concilium Vaticanum II christifideles omnes, imprimis presbyteros et religiosos, hortatur ut spiritum orationis et orationem ipsam assiduo studio colant [1]. De oratione autem exsurgunt hodie difficultates et dubitationes tam practicae quam doctrinales, ex quibus Societas non parvum patitur detrimentum. Quapropter Congregatio Generalis assumit officium recolendi orationis momentum, necnon orientationes proponendi de formis et condicionibus orationis in Societate, quo melius et Superiores et singuli sodales propriam coram Deo responsabilitatem perpendere possint.

2. In Christo Iesu tota vita nostra spiritualis consistit, sicut et omnium fidelium, qui per fidem et lavacrum regenerationis adoptionem filiorum receperunt, speciali autem modo per consecrationem religiosam Deo factam, et quidem in Societate quam Fundator noster Iesu nomine insigniri cupivit. Nihil enim aliud scire volumus nisi Christum Iesum qui, a Patre missus, opus salutis hominum omnisque creaturae consummavit in vita, morte et resurrectione sua, et, a Patre exaltatus, per Spiritum Sanctum quem misit in mundum om-

---

[6] Conc. Vat. II, *Dei verbum*, n. 5.

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, nn. 5, 6; *Presbyterorum ordinis*, n. 18; *Optatam totius*, n. 8; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 21.

nia ad se trahit, ut omnes in Eo unum sint sicut et Ipse et Pater unum sunt. Huic Christi Salvatoris operi ita per gratiam vocationis nostrae religiosae et apostolicae consociamur ut Eiusdem amorem erga Patrem et homines plenius et intimius participemus, amorem quo in finem dilexit nos et seipsum dedit redemptionem pro omnibus. Haec est ergo vocatio nostra, Patrem filiosque Eius diligere et cum Christo in Ecclesia pro mundi vita laborare, ut Pater magis glorificetur; hoc est studium nostrum in Spiritu, hic est fons semper in nobis renovatus caritatis et gaudii, oblationis et virtutis.

3. Nobis autem Exercitia spiritualia sancti Patris Ignatii patrimonium propriae spiritualitatis et schola orationis sunt, quae viam nobis aperiunt ut in mysterium salutis penitius intremus et ex eo vitam apostolicam in hoc mundo insertam plene alamus. Nam fides, qua totam realitatem humanam constanter et progressive assumimus, intimam personalitatem nostram imbuere debet, ut testimonium validum viventis praesentiae Christi Domini praebere possimus. Hoc in oratione mentali quaerimus, in qua Deo vacamus et omnia, gratia Dei suffulti, in luce Christi conspicere conamur. Ope orationis mentalis, vita nostra concreta per historiam salutis illuminatur et informatur, necnon examini divino et interpellationi subicitur, et a Domino speramus illam libertatem et spirituum discretionem quae ad ministerium Evangelii exiguntur. Quapropter religiosus in mundo hodierno immersus, in quo Deus persaepe ignotus manet, orationem formalem, qua gaudio Evangelii tota creatio integratur et ad Patrem refertur, tamquam privilegium aestimabit. Nostris autem, vi missionis specialis erga atheismum, novam significationem apostolicam acquirit oratio qua roborentur in nobis sensus Dei viventis et testimonium fidei.

4. Ex hac schola orationis simul et actionis apostolicae procedit apostolus Societatis, qui vi vocationis suae ut sit contemplativus in actione advocatur. Quo enim arctius et constantius, amorem proprium abnegantes, Christo adhaeremus et eius salvifico operi associamur, eo plenius Patrem adoramus spiritu et veritate, atque efficacius saluti hominum ministramus. Immo, quia in apostolatu testes sumus Christi, oportet ut, sicut Ipse cum Patre semper colloquebatur et saepe solus per noctem vel in solitudine orabat, nos cum Ipso per orationem, tum continuam tum formalem, Eius familiaritate gaudeamus. In hac nostra intima unione cum Christo, vita orationis et vita ministerii apostolici non separantur sed unum quid et indivisum constituunt, ita ut actio indesinenter ab oratione vim ac lumen accipiat et ad orationem impellat. Dum enim in fide, spe et caritate hominibus verba operaque salutis afferimus, orationem exercemus con-

tinuam et ad orationem formalem invitamur ut tamquam veri ministri Dei operari valeamus. Unde laus, supplicatio, gratiarum actio, oblatio, gustus et pax orationem simul et actionem permeare debent, ac ultimam vitae conferre unitatem. Porro hic est noster proprius orandi modus, quem singulari gratia, generosa abnegatione ac ardenti animarum zelo et custodia cordis ac sensuum sanctus Ignatius expertus est, cum in omnibus rebus, actionibus et colloquiis, Deum inveniebat eumque praesentem gustabat. Ut autem apostolus Societatis hanc intimam unitatem et orationis et actionis in mundo hodierno vivere possit, redeat quotannis ad hanc Exercitiorum spiritualium scholam, ut ex ea renovato spiritu imbutus ad actionem in fide et caritate prodeat.

5. In Populo Dei inserti vivimus, in quo Christus accessum ad Patrem nobis aperit. Quapropter omnis oratio christiana in oratione Ecclesiae radicatur et in actione liturgica culmen suum attingit. Unde celebratio Eucharistiae centrum vitae communitatis religiosae apostolicae constituit, in qua communio fraterna perficitur et fons aperitur omnis sanctitatis et omnis conatus apostolici.

6. Cum Patri placuerit homines alloqui et in Filio, Verbo Incarnato, et multifarie in Scripturis, ille thesaurus Scripturarum Ecclesiae a Sponso traditus ut vitam christianam regat et nutriat, fontem purum et perennem vitae spiritualis, orationis et renovationis vitae religiosae constituit. Integra tamen Ecclesiae Traditio opportune recolit Scripturam in nobis non fieri verbum salutis nisi in oratione audiatur et ad oboeditionem fidei perducat [2]. « Lectio divina », secundum antiquissimum usum vitae religiosae, totalem disponibilitatem erga Deum loquentem requirit, necnon compunctionem cordis sub actione gladii ancipitis Scripturae nos ad conversionem perpetuo invitantis. Ex hac etiam meditativa lectione Scripturae iure exspectari potest renovatio ministerii verbi et Exercitiorum spiritualium, quae utraque ex nostra familiaritate cum Evangelio nutriuntur. Cum autem verbum Dei in viva Ecclesiae Traditione ad nos perveniat, accessus ad Scripturas a renovato studio Patrum et optimorum auctorum de vita spirituali, speciatim scriptorum e Societate, separari nequit. Exemplo nobis sit sanctus Ignatius in cuius conversione lectio spiritualis magnas habuit partes. Studium pariter theologiae, quod per totam vitam apostolicam protrahatur oportet, coniungatur cum oratione, ut ita nos ad profundiorem semper Dei experientiam perducat.

7. Media quae cum Deo coniungunt et ad auxilium animarum conferunt, a Constitutionibus enumerantur « probitas et virtus ac

[2] Cf. Conc. Vat. II, *Dei verbum*, n. 25.

praecipue caritas et pura intentio divini servitii et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis et zelus sincerus animarum ad gloriam Eius qui eas creavit ac redemit »[3]. Quapropter sanctus Pater noster nos hortatur ut « in virtutum solidarum et perfectarum et spiritualium rerum studium »[4] incumbamus, ita significans quam necessarium sit ut unusquisque sodalis modum et viam orationis sibi quaerat, quibus melius in dies ad Deum inveniendum sese disponat et ad familiariter cum Eo agendum. In hac vero humili ac iterata divinae voluntatis inquisitione sodales eorumque Superiores fraterno animo collaborare debent.

Unusquisque ergo cordi habeat illud tempus in quo, omnibus relictis, ad Deum inveniendum incumbat. Conentur vero omnes ut per orationem propria vita spiritualis organice constituatur et progrediatur. In dialogo cum Deo addiscere sciant qua via Deus animas eorum dirigat, ad quam electionem faciendam eos moveat, ad quae incepta apostolica eos invitet, ad quem gradum et modum perfectionis eos amanter vocet. Sic oratio fiet activitas vere vitalis ex cuius evolutione et progressu magis in dies actio et praesentia Dei in nobis manifestabitur; erit insuper vera schola et exercitium illius fidei, spei et caritatis quibus Deum in omnibus semper magis quaerere, amare, Eique servire valeamus.

Ita oratio exerceri potest non solum ut oboedientia regulae religiosae Deo acceptabilis, sed etiam ut personalis divinae vocationi responsio, et ut fidelitas legi caritatis erga Deum et homines quam Spiritus Sanctus inscribit in cordibus nostris. Ipsa enim caritas Christi urget nos ad orationem personalem; et ab hac urgentia non datur humana dispensatio.

8. Ad hanc autem orationis vitam, quae in Societate cum actione apostolica est semper coniungenda, requiritur imprimis abnegatio sui ipsius, ita ut propriis affectibus exuti, sentiamus in nobis quod et in Christo Iesu. Etsi enim, ex una parte, ipsa oratio abnegationem gignat, cum sit Deus qui per suam praesentiam cor hominis purificet, ex altera vero parte, abnegatio ipsa orationem praeparat, quia Deum non videbunt nisi mundo corde. In via igitur orationis non progreditur nisi qui ab affectibus inordinatis sese constanter purificat ut ad accipiendum Dei lumen et Eius gratiam sit semper dispositus. Haec autem perpetua cordis conversio « ad Patris misericordiarum amorem » peculiariter fovetur crebro usu sacramenti Paenitentiae[5].

Abnegatio autem, ad orationem disponens atque simul ex oratione profluens, vere realis non evadet nisi in vita cotidiana et inter

---

[3] *Const.*, P. X n. 2 [813].
[4] Ibid.
[5] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 18.

mundi varietates pax simul ac internum silentium servetur necnon affectuum fluxus temperetur. Nostra vero abnegatio maxime in eo consistat oportet, ut nostram initialem Deo consecrationem per totum vitae decursum cotidie exprimamus et in nostram concretam exsistentiam, etiam in minimis, continua fidelitate perducamus. Ut hanc denique viam orationis et abnegationis percurrere possimus, necessaria nobis est discretio spiritualis qua homo fit docibilis Deo, ita ut abnegatio et oratio in ipsa vita exteriori quasi visibiliter manifestentur ac simul in intimo corde constanter de novo radicentur.

Quamvis nostris hisce temporibus illae authenticae orationis condiciones difficiles adeptu nobis videantur, oportet ut, fiducia nostra in Domino reposita, eas in nostram vitam audacter deducere conemur, quo fiet ut melius proximos adiuvare possimus.

9. Quod ad vitam orationis attinet, Superiorum est sese veri nominis duces in via salutis et perfectionis praebere, exemplo praeeuntes, socios adiuvando, eis vires adiciendo eorumque progressui cooperando. Inde momentum in Societate rationis conscientiae et fiducialis communicationis inter socios et Superiores, ita ut gubernatio vere spiritualis evadat. Superioris quoque est curare de vita orationis non solum personarum sed et communitatis, atque condiciones creare quae orationi faveant. Ordinem diei et disciplinam domesticam ita statuat ut spatium temporis requisitum ad orationem secundum usum receptum faciendam et ad eius praeparationem in tuto ponatur ipsaque oratio facilior evadat.

Una cum Superioribus Patres Spirituales, caritate Christi impulsi, sedulo incumbant ut sodales sibi commissos in hac arte divina et arduo simul exercitio orationis indefesso studio dirigant et adiuvent.

Decretum

10. Magni faciant Nostri celebrationes liturgicas, praesertim communitarias, et primo loco celebrationem Eucharistiae. In Mysterio nempe Sacrificii Eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redemptionis incessanter exercetur, et ideo Ecclesia commendat eius celebrationem cotidianam [6]. Talis autem celebratio, etiamsi praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae [7]. Concelebratio vero, qua unitas sacerdotii opportune manifestatur, laudabiliter fieri potest in domibus ubi ea a competenti auctoritate permittitur, salvo tamen iure uniuscuiusque

[6] Cf. Ibid., n. 13.
[7] Cf. Ibid., n. 13.

sacerdotis missam singularem celebrandi [8]. Laudes et gratiarum actiones quae adhibentur in Eucharistiae celebratione, ad diversas horas diei dilatantur in Divino persolvendo Officio [9]. Ideo sacerdotes nostri nitantur attente [10] et opportuno tempore [11] peragere mirabile illud laudis canticum [12] quod est vere oratio Christi cum Ipsius Corpore ad Patrem [13].

11. Congregatio Generalis intendit imprimis necessitatem absolutam orationis personalis cotidianae in omnium sodalium mentem revocare.

Attenta autem ad evolutionem spiritualem hodiernam noluit simpliciter omnibus imponere regulam universalem stricte determinatam quoad orationis modum et durationem.

Quare regula de hora orationis, pro adiunctorum diversitate et uniuscuiusque necessitate, singulis sodalibus, Superiore moderante, aptanda est, iuxta illam discretam caritatem quam sanctus Ignatius in Constitutionibus ipse clare expressit.

Optandum quippe est sodales formatos « viros spirituales » esse, « qui sic in via Christi Domini nostri profecerint ut per eam currere possint », et qui in oratione imprimis diriguntur illa « regula ... quam discreta caritas unicuique dictaverit », consilio Patris Spiritualis et approbatione Superioris adhibitis [14].

Memores autem sint omnes illam sibi meliorem esse orationem in qua Deus eis sese magis communicat, sive sit mentalis sive etiam vocalis, sive consistat in meditativa lectione vel in affectu intimo amoris et oblationis.

12. Praeterea, quod ad Scholasticos et Coadiutores temporales approbatos speciatim attinet, ratio habeatur eorum quae sequuntur:

1° Per totum formationis tempus, in schola orationis et responsabilitatis spiritualis attente formentur ad plenam maturitatem in vita orationis obtinendam, ita ut ad illam discretae caritatis regulam demum pervenire possint quam sanctus Ignatius pro formatis praescripsit.

2° Ad hunc scopum assequendum, servetur usus Societatis tribuendi unam horam cum dimidio pro oratione, Missa et gratiarum actione. Unusquisque conetur, sub ductu Patris Spiritualis, illam sibi meliorem orationis formam invenire qua melius in Domino profi-

---

8 Cf. Conc. Vat. II, *Sacrosanctum Concilium*, n. 57.
9 Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 5.
10 Cf. Conc. Vat. II, *Sacrosanctum Concilium*, n. 90.
11 Cf. Ibid., n. 94.
12 Cf. Ibid., n. 84.
13 Cf. Ibid., n. 84.
14 Cf. *Const.*, P. VI c. 3 n. 1 [582].

ciat[15]. Quae omnia iuxta ordinationem ac iudicium Superiorum fiant[16].

3° In communitatibus ubi vitam degunt, cum stabiliores et numerosiores esse soleant, ordo diurnus semper clare indicare debet partem diei determinatam a Superioribus intra quam oratio eiusque praeparatio suum tempus in tuto positum habeat.

13. Orationis exercitium quod «examen conscientiae» vocatur, atque secundum ignatianum intentum ad animi puritatem, spiritualem discretionem et familiaritatem cum Deo in vita activa tantopere confert, bis in die fiat. Secundum probatam traditionem Societatis, commendatur duratio quartae horae partis.

14. Lectio et meditatio Sacrae Scripturae, seu lectio divina, magni aestimentur ab omnibus et fideliter exerceantur. Conentur omnes in ea lectione familiaritatem profundam cum verbo Dei acquirere, interpellationem divinam audire, historiam salutis intime sentire qua Mysterium Christi praeparatur, adimpletur et in vita Ecclesiae continuatur. A Patribus necnon a christianae spiritualitatis auctoribus, praeprimis Societatis, Christum efficaciter et quaerere et invenire addiscant.

15. Communitates nostrae, prout indoles earum apostolica permittit, cotidie ad brevem communem orationem adunentur. Modus a Provinciali approbetur, secundum normas a P. Generali stabiliendas. Ratio in ea maiorum necessitatum totius mundi, Ecclesiae, Societatis et ipsius communitatis habeatur. Praeterea tum communitates tum singuli, ad suam vocationem apostolicam fideliter adimplendam, colloquium cotidianum cum Christo Domino in visitatione Sanctissimae Eucharistiae cordi habeant[17].

16. Exercitia spiritualia quotannis ab omnibus facienda sunt, secundum methodum sancti Ignatii[18], per octo continuos dies[19], servata possibilitate adaptationum, ratione adiunctorum, de quorum momento Provincialis est iudicare. Si vero adaptationes pro tota Provincia vel tota Assistentia fiunt, approbationi Patris Generalis submittantur. Per Exercitia annua illae condiciones, uti sunt silentium, animi solitudo, locus remotus ab ordinario labore, ita serventur ut re vera conferant ad spiritualem renovationem obtinendam per familiare cum Deo colloquium, crebrum et protractum.

17. In Coll. Decr. dd. 52 et 55 et 81 retractentur secundum hoc decretum, sub nn. 10 ad 16.

---

[15] Vide supra, pag. 69, decr. 8 n. 35.
[16] Cf. *Const.*, P. IV c. 4 n. 3 [342].
[17] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 18.
[18] Cf. *Coll.*, d. 55 § 3.
[19] Cf. *Coll.*, d. 55 § 1.

15. - De cultu SS. Cordis Iesu

In Ms. act. 116-118, 123.

1. Ecclesiae mysterium in nova atque fulgenti luce a Concilio Vaticano II collocatum est; quod mysterium percipi nequit nisi fidei oculos in aeternum Incarnati Verbi amorem dirigamus. Christus enim, « qui humana mente cogitavit, humana voluntate egit, humano corde dilexit » [1], humano suo amore semetipsum immolavit ut Sponsam sibi Ecclesiam acquireret, quae de latere Ipsius in cruce dormientis nasceretur.

2. Huius humani atque divini amoris praeclarum symbolum habetur in Ecclesia vulneratum Christi Cor, ex quo sanguis et aqua exeuntes exordium et incrementum Ecclesiae significant atque ostendunt [2], nostramque redamationem requirunt. Unde Sacri Cordis cultus, prouti ab Ecclesia proponitur, cultus est « amoris, quo Deus per Iesum nos dilexit, ac simul nostri exercitatio amoris, quo in Deum et in ceteros ferimur homines » [3], interpersonalem illam efferens dilectionis relationem, quae christianam et religiosam vitam constituit. Hinc est quod Sacri Cordis Iesu cultus egregia atque probata pietatis forma existimetur, « quae hoc nostro tempore, praesertim ex praescriptis Concilii Vaticani II, impensissime postulatur erga Christum Iesum, regem et centrum omnium cordium » [4]. Hoc imprimis a Societate, sive in suis sodalibus, sive in suo apostolico servitio, curandum est, non solum ex sancta maiorum traditione, sed etiam ex recentissima Romani Pontificis commendatione.

3. Quapropter, Congregatio Generalis devoto animo hoc Summi Pontificis desiderium suscipit, decreta praecedentium Congregationum de cultu erga Cor Christi recolit [5] et sodales omnes hortatur ut « amorem erga SS. Cor Iesu magis magisque diffundant, atque verbo et exemplo omnibus probent, sive exspectatam mentium morumque renovationem, sive maiorem institutorum, quae in Ecclesia sunt, efficientiam atque vigorem — sicut ab Oecumenico Concilio Vaticano II postulatur — illinc afflatum et impulsum oportere suscipiant maximum » [6]. Sic melius Christi amorem, qui in cultu SS. Cordis Iesu symbolizatur, centrum vitae spiritualis nostrae faciemus et

---

1 Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 22.
2 Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 3.
3 Pius XII, *Haurietis aquas*: A. A. S., 48 (1956) 345.
4 Paulus VI, *Investigabiles divitias*: A. A. S., 57 (1965) 300.
5 Cf. *Coll.*, dd. 223 et 286 § 1; C. G. XXIII d. 46 n. 1; C. G. XXVI d. 21; C. G. XXVIII d. 20; C. G. XXX d. 32.
6 Paulus VI, *Diserti interpretes*: Act. Rom. XIV (1965) 585.

efficacius omnibus evangelizabimus investigabiles divitias Christi et primatum caritatis in vita christiana fovebimus.

4. Neminem tamen latet cultum SS. Cordis Iesu, in aliquibus saltem mundi regionibus, propter minus forsan adaptatas exteriores formas, hodie difficilius Nostros et alios fideles atttrahere. Quare enixe invitantur theologi, spiritualis ac pastoralis theologiae periti et apostolatus SS. Cordis Iesu promotores ut quam aptissimam huius cultus praesentandi formam, pro locorum et personarum diversitate, diligenter investigent. Necesse enim videtur ut, servata semper eiusdem cultus natura, accidentales ipsius modalitates relinquentes, illum nostrae aetatis exigentiis ita accommodent, ut hodiernis hominibus intellegibilior reddatur atque modernae sensibilitati sit magis consentaneus.

5. Congregatio Generalis praeterea A. R. P. Generali commendat ut praedicta studia foveat, ex quibus ipse Societatem totam in spiritu religioso simul et apostolico renovando melius adiuvare possit.

16. - De castitate in Societate Iesu

In Ms. act. 109-111, 119.

Ex hodierna mentis habitudine et ex novis modis quibus ministerium nostrum hodie inter homines inseritur, nova problemata exsurgunt quae consecrationem Deo per votum castitatis tangunt. Cum tamen ea nondum ita matura sint ut discrete et sapienter solvi possint, Congregatio Generalis XXXI A. R. P. Generali commendat ut, quamprimum pro sua prudentia id opportunum duxerit, peritis studium committat apte assimilandi progressus theologicos, psychologicos et paedagogicos ipsosque ad directionem Nostrorum applicandi, ut in castitate perfecta usque tutius perseverent.

Insuper Congregatio attente perlectis Concilii Vaticani II documentis et memor decretorum de vita spirituali et de formatione Nostrorum, has declarationes communicat dispositionesque statuit.

1. Deus, caritatem suam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffundens, quibusdam in Ecclesia donum consecratae castitatis dat [1], simul ut signum et stimulum caritatis, quo facilius Ei soli Eiusque regni servitio indiviso corde sese devoveant [2]. Castitas igitur « propter regnum caelorum » [3] ad quam Christus exemplo suo et vocatione nos invitat quamque ad imitationem tot sanctorum religiosi

[1] Cf. Rom 5, 5; Mt 19, 11; 1 Cor 7, 7.
[2] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 42.
[3] Mt 19, 12.

profitemur [4], iuxta Ecclesiae iteratas commendationes et secundum verba Fundatoris nostri, a nobis « perfecte observanda » est [5].

2. Nostrae aetatis homines ad quos mittimur [6], quibuscum tamquam cum fratribus conversamur [7], de novo sensum et aestimationem amoris humani totiusque vitae sexualis perpendunt. Eis profecto testimonium nostrae castitatis consecratae sincerum, simplex et prudens [8] praebere volumus.

3. Votum enim castitatis a caritate inspiratum nos Deo nova et eximia ratione consecrat nosque in novo statu vitae eminenter humanae constituit, qui cor singulariter liberat ipsumque caritate erga Deum hominesque omnes inflammat. Vita castitatis Deo consecrata est insuper signum vivum illius mundi futuri in quo filii resurrectionis « neque nubent neque ducent uxores » [9], simulque « medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedicent » [10].

4. Quare in Societate nostra, non tantum oboedientia et paupertas, sed castitas etiam est essentialiter apostolica, nec ullo modo intellegenda ut unice ad propriam nostram sanctificationem ordinata. Ex tota enim Instituti nostri intentione, castitatem amplectimur ut peculiarem fontem spiritualis fecunditatis in mundo [11]. Per illam, plenum dominium nostrarum virium tum corporis [12] tum etiam spiritus [13] retinetur ad promptiorem amorem et pleniorem dispositionem apostolicam erga homines universos [14]. Professio porro castitatis propter regnum caelorum est in seipsa vera praedicatio evangelica, quia Regni Dei super omnia terrestria elevationem, supereminentem quoque magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem, cunctis hominibus demonstrat [15].

5. Ex alia vero parte, castitas per caelibatum Deo sacrata, importat et a nobis expostulat sacrificium quo lucide et libere renuntiamus illam societatem familiarem inire in qua vir et mulier, pa-

---

[4] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 46; *Perfectae caritatis*, n. 12.
[5] *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547].
[6] Cf. *Const.*, P. I c. 3 n. 1 [163]; P. VII c. 1 n. 1 [603]; CONC. VAT. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 16; *Gaudium et spes*, passim.
[7] Cf. CONC. VAT. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 3.
[8] Cf. Mt 10, 16.
[9] Lc 20, 35.
[10] CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 12; cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 16.
[11] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 42.
[12] Cf. 1 Cor 7, 4.
[13] Cf. 1 Cor 7, 32-33.
[14] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 12.
[15] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 44.

rentes et liberi, complementum mutuum etiam psychologicum multipliciter assequi possunt. Nostra igitur ad Christum consecratio secum fert quandam renuntiationem affectivam et solitudinem cordis, quae partem efficiunt crucis a Iesu nobis oblatae in Eius sequela, nosque intime consociant cum Eius mysterio paschali participesque faciunt spiritualis fecunditatis ex eo dimanantis. Quapropter votum castitatis, ea indispensabili condicione ut humili, laeto ac firmo animo ut donum Dei acceptetur et ut sacrificium Deo offeratur, non modo personalitatem non minuit [16] nec consociationem et dialogum impedit, verum etiam affectivitatem expandit, homines fraterne adunat eosque ad pleniorem caritatem ducit [17].

6. Attamen ut homo hanc amoris vocationem in Ecclesia amplecti audeat, his requisitis necessario indiget:

a) fide viva, cuius ope unice intelleguntur sensus et pretium sublimioris illius amoris qui per consecrationem assumit affectus nostrae personalitatis secundum sexum diversificatae eiusque gestus et motus naturales transcendit;

b) sano aequilibrio semper progredientis affectivitatis, quo motivationes et impulsus conscii vel inconscii totius personalitatis integrantur, viam ad plene humanam electionem sternendo;

c) denique, nostra praesertim aetate, lucida electione, libere quidem et explicite et magnanimiter facta, praecellentiae rite intellectae virginitatis Christo consecratae. Per virginitatem enim homo integra corporis animique oblatione Domino sese devovet [18] veroque assensu gratiosam vocationem assumit ad relationem amoris amicitiae et caritatis instituendam ultra plenitudinem matrimonii christiani.

7. Praeterea, ut perseverantia in vocatione usque ad finem vitae obtineatur et ut amor semel consecratus indesinenter crescat, necesse est:

a) iugiter nutrire pristinam fidem vivam, per familiare commercium cum Deo, per contemplationem mysteriorum Christi, per vitalem Ei assimilationem in sacramentis, tam paenitentiae, qua magis magisque puri et pacifici reddimur, quam Eucharistiae, qua cum Populo Dei cor unum et anima una efficimur;

b) sustentare primum propositum perseverandi et in amore crescendi, per promotionem caritatis atque alacrem animarum unio-

---

[16] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 46; *Gaudium et spes*, n. 41.
[17] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 44; *Presbyterorum ordinis*, n. 16; *Optatam totius*, n. 10.
[18] Cf. Conc. Vat. II, *Optatam totius*, n. 10.

nem, quae florent « cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget » [19];

c) roborare primaeva desideria servitii divini in hac vocatione per laborem apostolicum plane responsabilem et, quantum fieri potest, constanter decurrentibus annis personalitatis progressui adaptandum;

d) protegere constantiam voluntatis, tam strenua prudentia, quae facit ut personae et communitates « de propriis viribus non praesumant et mortificationem sensuumque custodiam adhibeant » [20], quam mutua fiducia sodales inter et Superiores, quae mirum in modum confert ad rationem conscientiae adeo commendatam renovandam [21];

e) renovare sine intermissione studium perseverandi per humilem et simplicem devotionem erga Beatam Virginem Mariam, quae suo casto assensu fecunditatem divinam obtinuit et Mater pulchrae dilectionis effecta est.

8. Proinde Congregatio Generalis XXXI has commendationes proponit:

a) Omnes intimam amicitiam cum Christo et familiaritatem cum Deo perpetuo colant. In hoc enim mundo nemo sine amore vivit. Coaetaneis vero, de nostro amore dubitantibus ipsumve non intellegentibus, responsum aptum offeramus per signum vitae castitate consecratae, simulque humili ac perseveranti oratione pro nobismetipsis et pro sociis gratiam amoris personalis erga Christum efflagitemus.

Hanc enim gratiam expertus est Pater noster Ignatius, sic totam suam personalitatem pervadentem ut confratres velut amicos sibi devinxerit innumerosque viros ac mulieres sua personali affabilitate ad Deum perduxerit.

Hanc etiam gratiam inculcare voluit in Exercitiis impetrandam, ut per meditationem et contemplationem mysteriorum vitae, mortis ac resurrectionis Domini nostri Iesu Christi eisque sensuum applicationem peteremus intimam cognitionem Domini, « qui pro me factus est homo, ut magis ipsum amem eumque sequar » [22].

b) In memoriam tamen omnibus revocandum est amorem castitate consecratum crescere semper debere et ad maturitatem venire in mensuram plenitudinis Christi [23]. Non est igitur donum initio vitae spiritualis semel pro semper maturum perfectumque da-

---

[19] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 12; cf. *Lumen gentium*, n. 43.
[20] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 12; cf. *Presbyterorum ordinis*, n. 16.
[21] Cf. *Const.*, P. VI c. 1 n. 2 [551].
[22] *Exerc.*, n. 104.
[23] Cf. Eph 4, 13.

tum, sed tale quod iteratis fortasse gravibus decisionibus in dies crescat et perfectius fiat, sicque cor magis ac magis ab affectibus nondum satis dilucide specificatis purificet, donec efficiat ut homo totaliter Christo per amorem adhaereat.

Talis Domini Iesu amor in verum etiam amorem humanum erga homines et in veram amicitiam impellit. Castitas enim propter regnum caelorum fraterna amicitia custoditur et in eam vicissim efflorescit. Inde etiam ut pretiosus fructus apostolicus amoris amicitiae semper proficientis habendum est illud maturum, simplex, ab angustia expeditum commercium cum viris ac mulieribus quibuscum et pro quibus ministerium nostrum exercemus in aedificationem corporis Christi [24].

c) Ad perfectam vero libertatem casti amoris adipiscendam, simul cum familiaritate cum Deo supra memorata, omnia subsidia et supernaturalia et naturalia adhibenda sunt [25]. Inter ea tamen illa praeferant ad oblationem castitatis fideliter exsequendam quae positiva sunt, uti probitatem vitae, generosam officio proprio dedicationem, magnum gloriae Dei desiderium, virtutum solidarum et spiritualium rerum studium [26], apertam in agendo et in Superioribus consulendis simplicitatem, ditiorem assecutionem culturae humanae, spirituale gaudium et super omnia veram caritatem: haec enim omnia nata sunt ad hominem in pleniorem et puriorem dilectionem erga Deum et homines, quam exoptamus, facilius manuducendum.

d) Memores nihilominus solitudinis cordis prius commemoratae, quae partem crucis per vocationem in sequela Christi acceptatae constituit, nostraeque fragilitatis, quae evolutionem casti amoris [27] a iuventute ad senectutem usque necessario comitatur, oblivisci non possumus normarum asceticarum quas Ecclesia et Societatis experientia fulcitas habet et quas pericula contra castitatem hodie non minus quam antea exigunt [28]. Imprimis igitur desideriis quae aequum et sanum sensuum et affectuum dominium imminuere possunt diligenter obsistant.

e) Denique, Dei gratia suffulti, semper autem mortificati [29], labori apostolico generose et strenue operam navent, ut consortium humanum quod ministerium implicat, visitationes, recreationes, librorum lectionem, problematum studium, spectacula et delectabilia ita moderari sciant ut testimonium nostrae consecrationis Deo integrum splendeat.

---

[24] Cf. Eph 4, 12.
[25] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 16.
[26] Cf. *Const.*, P. X n. 2 [813]; Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 11.
[27] Cf. 2 Cor 4, 7.
[28] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 16; *Perfectae caritatis*, n. 12.
[29] Cf. 2 Cor 4, 7ss; 6, 3ss; Col 3, 1ss; *Exam.*, c. 4 n. 46 [103].

9. Quoad Superiores attinet,

a) sciant imprimis neminem ad Societatem admittendum esse quem ad castitatem consecratam ineptum [30] existiment. Proinde attente perscrutentur et fideliter adimpleant quae Ecclesia inculcare non desinit [31]. Ita, « de candidatorum ... libera voluntate, idoneitate morali, de eorum physica et psychica valetudine, consideratis quoque dispositionibus a familia forsan transmissis » [32], Superiores vigilanter inquirant. Et speciatim, « cum observantia continentiae perfectae profundiores naturae humanae inclinationes intime attingat, candidati ad professionem castitatis ne accedant neve admittantur, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica et affectiva » [33], « praecipue comprobata in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones atque in recta de eventibus et hominibus iudicandi ratione » [34].

b) Ipsi Superiores, una cum Patribus Spiritualibus ad munus optime paratis, provideant ut Nostri decursu formationis apte, positive et prudenter de re sexuali instruantur, ita ut non solum sensum et praecellentiam virginitatis Deo consecratae sed etiam officia et dignitatem matrimonii christiani debite cognoscant atque aestiment [35]. Muniant eos praeterea viriliter, ut varias crises maturescentis vitae alacri animo superare valeant.

c) Item Superiores eademque cura Patres Spirituales sollicitudinem maximam exhibeant de vita spirituali singulorum, utpote de omnibus coram Domino rationem reddituri. Quare problemata psychologica, defatigationes, difficultates, haesitationes, debilitates et tentationes quas Nostri vel in colloquio vel in consuetudine cuiusvis generis maiore minoreve claritate pandunt, intueri et quasi praesentire conentur, ea iuste perspiciendo et aestimando, immo et sese promptos ostendendo ad aptitudinem ad vocationem nostram iterum examinandam, prius quam ulteriores gressus permittant.

d) Debita utentes firmitate, et misericordiam, quae crudelis potius dicenda esset, removentes, curent Superiores ut inepti vel dubie idonei ad vota vel ad ordines ne promoveantur. Sic, v. gr. qui in communitate ab aliis segregatus ita vitam degat ut dubium po-

---

30 Cf. *Const.*, P. I c. 3 nn. 1, 9 [163, 179].

31 Cf. C. I. C., can. 571 § 2; can. 575 § 1; can. 973 § 3; Conc. Vat. II, *Optatam totius*, n. 6; S. Congregatio de Religiosis, *Instructio de candidatis ... sedulo deligendis et instruendis*, 2 febr. 1961, nn. 29-31; C. G. XXVIII d. 24; W. Ledóchowski, Epist. de dimissione Scholasticorum, 29 febr. 1940: Act. Rom. XII (1951) 127-128; I. B. Janssens, Epist. de valore votorum post noviciatum, 21 sept. 1959: Act. Rom. XIII (1959) 623-625; Id., Instr. de perseverantia in vocatione, 7 maii 1964: Act. Rom. XIV (1964) 445-451.

32 Conc. Vat. II, *Optatam totius*, n. 6.

33 Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 12.

34 Conc. Vat. II, *Optatam totius*, n. 11.

35 Cf. Ibid., n. 10.

sitivum de eius aptitudine ad communionem facilem cum Nostris vel ad consortium apostolicum cum proximis generet, ad aliam viam divini servitii dirigatur.

Nostris vero temporibus qui de valore et de merito voti castitatis et caelibatus firmo dubio inhaereant, ad vitam religiosam et ad sacerdotium apti censendi non sunt.

e) Sollicita attentione ac magna fiducia sua praesto sint Superiores neosacerdotibus et Fratribus qui in vinea Domini laborare incipiunt vel qui arduis studiis specialibus diutius incumbunt, ut eis conscientiam communicent se veram partem efformare suae communitatis.

Quos autem Superiores vident aut sentiunt communitatem effugere, eos amanter alliciant. Omnes vero parati sint ad collaborandum cum Superioribus, eorum sollicitudini difficultates et tentationes confratrum discrete sed tempestive manifestando [36].

Conclusio

10. Denique praeeuntibus Superioribus, quorum est praesentiam disponibilem exhibere, fratres cohortari, sollicitam curam praebere, sodalibus quoque cum illis cooperantibus, omnium valido conatu, regnabit in communitate illa fraterna caritas quae efficiet, simul cum participatione eiusdem Eucharistiae, ut unum corpus simus. Ipsa insuper caritas cor nostrum ab omni affectu invidiae, hostilitatis et amaritudinis purificat nosque ita disponit ut alter alterius onera portantes, invicem reverentes, omnes et singulos communitatis generoso amore prosequamur simulque cum omnibus beneficum et fecundum dialogum instituamus.

17. - De vita oboedientiae

In Ms. act. 73-78, 110, 113, 120, 123.

I. *Introductio*

1. Congregatio Generalis, sollicite observans ad mentem Ecclesiae signa temporum [1], conscia mutationis socialis nostri temporis ex qua orta sunt nova conscientia fraternitatis hominum, acutior sensus libertatis et personalis responsabilitatis, ac simul exaggeratus sensus criticus et visio mundi magis naturalistica, necessarium esse duxit exprimere quid sentiat de oboedientia, quae est signum distinctivum Societatis Iesu eiusque principium vitalitatis. Hanc rerum mutatam

---

[36] Cf. *Exam.*, c. 4 n. 8 [63].

[1] Cf. CONC. VAT. II, *Gaudium et spes*, nn. 4, 11.

condicionem considerat, non « spiritu timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis » [2], tamquam opportunam occasionem ac exigentiam renovationis Societatis in spiritu et praxi oboedientiae. Persuasum habet insuper non solis mediis naturalibus (philosophicis, psychologicis, sociologicis), sed ultimatim sub solius fidei lumine, « illuminatis oculis cordis » [3] patere aditum ad gratiam vocationis nostrae.

II. *Oboedientia in Societate essentialiter apostolica*

2. Amore Christi impulsi oboedientiam amplectimur ut charisma a Deo per Fundatorem Societati traditum, quo constantius et securius [4] divinae voluntati salvificae uniamur, simulque inter nos in Christo unum efficiamur. Societas enim Iesu est coetus hominum qui intimam unionem cum Christo et participationem quaerunt in Eius missione salvifica, quam Ille per oboedientiam usque ad mortem adimplevit. Ad talem missionem participandam invitavit nos Christus, cum Ignatio apud *La Storta* crucifer dixit: « Ego volo ut nobis servias ». Per oboedientiam, voto firmatam, sequimur « Iesum Christum crucem suam adhuc in Ecclesia militanti baiulantem, cui Pater Aeternus dedit nos servos et amicos ut Eum cum nostra cruce sequamur » [5] et Eius in gloria socii efficiamur. Servitium praestamus Christo prout vivit et operatur in Ecclesia: neque Societas nostra insigniri posset nomine Iesu nisi plene mancipata esset servitio Ecclesiae, quae est societas Filii Dei Iesu Christi Domini nostri [6]. Iamvero, per votum oboedientiae Societas nostra evadit aptius instrumentum Christi in Ecclesia in auxilium animarum ad maiorem Dei gloriam. Unde nec nostra vita religiosa nec activitas apostolica subsistere aut renovari queunt nisi oboedientiam sinceram firmiter teneamus.

III. *Superior locum Christi tenens*

3. Primis Patribus Societatis firmiter persuasum erat « se nullum caput habere praeter Iesum Christum, cui soli servire optabant » [7]; quod etiam in Formula Instituti sollemniter sanciverunt, affirmantes se velle « soli Domino servire » [8]. Attamen iam in ipsa Formula si-

---

[2] 2 Tim 1,7.
[3] Eph 1,18.
[4] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.
[5] H. Nadal, *De la oración especialmente para los de la Compañía*: MHSI Nadal IV 678; cf. V 296.
[6] Cf. 1 Cor 1,9.
[7] I. A. de Polanco, *Sumario de las cosas más notables ...*: MHSI Mon. Ign. Font. Narr., I 204.
[8] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1.

gnate dicunt: « soli Domino ac Ecclesiae Ipsius Sponsae sub Romano Pontifice servire »; intellegentes se, dum capiti visibili Ecclesiae oboedirent, Christo ipsi oboedientiam praestare. Postea, in deliberatione primorum Patrum, omnes unanimiter statuerunt non tantum Vicario Christi, sed etiam Superiori ex ipsis delecto oboediendum esse, ut « sincerius et maiore cum laude et merito possemus per omnia implere voluntatem Dei » [9]. Quod quidem iterum iterumque a sancto Ignatio declaratur, scilicet cuilibet Superiori oboediendum esse « loco Christi et ex amore Christi » [10]. Christus enim, ut caput et pastor Ecclesiae, vere praesens est in Superioribus legitimis. Sacramentum namque salutis et unitatis est Ecclesia [11], id est signum visibile invisibilis Eius praesentiae et potestatis. Quapropter Ipse praesens est in illo qui tamquam Vicarius Christi « universae Ecclesiae praeest » [12] et cuius ministerio « credentium multitudo universa in ... unitate conservatur » [13]. Praesens est etiam suo modo in Superioribus religiosis, qui sub Romano Pontifice sodalium communitatem legitime regunt, et quorum ministerio « communitas ut vera familia, in nomine Domini » congregatur [14]. De ipsis ergo etiam valet promissio Domini « qui vos audit, me audit » [15], ita ut in ipsorum mandatis Christi iubentis vocem in fide audire valeamus. Recte ergo dicimur nos, cum Superioribus in Ecclesia oboedimus, soli Domino servire [16].

IV. *Auctoritas exercenda in spiritu servitii et discretae caritatis.*

4. Exemplo Christi, cuius locum tenet, Superior auctoritatem suam in spiritu servitii exerceat, non volens ministrari sed ministrare [17]; sit omnium servus, super familiam conservorum constitutus, ut regendo inserviat. Emineat in eius gubernatione benignitas, mansuetudo, caritas Christi [18], qui Patris imaginem et auctoritatem referens, omnium nostrum frater et socius factus, nobiscum conversatur et operatur. Salva igitur illa interna ac sincera reverentia, ea simplicitas in colloquendi modo adhibeatur, ut aspectabilis fiat amicalis coniunctio Christi cum apostolis. Nihilominus Praepositi discant rectitudinem ac severitatem necessariam cum benignitate et

[9] *Deliberatio primorum Patrum* (a. 1539): MHSI Mon. Ign. Const., I 4.
[10] Cf. *Exam.*, c. 4 nn. 29, 30 [83, 85]; *Const.*, P. III c. 1 n. 24 [286]; P. IV c. 10 n. 5 [424]; P. VI c. 1 nn. 1, 2 [547, 551].
[11] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, nn. 1, 48.
[12] Conc. Vat. I, *Pastor aeternus*, cap. 3 (Denz.-Schönm., n. 3063).
[13] Ibid., Prolog. (Denz.-Schönm., n. 3051).
[14] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.
[15] Lc 10, 16.
[16] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1.
[17] Cf. Mt 20, 28.
[18] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 6.

mansuetudine miscere [19], potius servire cupientes suis sodalibus quam placere. Gubernatio ergo in Societate sit semper spiritualis, conscia coram Deo propriae responsabilitatis necnon obligationis subditos regendi tamquam filios Dei et cum respectu humanae personae [20], fortis ubi necesse sit, sincera et aperta. Directionem Nostrorum, tum communitatum tum singulorum, Superiores omnibus aliis negotiis praeferant. Superiores tales eligantur qui, in quantum fieri possit, vera auctoritate personali ornati sint, ita ut voluntariam subditorum oboedientiam promovere possint, et subditi libenter ab ipsis dirigi acceptent.

5. Maxime autem in exercitio auctoritatis exoptatur donum discretionis seu discretae caritatis [21]. Ad hanc virtutem acquirendam, pro bono regimine adeo necessariam, Superior liber sit imprimis oportet ab inordinatis affectionibus [22] et cum Deo quam maxime coniunctus ac familiaris [23], ut sit docilis voluntati Christi, quam cum subditis quaerere eisque auctoritative manifestam facere debebit. Praeterea tenetur modum procedendi iuxta nostrum Institutum omnino cognitum habere. Sic finem Societatis nostrae intuendo, qui alius non est quam maius Dei obsequium et eorum bonum qui hoc vivendi institutum sequuntur [24], iubeat ea quae ad constructionem finis propositi a Deo et a Societate cognoverit esse opportuna [25], habita ratione personarum, locorum, temporum et aliarum circumstantiarum [26].

6. Quo vero facilius inveniat voluntatem Dei, habeat Superior apud se viros qui consilio polleant, eosque saepe consulat. Peritorum etiam auxilio utatur ad res complexas decidendas. Ex quo facile sequetur ut sodales sibi persuadeant suum Superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare [27]. Praeterea, cum omnes qui in divino servitio coniuncti laborant, sub influxu gratiae Spiritus Sancti versentur, conveniens erit eorum cogitationibus atque consiliis in Domino uti, ad melius intellegendam voluntatem divinam. Facilius et crebrius recurrant Praepositi Societatis ad consilium fratrum suorum inquirendum et audiendum, paucorum, plu-

---

[19] Cf. *Const.*, P. IX c. 2 n. 4 [727].
[20] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.
[21] Cf. *Const.*, P. I c. 2 n. 13 [161]; P II c. 3, A [219]; P. III c. 1 n. 15 [269]; P. IV c. 10 n. 4 [423]; P. VII c. 2, F [624]; P. IX c. 2 n. 6 [729].
[22] Cf. *Const.*, P. II c. 3 n. 4 [222]; P. IX c. 2 n. 3 [726].
[23] Cf. *Const.*, P. IX c. 2 n. 1 [723].
[24] Cf. *Const.*, P. IX c. 3 n. 8 [746].
[25] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 2.
[26] Cf. *Const.*, P. IX c. 3 n. 8 [746].
[27] Cf. *Const.*, P. VIII c. 1, G [667].

rium [28] vel etiam omnium simul coadunatorum iuxta rei momentum et characterem. Consilia etiam a sociis sponte oblata Superiores grato animo suscipiant, unico desiderio maioris boni spiritualis et melioris servitii Dei, integra tamen manente in Praeposito obligatione per seipsum decernendi et praecipiendi quae agenda sunt [29].

7. Hoc etiam iuvat ad bonum Societatis, quod Superior plura in suis ordinationibus remittat prudentiae sodalium, large utendo subsidiarietatis principio. Pro mensura qua socii spiritum Societatis suum fecerint ac praesertim in humilitate et sui ipsius abnegatione probati fuerint, singulis congrua libertas concedatur in Domino. Ipsum tandem bonum universale postulabit ut aliquando ratio etiam humanae fragilitatis habeatur, quoad modum urgendi quae ordinata sunt.

8. Haec gubernatio vere spiritualis, qua sodales a Superioribus discreta caritate potius quam externis legibus diriguntur, supponit inter utrumque communicationem, quantum fieri potest, planam et apertam. Superior curet ut propria mens sodalibus innotescat et ab eis intellegatur, iique plenius participent pro rerum natura et momento, pro singulorum viribus et officiis, in notitia et sollicitudine tum de Nostrorum vita personali et communitaria, tum de operibus apostolicis. Religiosus autem curet se notum facere cum dotibus, limitibus, desideriis, difficultatibus et cogitationibus ex confidentiali, familiari atque aperto colloquio habituali, cuius secretum Superior teneat tenacissime. Hoc modo habebitur sincera ac plena forma rationis conscientiae, quae reducenda non est ad formalem certoque tempore recurrentem actorum indagationem [30]. Illa vero familiaris ac confidentialis sermocinatio aperte spiritualis, intenta ad apostolicum vocationis finem et ad religiosam ipsius apostoli sanctificationem, constituet fundamentum dialogale necessarium ad bonum Societatis progressum. Mens est ergo Congregationis ut ratio conscientiae, secundum genuinum suum sensum, in omnium usu maneat et roboretur. Ex caritate tamen, ut voluit sanctus Pater Ignatius, peragatur oportet, seclusa semper obligatione sub peccato.

V. *Oboedientia praestanda cum omnimoda disponibilitate modo personali ac responsabili.*

9. Sodales Societatis ad mentem Constitutionum Superioribus suis obsequium ac reverentiam interiorem exhibeant, eosque ex ani-

---

[28] Cf. *Const.*, P. II c. 3 n. 3 [221]; P. IX c. 6 n. 14 [810]; S. P. Ignatius, *Determinationes antiguas*, n. 45: MHSI Mon. Ign. Const., I 218-219.
[29] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.
[30] Cf. *Const.*, P. VI c. 1 n. 2 [551].

mo in Domino diligant [31]. Plenam ac omnino liberam sui dispositionem eis relinquant, desiderantes duci non proprio arbitrio et voluntate [32], sed illa significatione divinae voluntatis quae nobis per oboedientiam offertur. Nostri memores se esse partem Societatis, quae tota Christo et Eius Ecclesiae dedita est, imprimis labores et servitium totius Ecclesiae et Societatis sub ductu Spiritus Sancti pro sua parte intendant.

Oboedientia praestanda est ab omnibus prompte, alacri animo [33] et in spiritu supernaturali, ut Christo. In hoc spiritu mandatum et intentionem Superioris omnes sua faciant modo personali et responsabili, atque « vires intellegentiae et voluntatis, necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum exsecutione et in expletione munerum sibi commissorum » cum omni diligentia conferant, « scientes se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare » [34]. Non qualiscumque ergo oboedientia a nobis exspectatur, sed plena, generosa, etiam intellectus, in quantum hoc possibile est, et quidem in spiritu fidei, humilitatis et modestiae.

10. Ad hanc virtutem oboedientiae, in qua sanctus Pater noster Ignatius omnes nos excellere voluit [35], imprimis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam, omnes nervos virium nostrarum intendamus, « nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris sine ullo expresso praecepto videatur » [36]. Perfecta oboedientia a nobis praestanda est in omnibus rebus, in quibus nullum manifestum peccatum cernitur [37]. Nec licet ab illa recedere eo quod subditus meliora facienda intellegat, vel eo quod Spiritus inspiratione se alio duci existimet.

Hodie frequentius contingit, ut aliquis sodalis sincere existimet se prohiberi dictamine conscientiae quominus voluntati Superioris obtemperet. Censet enim in casu se teneri obligatione morali contraria. Verum quidem est nemini licere agere contra dictamen suae conscientiae certum, tamen et ipsa conscientia exigit ut in ea formanda attendatur ad omnes rationes quae in iudicio de decisionis moralitate considerari debent, ut est bonum universale Ecclesiae et Societatis, quod in tali negotio involvi potest, necnon iura aliorum

---

[31] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 23 [284]; P. VI c. 1 n. 2 [551]; Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.

[32] Cf. *Const.*, P. VII c. 2 n. 1, A [618-619].

[33] Cf. *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547]; S. P. Ignatius, Epistola de oboedientia, n. 12.

[34] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.

[35] Cf. *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547]; S. P. Ignatius, Epistola de oboedientia, nn. 2, 3.

[36] *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547].

[37] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 23 [284]; P. VI c. 1, B [549].

et obligationes ac valores speciales vitae religiosae libere assumptae. Tantum consideratio totius realitatis conscientiam bene formatam reddere valet. Re ergo coram Domino sincere perpensa, sodalis Societatis rationes suas Superiori immediato vel mediato exhibeat, et Superioris est eas aperto animo perpendere ac re considerata mandatum urgere vel revocare [38]. Quodsi subditus non possit hac via adduci ut bona conscientia acceptet sententiam Superioris, petat ut res proponatur iudicio quarundam personarum etiam extra Societatem, quae communi consensu eligantur [39]. Si vero etiam post talem decisionem nulla solutio appareat quam sodalis sine peccato sequi se posse existimet, Superior videat, consultis etiam Superioribus maioribus si casus ferat, quid, ratione habita boni totius Societatis et boni etiam conscientiae ipsius sodalis, fieri expediat. Qui vero iteratis vicibus in bona conscientia oboedire nequeat, cogitet de alia via in qua Deo tranquillius servire possit.

11. Oboedientia est medium ordinarium, quo membris Societatis voluntas divina manifestatur, sed non aufert, immo ex sua natura et perfectione supponit in subdito obligationem responsabilitatis personalis atque animum meliora semper quaerendi. Ideo subditus proprias rationes et initiativas Superiori exponere poterit et aliquando debebit [40]. Talis modus agendi non opponitur perfectae oboedientiae, sed ab ea rationabiliter exigitur, ut communi conspiratione, et a Superiore et a subdito, voluntas divina facilius ac securius inveniatur. Nec oboedientia iudicii dicit intellectum nostrum destitutum esse proprio munere, et contra rationem assentire debere voluntati Superioris, verae evidentiae renuntiando. Socius enim, ope ipsius intellegentiae confirmatae unctione Spiritus Sancti, voluntatem ac iudicium Praepositorum sua facit et eorum mandata ut Dei voluntati magis conformia intellectu perspicere conatur [41], attentionem suam a morosa consideratione rationum oppositarum avertit, eamque ad rationes positivas rei intrinsecas vel ad motiva hunc ordinem transcendentia, scilicet fidei et caritatis, unice convertit. Agitur enim de rebus practicis, in quibus vix non semper manet dubitatio circa id quod est magis conveniens ac Deo magis gratum, nec exspectanda est theoretica certitudo vel summa probabilitas de obiectiva praestantia cuiusdam solutionis, ut Superior possit eam auctori-

[38] Cf. *Const.*, P. V c. 4, F [543]; P. VII c. 2, I [627]; S. P. IGNATIUS, Epistola de oboedientia, n. 19.

[39] Cf. *Exam.*, c. 3, n. 12, D [48-49]; S. P. IGNATIUS, Documenta circa oboedientiam, n. 6: MHSI Mon. Ign. Epp., XII 680.

[40] Cf. CONC. VAT. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 15; *Exam.*, c. 4 n. 35 [92]; c. 8, A [131]; *Const.*, P. III c. 2 n. 1 [292]; P. V c. 4, F [543]; P. VII c. 2, I [627].

[41] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 23 [284]; P. VI c. 1, C [550]; P. VII c. 2, A [619].

tative imponere; nec semper et ubique declarandae sunt subdito rationes agendi, ut finibus et operibus sibi assignatis toto corde se dedat, cum ultima ratio oboedientiae religiosae sit auctoritas Superioris. Fidere debet Christo, qui Ecclesiam et Societatem ad sua proposita per oboedientiam perducere vult.

12. Sic intellecta oboedientia non obstat dignitati personae humanae oboedientis, neque eius maturitati et libertati [42], sed potius talem libertatem roborat [43], et summopere prodest ad profectum personae humanae per cordis purificationem et assimilationem ad Christum Eiusque Matrem [44]. Filii enim Societatis fundamentum oboedientiae lumine fidei in exemplo Christi reponunt; sicut Dei Filius « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo »; sicuti « humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » [45], ita et sodales Societatis ex amore Christi et ad salutem animarum cum Eo et sub Eo procurandam « plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt » [46]. Sic mancipantur Deo summe dilecto, ac novo et peculiari titulo referuntur et consecrantur ad Dei servitium Eiusque honorem, testimonium perhibentes novae libertatis, qua Christus nos liberavit [47].

VI. *Oboedientia ut vinculum unionis.*

13. Societas « nec conservari nec regi, atque adeo nec finem ad quem tendit ad maiorem Dei gloriam consequi potest, si inter se et cum capite suo membra eius unita non fuerint » [48]. Id imprimis praestabit « oboedientiae vinculum, quod particulares cum suis Praepositis, et hos ipsos inter se et cum Provincialibus et utrosque cum Generali uniet » [49]. In caritate autem et unio et oboedientia fundatur; nam « si Superior et inferiores valde uniti fuerint » cum divina Bonitate, « perfacile inter seipsos unientur » [50].

Eadem impulsi caritate, omnes « reverentiam et oboedientiam secundum canonicas leges praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam

---

42 Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.
43 Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 43.
44 Cf. Ibid., n. 46.
45 Phil 2, 7-8.
46 Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.
47 Cf. Gal 4, 31.
48 *Const.*, P. VIII c. 1 n. 1 [655].
49 *Const.*, P. X n. 9 [821].
50 *Const.*, P. VIII c. 1 n. 8 [671].

in labore apostolico unitatem et concordiam »[51]. Sic Nostri, ut veri filii Ecclesiae probati, conferunt in aedificationem Corporis Christi[52].

18. - De paupertate

In Ms. act. 17, 33-38, 43, 44, 46, 121.

I. *Introductio.*

1. Congregatio Generalis XXXI, attente considerata necessitate renovationis accommodatae Instituti circa paupertatem, statuit hoc opus prosequendum esse propria ipsius auctoritate, secundum normas infra definitas.

II. *Normae directivae de paupertate evangelica et religiosa in Societate Iesu.*

2. Cum Ecclesia Concilii Vaticani II, quae vult esse « Ecclesia omnium, sed modo speciali Ecclesia pauperum »[1], christifideles omnes ad validum paupertatis testimonium dandum vocet, et cum mundus, atheismo infectus et bonis caelestibus Regni Dei clausus, urgenter hoc egeat argumento, Societas Iesu, paupertatem et apostolatum pro Ecclesia simul professa, conabitur hoc paupertatis testimonium perfectius praebere.

Ad hoc etiam Societas Iesu, vi quasi nativa suae vocationis, impellitur. Est enim communitas discipulorum Christi pauperis, quae « vitam apostolicam » amplexa est ad homines ducendos per viam paupertatis spiritus ad Regnum Patris.

Ut huic renovationi nostrae paupertatis inserviamus, haec declaranda videntur:

3. Spiritus paupertatis valorem habet essentialem in nostra vita evangelica et religiosa. Est enim spiritus Christi, qui « propter vos egenus factus est cum esset dives ut Illius inopia vos divites essetis »[2]. Hoc spiritu imbuti, socii Iesu, vera consecratione, « exinanitionem Salvatoris pressius sequuntur et clarius demonstrant, paupertatem in filiorum Dei libertate suscipientes »[3]. Simul Regni Dei bona manifestant, dum terrenis abrenuntiant et caritatem in egenos exercent, scientes « Dominum nostrum Iesum Christum servis suis, Re-

---

[51] CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 45.
[52] Cf. Eph 4, 12.
[1] IOANNES XXIII, Alloc. *La grande aspettazione*, 11 sept. 1962: A. A. S., 54 (1962) 682.
[2] 2 Cor 8, 9.
[3] CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 42.

gnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum »[4].

4. Paupertas nostra in Societate est apostolica: « praedicare in paupertate »[5] misit nos Dominus. Commensuratur igitur fini apostolico, ita ut totus noster apostolatus spiritu paupertatis informetur.

5. Ad hoc ut haec paupertas plenius vigeat, Societas suam accommodatam renovationem in hac materia quaerit tum per reditum ad genuinam doctrinam evangelicam et ad primigeniam Societatis inspirationem, tum etiam per adaptationem iuris nostri ad mutatas temporum condiciones, ita ut normarum quidem littera, quantum necesse fuerit, immutetur, non autem spiritus qui integer perstare debebit[6].

6. Haec accommodata renovatio, praeter normas iuridicas, etiam formas nostrae paupertatis attingere debet, ut hae temporis nostri mentalitati, vitae et apostolatui vere respondeant et testimonium visibile Evangelii constituant. Hinc paupertas nostra hodierna iis praecipue notis insigniatur: sinceritate, qua revera pauperes in vita simus; laboris studio, quo mundo laboris assimilemur; et caritate, qua in servitium proximi nos et nostra liberaliter impendamus.

7. Sincera sit nostra professio paupertatis, ita ut huic professioni ratio vitae nostrae respondeat. Voluit sanctus Ignatius ut criterium pro paupertate vitae nostrae tum ex fine apostolico tum ex principiis evangelicis sumeremus, nam apostoli Evangelii sumus. Sed cum apostoli huius temporis simus, attendendae sunt circumstantiae maxime sociales temporum et locorum.

Si, vestigia maiorum prementes, normas pressius definitas dare vel repetere velimus, supposita discretione in normis applicandis, dicendum esset quod ratio nostrae paupertatis, quoad tenorem vitae, civibus modicae condicionis accommodanda est, ita ut noster victus, vestitus, habitatio et itinera sint ut pauperibus accommodata[7], et ubi maioribus aedibus, itineribus vel mediis laboris uti debeamus, haec vere sint, idque quantum possibile sit clare appareat, necessaria et exclusiva apostolatus instrumenta, quae nos, in nostra paupertate manentes, adhibeamus[8].

Societas vere intendit exigentiis huius realis non fictae paupertatis respondere.

---

[4] Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 7.
[5] S. P. Ignatius, Ad I. Cazador, 12 febr. 1536: MHSI Mon. Ign. Epp., I 96.
[6] Paulus VI, Alloc. *Magno gaudio*, 23 maii 1964: Act. Rom. XIV (1964) 410.
[7] Cf. *Exam.*, c. 4 n. 26 [81]; C. G. XXX d. 46, 4°.
[8] Cf. C. G. XXX d. 46, 2° et 4°

8. Paupertas nostra hodie aptissime manifestatur et elucet in exercitio et spiritu laboris, propter Regnum Dei et non propter mercedem assumpti. Sit haec paupertas assidue operosa, qua assimilamur hominibus qui panem suum cotidianum promerentur; sit aequa et iusta, ad suum unicuique dandum imprimis ordinata; sit tandem liberalis, ut ex labore nostro domos nostras pauperiores, opera nostra et egenos iuvemus.

9. Paupertas ergo nostra signum evadat nostrae caritatis, quatenus nostra inopia alios ditemus. Nihil sit proprium, ut omnia sint in Christo communia. Communitates ipsae, abnegantes propriis, vinculo solidarietatis inter se uniantur. Partes tandem ipsae Societatis libenter pauperiores fiant, ut toti corpori Societatis inserviant. Nec inter Nostros solos limitetur circulatio caritatis, cum tota humanitas Corpori mystico Christi aptetur. Perficiat semper caritas obligationes iustitiae quibus pauperioribus et bono communi specialiter obstringimur.

10. Meminerint tamen omnes nullam formam communitariam paupertatis nullumque exterius eius testimonium esse genuinum nec christianum nisi inspiretur sensu cordis maxime personali, paupertate scilicet spirituali, hausta ex intima et continua unione cum Verbo Dei incarnato. Hinc etiam eo amplior responsabilitati personali locus detur quo quisque perfectius vocationem suam ad paupertatem vivat, eamque etiam, salvo bono communi, sub ductu Superiorum discreta caritate exprimat, parcius vivendo.

11. Societas tandem coram mundo, in quo magna pars humanitatis vulnerata et exspoliata iacet, amore boni Samaritani permota, et vocationis suae universalis conscia, examini subiciet rationem sui apostolatus, quo pleniori modo possit sese convertere ad derelictos, « evangelizare pauperibus, sanare contritos corde »[9].

III. *Normae directivae de vita communi in Societate Iesu.*

12. Congregatio Generalis, sollicita de obligatione vitae religiosae deque testimonio evangelico per hanc vitam in omni nostra actione apostolica perhibendo, intendit ita definire, in materia paupertatis, « vitam communem » Societatis propriam, ut communitates nostrae ac socii singuli rectius dirigantur in viam paupertatis tum personalis tum communitariae aut collectivae, realiter semperque perfectius exercendae.

---

[9] Lc 4, 18; cf. *Exerc.*, n. 167.

13. Paupertas communitaria nostra amplectitur simul et illam « vitam communem » quae, ut elementum essentiale cuilibet familiae religiosae, a sancto Ignatio ex traditione saeculari assumpta est atque iure vigente sancita, et vivendi rationem quae, in sequela Christi cum apostolis evangelizantis, insignitur nota quadam propria vocationis, secundum quam Societas, inter homines operando, mundi redemptioni incumbit. Porro maxime refert ut apostolus, Christum pauperem semper sequens, rationi vivendi eorum quos adiuvat quodammodo sese accommodet, omnibus omnia factus [10]. Quapropter omnis noster rerum terrestrium usus talis sit oportet, ut non solum inter Societatis membra unitas cordium et animarum per ipsam bonorum materialium communitatem exprimatur et roboretur, sed etiam per tenorem vitae nostrae significetur mundo voluntas nostra, tam communis quam personalis, testimonium paupertatis evangelicae reddendi, omnibusque praesertim pauperibus humiliter ac fraterne inserviendi, ut omnes Christo lucrifaciamus, modo paupere et in exterioribus communi vivendo.

IV. *De materia voti non relaxandi paupertatem.*

14. Congregatio Generalis authentice declarat materiam voti de non relaxanda paupertate taxative definitam esse in hoc asserto: « Innovari quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad reditus vel possessionem ullam in proprium usum, vel ad sacristiam vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem, praeter id quod ad Collegia et ad Domos probationum attinet, admittendum » [11]. Ideo vi voti, sollemniter Professi obligantur tantum ad non concedendos reditus stabiles Domibus Professis Residentiisque independentibus, non obstantibus aliis generalioribus locutionibus quae in eadem Declaratione leguntur.

V. *De fructu laboris.*

15. Declarat Congregatio Generalis, praeter eleemosynas et reditus, prout in Constitutionibus admittuntur, fructum etiam seu remunerationem laboris, iuxta Institutum facti, fontem legitimum esse bonorum materialium, quae ad Nostrorum vitam et apostolatum necessaria sunt. Selectio tamen horum laborum, iuxta debitae oboedientiae normas nostrorumque ministeriorum rationem est efficienda, remota qualibet lucri aut temporalis commodi cupiditate.

---

[10] Cf. 1 Cor 9, 22.
[11] *Const.*, P. VI c. 2, A [554].

VI. *De gratuitate ministeriorum.*

16. Congregatio Generalis hac ratione interpretatur ministeriorum gratuitatem in Societate:

a) Natura gratuitatis explicanda est in primis ex eius fine, qui est simul libertas interna (seu puritas ab inquisitione commodi proprii et temporalis), libertas externa (seu independentia a vinculis indebitae obligationis) atque proximi aedificatio, quae oritur ex hac libertate et ex amore Christi et hominum.

b) Gratuitati per se non repugnat Missarum stipendia seu eleemosynas secundum ius Ecclesiae vigens accipere. Ratio tamen in praxi habeatur aedificationis atque caritatis erga pauperes tum intra tum extra Societatem, iuxta normas a Praeposito Generali statuendas.

c) Salvis normis specialibus in casu paroeciarum, salva quoque legitima compensatione pro viatico aliisque expensis, etiam sustentationis, Nostri pro suo labore in ministeriis spiritualibus, speciatim in iis quae initio Formulae Instituti Iulii III memorantur, nulla stipendia exigere sed tantum ea accipere possunt quae eis offerantur. Praepositi Generalis est normas de hac re in praxi definire.

d) Congregatio Generalis declarat legitime percipi posse iura auctorum, emolumenta seu honoraria, subventiones similesque proventus qui habentur ut fructus ingenii et industriae Nostrorum; in seligendis tamen ministeriis seu laboribus, Nostri ne determinentur intentione lucri.

e) Minervalia scholaria ministeriorum gratuitati per se non adversantur. Nihilominus, ex ipsa intentione apostolica Societatis in ministerio docendae instituendaeque iuventutis et secundum sancti Patris Ignatii mentem, enixe procurandum est, quantum per rerum temporumque adiuncta licebit, ut per media varia ad praxim docendi sine minervalium auxilio redeatur [12].

VII. *De fundationibus in iure Societatis.*

17. Congregatio Generalis retractat in Collectione Decretorum d. 188 § 1 in hunc modum: « Reditus quos secundum Constitutiones ' Domui ' admittere licet, si a fundatoribus offerantur, ' dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat nec sit unde competat actio in illos ', intellegendi sunt posse accipi sive a Domorum vel ecclesiarum fundatoribus, sive ab alio quocumque benefactore atque non solum ad fabricae usum sed ad alios etiam similes fines, ut ad sacristiam vel bibliothecae usum atque etiam ad sustentationem » [13].

---

[12] Cf. *Coll.*, d. 193 §§ 3, 4.
[13] Cf. C. G. XXIV d. 16.

18. Congregatio Generalis censet expedire ut impetretur a Sancta Sede in favorem Societatis facultas qua Praepositus Generalis possit erigere, definire, administrare, supprimere et assignare fundationes non collegiales, non obstante iure communi circa ius et officium Ordinariorum loci quoad talium fundationum erectionem ac visitationem.

19. Congregatio Generalis mandat Praeposito Generali ut, hac facultate obtenta, per Ordinationem statuat normas de fundationibus constituendis ad bonum aliquot domorum vel operum et ad certiorem definitionem naturae et finis aliquot arcarum quae ad Societatis vitam oeconomicam necessariae sint.

VIII. *De modo procedendi.*

20. Congregatio Generalis decernit constituendam esse, ad normam Constitutionum, P. VIII, c. 7, n. 3 [715], et Formulae Congregationis Generalis (nn. 125-127), additis praescriptis quibusdam quae opportuna videantur etsi contraria variis praedictae Formulae Congregationis statutis, Commissionem quae constet Praeposito Generali cum officio Commissioni praesidendi et quattuor Definitoribus, sub his condicionibus:

a) eligentur quattuor Definitores a Congregatione Generali ad plura medietate suffragia secreta, singuli singulis scrutiniis, aut si quae nomina a Praeposito Generali proposita fuerint, per scrutinium (vel scrutinia) plurinominale; praeterea Praeposito Generali facultas erit, auditis Assistentibus Generalibus et iusta de causa, acceptandi vel etiam petendi dimissionem cuiusdam Definitoris et huic alium sufficiendi;

b) decident Definitores cum Praeposito Generali negotia cum ea tantum potestate quam Congregatio eis commiserit;

c) eorum munus erit parare per gressus schema renovationis accommodatae et recognitionis totius iuris nostri circa paupertatem;

d) schema a Commissione Definitorum definitive elaboratum promulgetur a Praeposito Generali ad praxim et experimentum pro Societate universa usque ad Congregationem Generalem proxime sequentem.

IX. *De adeunda Sancta Sede.*

21. Congregatio Generalis statuit ut Summo Pontifici subiciantur numeri IV, V et VI huius decreti, confirmationis vel saltem informationis causa [14].

[14] Vide infra, p. 202, doc. 3: H. J. CICOGNANI, Ad P. Generalem, 6 iun. 1966.

19. - De vita communitaria et de disciplina religiosa

In Ms. act. 77, 80, 81, 112-114, 122, 123.

I. - De vita communitaria

A) *Indoles vitae communitariae in Societate Iesu.*

1. Sensus communitatis gradatim evolvitur in cunabulis Societatis. Primi socii, « amici in Domino » [1], postquam se suamque vitam Christo Domino obtulerant, et Eius in terris Vicario se tradiderant, ut eos mitteret eo ubi magis fructificare possent [2], decreverunt se in unum corpus consociare, ut suam unionem et congregationem a Deo initam in dies confirmarent, « reducendo nos ad unum corpus, et alii aliorum curam habentes et intellegentiam ad maiorem fructum animarum » [3]. Simili modo statuerunt postea Superiori cuidam oboedientiam praestare, « ut melius et exactius prima ... desideria implendi per omnia divinam voluntatem » [4] explerent, maioremque cohaesionem internam, stabilitatem et apostolicam efficaciam assequerentur.

2. Communitas igitur in Societate Iesu, originem sumens a voluntate Patris nos in unum congregantis, constituitur activa et personali omnium membrorum conspiratione in divinam voluntatem implendam, Spiritu Sancto movente nosque nominatim per responsabilem oboedientiam ducente, in ordine ad vitam multipliciter apostolicam. Communitas est hominum qui vocati sunt a Christo ut cum Christo vivant, Christo conformes fiant, opus Christi in se ipsis et apud homines peragant. Hinc fundamentum et finem sumit vita communitaria in Societate Iesu.

3. Animorum communio membrorum inter se et cum suo capite, quae ad personalem sanctificationem confert et simul ad apostolicam actionem, ex amore eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi promanat [5], eodemque amore conservatur et regitur; et, dum mutua cognitione roboratur, communitati viam pandit ad certitudinem de divina voluntate acquirendam. Hic enim dialogus Superiores inter et sodales, sive singularis sive communitarius, totum suum haurit

---

[1] S. P. Ignatius, Ad I. de Verdolay, 24 iul. 1537: MHSI Mon. Ign. Epp. I 119.

[2] B. P. Faber, Ad D. de Gouvea, 23 nov. 1538: MHSI Mon. Ign. Epp., I 132; *Const.*, P. VII c. 1, B [605].

[3] *Deliberatio primorum Patrum* (a. 1539): MHSI Mon. Ign. Const., I 3.

[4] Ibid., p. 7.

[5] Cf. *Const.*, P. VIII c. 1 n. 8 [671].

supernaturalem sensum ut medium divinae voluntatis inquirendae, caritatis fraternae exercendae, perficiendae actionis apostolicae.

B) *Momentum vitae communitariae pro vita religiosa.*

4. Vita communitaria florente, tota vita religiosa firmatur. Oboedientia imprimis, in quantum aptissima expressio conspirationum in fines communes, perfectior evadet quo arctioribus vinculis fiduciae et servitii Superiores et subditi vinciantur. Castitas dein tutius servatur « cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget » [6]. Paupertatem denique, qua, egeni facti, nostra et nosmetipsos omnibus tradidimus, Dominum sequentes [7], vita communitaria multis formis et occasionibus copiose alit et peculiari modo sustentat [8]. Firmata sic vita religiosa, firmantur etiam — ut intentio fuit primorum sociorum — unitas et disponibilitas, universalitas et plena personae dedicatio nec non evangelica libertas, ad animas omni modo iuvandas.

Sed insuper vita communitaria ipsa ut testimonium exstat multiplex pro coaevis nostris, maxime cum per eam amor fratrum fovetur et unitas, qua cognoscent omnes quia discipuli Christi sumus [9].

C) *Condiciones pro vita communitaria.*

5. a) Praecipuum vitae communitariae vinculum caritas est [10] qua Dominus et ii quibus Ipse eandem missionem salvificam commisit, uno nisu amantur. Per hanc caritatem, quae veram sui ipsius ad alios oblationem continet, vera fraternitas in Domino fundatur, quae in relationibus personalibus aestimationis mutuae, servitii, fiduciae, consilii, aedificationis, incitamenti omnis generis, humanam expressionem indesinenter invenit.

Concretiore modo ad vitam communitariam in Societate Iesu in dies magis necessaria sunt sequentia:

b) Informatio communitaria [11], qua Superiores et subditi de communibus operibus et propositis certiores fiunt, et mutuo inter se consilio adiuvant.

c) Consultatio, qua per frequentiores sociorum conventus a peritis illustratio exquiritur, atque participatio activa promovetur omnium membrorum in processu coordinationis et promotionis apostolatus, et in aliis quae ad bonum communitatis spectant.

---

6 Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 12.
7 Cf. Lc 18, 28.
8 Cf. *Const.*, P. VI c. 2 n. 11 [570].
9 Cf. Io 13, 35; Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.
10 Cf. *Const.*, P. VIII c. 1 n. 8 [671].
11 Cf. Ibid., n. 9 [673].

d) Delegatio, qua Superior libenter sociis maiores partes pro specialibus missionibus vel operibus communicat, et principio subsidiarietatis respondet. Crescente hac responsabilitate, qua onus commune a pluribus fertur, sensus communitarius augetur.

e) Collaboratio multiplex, quae, omnem speciem individualismi superans, in hodiernis adiunctis magis quam umquam pro Societatis apostolatu et intimiore convivendi ratione necessaria est.

f) Ordo vivendi certus, qui determinetur ratione habita condicionum vitae et laboris cuique communitati propriarum. Medium est enim hoc valde aptum ad efficacitatem laboris individualis et communitarii, ad facilius reddendum mutuum inter Nostros commercium, et ad obtinendas illas condiciones exteriores et interiores silentii, recollectionis necnon psychologicae pacis et quietis, quae ad personale studium, reflexionem et maxime orationem adeo inserviunt; insuper ipsius caritatis complementum et realistica expressio est, simul ac signum religiosae consecrationis et unionis in servitio Christi.

g) Sensus universalismi sociorum, qui domestica et personalia transcendens, ipsi vitae communitariae multimode favet. Singuli enim « ut membra unius ac eiusdem corporis Societatis » cooptantur [12]. Quo igitur sodales clarius se cum universali Societatis vita et apostolatu connexos agnoscunt, eo psychologice et spiritualiter ditior fit vita communitaria.

D) *Dispositiones magis concretae.*

6. a) Erga Societatem universam: Solidarietas et responsabilitas uniuscuiusque erga totam Societatem, de qua n. 5, g, manifestatur in cognitione historiae, sanctorum, operum, hominum, eorum maxime qui in difficultatibus pro Christo versantur; in ignatiana mobilitate et disponibilitate servanda ad quascumque Societatis regiones iuvandas; in ampla hospitalitate erga omnes Nostros exercenda [13].

b) Erga alias proximiores domos et Provincias: Maius commercium foveatur inter Patres et Fratres diversarum domorum et Provinciarum, quo et experientia et complementarietate mutuo adiuventur. Frequentiores instituantur conventus de apostolatu, de vita religiosa, de Concilii doctrina, deque novis theologiae quaestionibus, quibus et cognitio et unitas fundamentalis actionis promoventur. Communicent etiam domus aliae cum aliis in bonis temporalibus, « ita ut illae quae plus habent alias adiuvent quae egestatem patiuntur » [14].

---

[12] *Const.*, P. V c. 1 n. 1 [510.]
[13] Cf. *Coll.* d. 74.
[14] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13; vide supra, pag. 110, decr. 18, n. 9.

7. In domibus formatorum: a) Cum oratio communis, ea maxime quae in celebratione et cultu Eucharistiae peragitur, plurimum conferat ad communitatis vincula stringenda, omnes fideliter adimpleant quae in decreto de Oratione, n. 15, statuuntur.

b) Simul etiam labore apostolico communi astruatur oportet vita nostra communitaria. Ad hoc promoveatur quam intima cooperatio inter Nostros, tum omnibus vel pluribus eidem operi incumbentibus, tum mediantibus parvis coetibus, quibus Superior quas opportunas iudicaverit facultates, secundum exigentias apostolatus, communicare poterit (cf. n. 5, d). Cooperatio autem in labore incipit ac sustentatur per praeviam informationem communitariam, per mutuum adiutorium in studio et per varias consultationis formas (cf. n. 5, b-c), praeter eas quae in iure nostro praescribuntur.

c) Sinceritate et simplicitate evangelica nec non et urbanitate omnes (Patres, Fratres et Scholastici) inter se facile conveniant, sicut decet veram familiam in nomine Domini congregatam [15]. Quantum labor apostolicus vel aliae maioris Dei gloriae occupationes id permittunt, studiose omnes, ceteros « animo suo tamquam sibi superiores ducendo » [16], ad domesticos labores communes obeundos praesto sint [17].

d) Ratio vivendi, quod ad victum, vestitum et supellectilem attinet, sit omnibus communis, ita ut inter Nostros, re et spiritu pauperes, differentiae, quantum fieri possit, vitentur, quod non excludit ut unusquisque ea quae ad suum laborem requiruntur, de facultate Superioris, habere possit. In hoc labore strenue exsequendo, agnoscat etiam unusquisque suam responsabilitatem erga spiritualem aedificationem et sustentationem materialem aliorum membrorum communitatis.

e) Consuetudines quae potius usus monachorum sapiunt, in nostram vitam communitariam ne inducantur, neve quae saecularium propriae sunt. Multo minus ea quae spiritum mundanum redolent.

Talis autem sit Nostrorum cum aliis hominibus consuetudo, qualis ab homine Deo consecrato et animarum bonum prae omnibus quaerente iure exspectari debet, et quae verae communionis cum omnibus Nostris congruum respectum habet.

Domus nostrae etiam externis, maxime religiosis et iis qui nobiscum collaborant, sincera hospitalitate apertae sint.

f) Ratione quidem habita paupertatis apostolicae et testimo-

---

[15] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 25.

[16] *Const.*, P. III c. 1 n. 4 [250].

[17] Vide supra, pag. 59, decr. 7, nn. 5-6.

[18] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 15.

nii erga eos inter quos habitare tenemur, domus sint bene aptatae ad laborem apostolicum, studium, orationem, ad animorum relaxationem et amicalem inter sodales consuetudinem, ita ut Nostri domi laeto animo se sentiant.

Multum potest conferre simplicitati et intimitati vitae communitariae necnon paupertati separatio conveniens inter domum vel locum habitationis et domum vel situm laboris immo et studii.

g) Determinetur, praevia consultatione et respectu habito ad activitates apostolicas explendas et ad bonum commune membrorum, simplex aliquis ordo diei, qui a Superiore iustis de causis aptari poterit.

h) Normae circa vitam communitariam, quae serventur oportet uniformiter ab omnibus domibus alicuius regionis, in coetu Provincialium propositae, approbante P. Generali, unanimiter ab omnibus Provincialibus urgeantur.

8. In domibus formationis: a) Illa quae in praecedentibus proposita est ut vita communitaria Nostrorum in apostolatu versantium, respiciatur ut scopus ad quem iuvenes nostri, tam Scholastici quam Fratres praeparari debent. Condicio vero paedagogica annorum formationis, natura studiorum vel laborum in his domibus et numerus sociorum convenientes exigunt vitae communitariae adaptationes.

b) Communi participationi in quibusdam orandi formis amplior locus detur pro domibus formationis, maxime per activam et variam participationem in celebratione Eucharistiae communitaria et per cotidianam brevem orationem communem, quae recte significat et profundius reddit vinculum religiosum quo a Domino et in Domino uniti sumus cum nostra Societate, Ecclesia et mundo.

c) Sensus communitarius uniuscuiusque, ut praesuppositum necessarium vitae apostolicae Societatis, debet his annis serio probari et formari. Peculiari attentione « sociabilitas » candidatorum et formandorum examinetur, quae ut unum ex « signis vocationis ad Societatem » habenda est.

d) Aptioribus formis initientur Scholastici et Fratres Coadiutores in communitatem laboris, sive in studiis sive in aliis muneribus sive in apostolatu, servato debito aequilibrio cum labore individuali et quidem profundo, maxime in studiis, quod in dies difficilius apparet.

Simul oportet rationem habere de educatione ad « dialogum » inter se et cum Superioribus, nec non ad cooperationem et oboedientiam, secundum ea quae in aliis decretis huius Congregationis commendantur [19], quae omnia tendunt ad formandos homines, ca-

[19] Vide supra, p. 61 ss., decr. 8 et 9.

paces adeundi, sub lumine supernaturali et ampla consultatione, optiones quam optimas.

e) Communitas vitae fundata, iuxta n. 7, b-d, in evangelico spiritu servitii, laboris et authenticae paupertatis, perficietur per quandam gradualem participationem in muneribus et consultationibus a iuvenibus nostris assumendam, quae, dum monstrabit « quales re vera sint », eorum responsabilitatem et realisticum vocationis sensum educabit.

f) Ordo diei, de quo n. 5, f, et n. 7, g, in domibus formationis potissimum fideliter servetur, ut respectus habeatur: ad vitam interiorem, spiritualem, externis etiam adiumentis fovendam; ad caritatem, seu responsabilitatem erga eas condiciones silentii, recollectionis etc. quae aliorum laborem, quietem, orationem adiuvant; ad efficacitatem laboris personalis et communitarii necnon communis conviventiae; ad valorem intrinsecum, formativum alicuius bene ponderatae regulae [20], et ad educationem fidelitatis in exsequendis iis quae per oboedientiam Deus nobis committet.

g) Debita proportione et directione foveatur commercium inter iuvenes nostros diversarum nationum, sive ratione studiorum superiorum, sive causa addiscendi idiomata hodierna vel experimenta apostolica exercendi, quo comprehensio et unitas futurae Societatis non parum augebitur.

II. - De disciplina religiosa

9. Vita Societatis, eius activitas et magis concrete vita communitaria in ea, ut conspiratio omnium membrorum e caritate dimanans [21], ad mentem Fundatoris et secundum placita Ecclesiae definiri debent et ordinari regulis, quae, cum praesidium caritatis et signum unionis membrorum sunt, tum reale iuvamen humanae infirmitatis, stimulum responsabilitatis singulorum et eorum activitatum coordinationem in bonum commune constituunt.

10. Hae regulae pertinent ad totum ambitum vitalem et spiritualem oboedientiae religiosae; earum ad singulos applicatio submittitur ergo regulae vivae directionis Superioris. Quae igitur haec Congregatio Generalis de oboedientia tenet, praesertim in n. 8 decreti de vita oboedientiae in Societate, hic etiam memoranda erunt, cum disciplina religiosa in Societate Iesu characteribus oboedientiae ignatianae insigniri debeat. Ex Ecclesiae et Vicarii Christi voluntate ite-

---

[20] Cf. Conc. Vat. II, *Optatam totius*, n. 11; *Const.*, P. III c. 2 n. 2, B [294-295]; P. IV c. 10 n. 9, I [435-436].

[21] Cf. *Const.*, P. VIII c. 1 n. 8 [671].

rum significata [22], regulae conscriptae sunt et conscribendae erunt ut Dei voluntatem manifestent « ad melius in via incepta divini obsequii procedendum » [23]. Quare viam indicant amoris concreti, constantis et personalis et modum in externis communem nostri servitii; nam regula, praeparans nos ad arctiorem unionem cum Christo et cum Ecclesia, evadit quasi paedagogus ad Christum, ideoque illa filiali caritate accipienda, qua data est [24], et quae ad filiorum libertatem conducit.

11. Sic intellecta observantia regularum ex amore in amorem tendens, dicenda est pro singulis via sanctificationis [25] et quidem in ordine ad uberiorem actionem apostolicam.

Sed insuper via est ad humanam perfectionem; nam regularum observantia huiusmodi nec formalismus vacuus est nec sic dicta alienatio, immo, requirens nonnumquam rerum aestimabilium renuntiationem et abnegationem, qua Christo associamur, ad solidam personae maturitatem adducit [26].

12. Disciplina igitur religiosa in Societate homines oboedientes christiane maturos, tam Superiores quam subditos, et supponit et efficit.

Superiorum enim est diligenter voluntatem Dei quaerere, etiam iuvamine consultationis aliorum circa media aptiora, et decidere quae agenda sunt [27], eaque definitis verbis exprimere. Eis etiam competit observantiam regularum promovere et ad singulos, prout adiuncta id petant, applicare. Ad haec potissimum obtinenda suis subditis exemplo praeire debent, ut norma vivens, qua ceteri ad fidelitatem et generositatem in servitio Domini permanenter alliciantur.

Sed eorum maximum officium est subditos, iuniores praesertim, ad progressivam educationem responsabilitatis et libertatis instituere, ita ut ad regularum observantiam accedant non in spiritu timoris [28] sed ex intima persuasione personali in fide et caritate radicata.

Subditi vero amorem ad regulas foveant lectione assidua atque meditatione Constitutionum, in quibus genuinum spiritum, quo ratio nostra vivendi componi debet, haurire possunt. Immo ex familiaritate cum codice nostri Fundatoris sodales momentum colligere

---

[22] Cf. *Const.*, Prooem. n. 1 [134]; Pius XII, Alloc. *Vos omnes*, 10 sept. 1957: Act. Rom. XIII (1957) 293; Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 45; *Perfectae caritatis*, n. 4; Paulus VI, Alloc. *Magno gaudio*, 23 maii 1964: Act. Rom. XIV (1964) 409-410; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, nn. 12-14.

[23] *Const.*, Prooem. n. 1 [134].

[24] Cf. *Const.*, P. VI c. 5 [602].

[25] Cf. C. G. XXVIII d. 22, 3°.

[26] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 46; *Optatam totius*, n. 11; *Perfectae caritatis*, n. 14.

[27] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 14.

[28] Cf. *Const.*, P. VI c. 1 n. 1 [547]; c. 5 [602].

possunt quod multae regulae habent ad perfectionem propriae vocationis et ad missionem apostolicam Societatis implendam, ita ut animi ardore ad earum observantiam sese applicent.

13. Cum autem disciplina non sit in se ipsa et propter se ipsam colenda, sed « ut sincerius et maiore cum laude et merito possimus per omnia implere voluntatem Dei » [29], intentio haec dynamica obtinendi, sub diversis et semper mutabilibus Ecclesiae necessitatibus, eundem finem immutabilem, debet omnes, Superiores et subditos, attentos reddere ad signa temporum divino lumine scrutanda, et promptos ad regularum accommodatam renovationem opportune proponendam, qua obsoleta et aliena tollantur, vigentia roborentur, novaque forsan et utiliora ad finem intentum inducantur [30].

Regulae tamen suam vim habere pergent donec a competente auctoritate abrogentur vel mutentur.

III. - De revisione regularum

14. Regularum revisio A. R. P. Generali commendatur quam primum iuxta Ecclesiae principia [31] facienda, ita ut aliquae statuantur pro tota Societate normae communes, necessario paucae, universaliores, breves, in quantum fieri potest modo positivo et organice expressae, theologice solide fundatae, quae membrorum unionem et significent et efficiant, relicta Provincialibus cura normas magis particulares, approbante P. Generali, pro singulis Provinciis determinandi [32].

15. Regulae Summarii et Communes sint de competentia Praepositi Generalis. Proinde in Collectione Decretorum, d. 3 § 2, 3°, abrogantur verba « Summarium Constitutionum ... Regulae Communes ».

16. Praeposito Generali committitur ut per ordinationes provideat materiis de quibus Collectio Decretorum, dd. 48, 52 § 2, 61, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72. Ei facultas datur ut ab ipso die quo singulae ordinationes eiusmodi promulgabuntur, decreta relativa suspendat, cum consensu Assistentium Generalium, usque ad proximam Congregationem generalem.

---

29 *Deliberatio primorum Patrum* (a. 1539): MHSI Mon. Ign. Const., I 4.
30 Cf. Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, nn. 14 et 17.
31 Cf. *Ibid.*, nn. 12-14.
32 *Const.*, Prooem. Declar. [136].

20. - De lectione ad mensam

In Ms. act. 115, 116, 118, 123.

1. Perpensis rationibus quae ad mutandam hodiernam ordinationem lectionis ad mensam afferuntur, cum variae sint rerum condiciones in variis Societatis locis, Congregatio Generalis Praeposito Generali committit ut, pro sua prudentia, de modo agendi in singulis Provinciis vel regionibus provideat.

2. Ne, ex cessata Summarii Constitutionum menstrua lectione ad mensam, decrescat Constitutionum cognitio, Congregatio Generalis Praeposito Generali commendat ut hanc cognitionem efficaciter conservandam et fovendam curet, sive menstrua Summarii lectione restaurata, sive statuendo ut praecipuae ipsarum Constitutionum paragraphi ex ordine ad mensam legantur, sive quovis alio aptiore modo.

V. - DE APOSTOLATU

21. - De ministeriis aptius deligendis et promovendis

In Ms. act. 39-41, 48.

1. Dum Congregatio Generalis XXXI sedulam Societatis operositatem in ministeriis apostolicis agnoscit, advertit tamen simul labores nostros non omnes illos fructus tulisse qui, attenta proportione cum viribus impensis, iure exspectari potuissent.

Quod non solum ex defectu quandoque iugis renovationis in spiritu apostolico seu missionario et debitae instrumenti cum Deo coniunctionis procedit [1], vel ex neglecta « moderatione laborum animi et corporis » [2], vel ex nimia nostrarum virium dispersione [3], sed magna ex parte etiam a minore, quam par erat, adaptatione ad mutatas nostrorum temporum condiciones.

2. Non raro igitur dubitatur num quaedam opera nostra iam obsoleta devenerint vel saltem, quoad modum quo exercentur, profundiore renovatione indigeant. Alia ex parte, apostolici laboris novi nos campi invitant qui ad fidei propagationem et ad mundum spiritu Christi imbuendum magni momenti esse videntur et cum indole Societatis propria omnino consonant; frequenter etiam hodie in Ecclesia aliae inveniuntur apostolicae vires quae speciali ratione hunc vel illum apostolatus campum excolunt, ut quandoque nostra in eodem fere munere opera minus urgens iam evadat. Maior denique desideratur apud nos illa disponibilitas ad ministeria quae exigentiis pastoralibus Ecclesiae hodiernae necnon specialibus missionibus Romani Pontificis, ad quas paratiores iuxta nostrum peculiarem spiritum esse debemus, respondeat.

3. Haec omnia perpendens, Congregatio Generalis iudicat Societatem sive propter singularem a Spiritu Sancto datam sui Instituti flexibilitatem, sive propter multiplices suas vires in multis apostolatus campis sparsas, capacitatem renovationis atque accommodationis nostris temporibus retinere quae iugiter revisionem in nostris ministeriis seligendis ac promovendis exposcunt. Quod opus etiam apprime respondet votis a Patribus Concilii Vaticani II de accommodata renovatione vitae religiosae expressis.

---

[1] Cf. *Const.*, P. X n. 2 [813].
[2] *Const.*, P. X n. 10 [822].
[3] Cf. C. G. XXX d. 50 § 1.

Quapropter quaedam generaliores orientationes hac in re decernendae esse videbantur.

A) *De criteriis renovationis*

4. Nostris omnibus, et imprimis Superioribus, ad quos delectus ministeriorum tamquam « munus prae omnibus praecipuum » spectat [4], enixe adlaborandum est ad huiusmodi revisionem instituendam. Criteria eiusdem continentur in ipsis Constitutionibus, quae decretis Congregationum Generalium et instructionibus Praepositorum illustrantur, eademque perennem validitatem servant, adiunctis tamen historicis semper rite applicanda sunt. Ex renovato et profundiore studio spiritualis nostri patrimonii haec renovatio imprimis haurienda est. Exercitia spiritualia sancti Ignatii praeterea in nos illum spiritum magnanimitatis et indifferentiae, constantis electionis et reformationis infundere valent, revisionis videlicet sive nostrae activitatis sive mediorum ad finem aptius consequendum, sub luce illorum criteriorum: maioris Dei obsequii, universalioris boni, maioris urgentiae, boni futuri et curae specialis quorundam ministeriorum magni momenti, ad quae suscipienda peculiares vires nobis praesto sunt.

B) *De quibusdam dispositionibus in hac accommodatione requisitis.*

5. Ad haec criteria recte et fructuose adhibenda requiritur imprimis intima illa coniunctio instrumenti cum Deo per fidem et caritatem, ex qua efficacitas nostri apostolatus potissimum procedit, et quae aliis donis mere naturalibus suppleri non valet.

6. Haec tamen familiaritas cum Deo non minorem, sed, ratione coniunctionis nostri apostolatus cum missione Verbi Incarnati, intimiorem insertionem in hunc mundum exposcit. Imperat igitur aliquas mentis et animi dispositiones quae huic fini magis inserviunt:

a) Mundus actualis, tam celeribus et profundis mutationibus agitatus, capacitatem a nobis postulat illum processum recognoscendi, quasi humilitatem nobis tamquam creaturis congruam, quae nos erga universam creationem reddit apertos et fideles, ita ut, Dei voluntatem in eiusmodi processibus detegentes, constantem revisionem necnon adaptationem nostri apostolatus operemur.

b) Arctiores praeterea sociales relationes inter homines et nationes, in mundo in via unificationis, a nobis exigunt spiritum fraterni colloquii, mutuae reverentiae necnon sensum complementarietatis et collaborationis in actione.

---

[4] I. B. Janssens, Epist. de ministeriis nostris: Act. Rom. XI (1947) 299-336.

c) Vividior etiam conscientia promotionis humanae atque valorum temporalium, cuius abusus usque ad negationem religionis et ipsius Dei non raro pertingunt, est ratio magni ponderis etiam in apostolatu. In opere scilicet apostolico, cuius verus finis est annuntiare hominibus Mysterium Christi, qui in nobis et mundo nunc operatur, homo in universa sua vita et concreta exsistentia attingi debet.

C) *De nostra cooperatione cum aliis in apostolatu.*

7. Ad mentem doctrinae theologicae et pastoralis Concilii Vaticani II, Provinciales ad intimam invitantur collaborationem cum eis quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei [5]. Disponibilitate proin fundamentali servata erga Sanctam Sedem, Nostri omnes et praesertim Superiores sibi proponant « Hierarchiae consilia, iudicia, opera sequi et ad rem deducere animarique spiritu afflatuque communionis » [6]. Quapropter opera Nostrorum componantur cum programmatibus pastoralibus Episcoporum, praesertim ope collaborationis suae tamquam religiosorum cum Conferentiis Episcoporum. Servitia apostolica praestare studeant ipsis sacerdotibus necnon ad sacerdotium aspirantibus.

8. Collaboratio praeterea commendanda est cum aliis religiosis, charismate uniuscuiusque Ordinis sedulo servato. Auxilia spiritualia quae ab aliis societatibus religiosis petuntur, libenter suppeditent. Cui fini magnopere inserviunt Conferentiae Superiorum maiorum.

9. Ampla et sincera collaboratio cum laicis pariter commendatur. In operibus enim Societatis, nostrae responsabilitati animationis, orientationis et directionis laici certo quodam modo associari debent. In ambitu praeterea totius Ecclesiae, sollicitudo de adiuvandis laicis in eorum promotione ad hoc ut veri homines et christiani evadant, plene conscii propriae responsabilitatis erga Ecclesiam et mundum, serio fovenda est. Quod valet praesertim de eis laicis (viris et mulieribus) qui, spectato eorum maiore momento pro universali bono Ecclesiae, specialem sollicitudinem spiritualem merentur. Contactus denique verae amicitiae cum laicis, in temporalibus associationibus et in multiplicibus cotidianae vitae adiunctis, attentam nostram praesentiam ad hominis concretam exsistentiam manifestant, formam quandam caritatis exprimunt et verum apostolatus initium constituunt, simulque nos et interius ditiores reddunt et in munere apostolico exercendo humaniores.

---

[5] Cf. Act 20, 28.
[6] PAULUS VI, Alloc. *Sincero animo,* 7 maii 1965: vide infra, p. 192, doc. 1.

10. Quoad Ecclesiam denique universalem Societas organis ordinationis actionis apostolicae cooperationem in eodem spiritu servitii praebeat.

D) *De aliquibus campis apostolatus qui hodie specialem commemorationem merentur.*

11. Ex eo quod mundus modernus quibusdam notis praecipue insignitur, progressu nempe culturae superioris, promotione vitae professionalis, crescente proportione iuvenum, organizatione internationali necnon gravioribus necessitatibus aliquarum mundi regionum, ambitus quidam vitae hodiernae, inter alia opera a nostra Societate laudabiliter peracta, specialem aliquam urgentiam acquisiverunt:

a) ambitus scilicet superioris culturae, speciatim in scientiis positivis, quibus inquisitio scientifica et artes technicae promoventur;

b) ambitus laboris et coetus professionales, praesertim magis indigentes;

c) iuventus instituenda, ea praesertim cuius maior influxus futurus in vita Ecclesiae et mundi praevidetur;

d) institutiones internationales quae totius mundi ambitus organice congerere contendunt, cuius rei momentum pro tota humanitate vix exaggerari potest;

e) spatia quaedam geographica quae, propter ingens augmentum demographicum, celerem evolutionem socialem, oeconomicam, politicam, famem aliasque multiplices miserias, necnon acriorem pugnam inter christianam vitae conceptionem et oppositas ideologias, impensioribus indigent apostolicis laboribus, qui dilationi indulgere nequeunt;

f) in regionibus praeterea traditionaliter christianis magna cum sollicitudine insistendum est apud eos qui neopagani dicuntur, quique atheismo theoretico vel practico inficiuntur.

12. Magna cum alacritate Nostri amplectantur ea opera apostolica quae constitutiones et decreta Concilii Vaticani II in actum deducere apta sunt, ratione semper habita indolis nostri Instituti propriae. Missiones autem quas summus Pontifex nostrae Societati omni tempore et in quavis mundi plaga committere optaverit, a nobis ut prima urgentia habeantur. Quam ob rem etiam munus obsistendi atheismo, quod Paulus VI nobis demandavit, a nobis pergrato animo est accipiendum.

13. Integra Societas se renovet in spiritu missionali ad mentem decreti de servitio missionali, siquidem ad fidem propagandam est instituta.

14. In evolvendo vero apostolatu in mundo hodierno, usus et animatio instrumentorum communicationis socialis, quae conformationem mentis modernae potissimum afficiunt et nos ad expressionis modum indoli hominis actualis accomodatum ducunt, a Societate magis in dies promoveantur.

15. Cum experientia teste nobis non defuerint rectae et optimae Praepositorum Generalium normae necnon totius Societatis sincera vota vel decreta ad accommodationem optandam, efficaciora media ad haec omnia in exsecutionem mandanda adhibenda sunt. Ad haec, praeter necessitatem in tota Societate enucleandae conscientiae de urgentia revisionis et accommodationis in nostris ministeriis deligendis et promovendis, pertinent etiam speciales commissiones quae Patres Provincialibus et etiam A. R. P. Generali in delectu ministeriorum necnon in apostolatus ordinatione validum praestent auxilium.

22. - De commissione ad delectum ministeriorum aptius promovendum

In Ms. act. 39-41, 48.

1. Ad promovendum aptiorem delectum ministeriorum et quandam futuri praevisionem, aliqua commissio in auxilium et sub auctoritate Praepositi Provinciae instituatur.

2. Cuius munus erit, studiis peractis, consilia dare de organica ministeriorum revisione, suggerendo quaenam conservanda vel relinquenda, quaenam renovanda vel ex novo instituenda sint. Prae oculis quidem semper habeantur et condiciones sociales ac programmata pastoralia et copiae virium apostolicarum quae praesto sunt vel sperantur et urgentiores necessitates et auxilium Praeposito Generali suppeditandum ad universaliora.

3. Praepositus Provinciae illos Nostros ad talem commissionem advocet, qui experientia in ministeriis Societatis sufficienter gaudeant necnon qui periti sint in illis disciplinis specialibus (v. g. in theologia religiosa) quae pro materia recognoscenda maioris momenti sunt, opportune vocatis, si opus fuerit, peritis ad Societatem non pertinentibus etiam laicis.

4. Commissio, informationibus tempestive collectis, Praeposito Provinciae conclusiones studiorum proponat easque in sessione cum Consultoribus Provinciae simul convenientibus saltem quotannis perpendat.

5. Omnibus ita consideratis, Praepositi Provinciae erit de revisione et promotione ministeriorum decernere; necnon, mutatis forsitan adiunctis, ulteriora studia a Commissione requirere.

6. Ad efficaciorem coordinationem apostolatus in aliqua regione obtinendam, Coetus Provincialium, ubi iam exstiterint vel constituendi videbuntur, a simili Commissione interprovinciali cum Commissionibus provincialibus connexa valde iuvari possunt. In regionibus autem sat homogeneis loco Commissionis pro singulis Provinciis unica Commissio interprovincialis institui potest.

23. - De sacerdotali nostro apostolatu

In Ms. act. 66, 73-75, 87, 102, 108.

I. *Introductio*

1. Inde iam a Societatis initio totoque decursu historiae ipsius, nostri sacerdotes tum verbi Dei sacramentorumque Christi ministerio, tum aliis quoque operibus pro ecclesiarum populorumque necessitatibus semper incubuerunt. Nostro etiam tempore, unius corporis socii in multis diversisque campis occupantur.

Huius autem aetatis multiplices transformationes postulant ut Societas opera sua novo examini subiciat, ea condicionibus hodiernis immo, quantum fieri possit, etiam futuris aptando. Profunde enim transformantur mutuae intra Ecclesiam habitudines: laici partes suas activas assumunt; unio presbyterorum inter se et cum Episcopis clarius elucet; omnium erga universalis Ecclesiae bonum responsabilitas magis excitatur. Transformantur etiam relationes Ecclesiam inter et mundum; nam, dum legitima terrenarum rerum autonomia distinctius agnoscitur [1], arcta simul Evangelii connexio cum terreno familiae humanae progressu et servitio vividius percipitur [2]. Proportio tandem sacerdotum relate ad crescentem populationem auctasque necessitates minuitur, ideoque aptior eorum distributio requiri videtur.

Sub earum transformationum influxu, locus etiam et munus sacerdotale hodie ab aliis aliter concipitur. Dum enim ab una parte postulatur ut sacerdos Societatis soli directae curae pastorali dedicetur, alii volunt ut in ipsis terrenae navitatis campis magis praesens sit. Et dum nonnulli sperant fore ut primitivus vigor revirescat si ministerium sacerdotale a sic dictis formis accidentalibus expurgetur, alii existimant universalius bonum iri obtentum si quam latissimus campus muneri sacerdotali pateat.

Congregationis Generalis non est controversias theologicas de sacerdotali munere ac ministerio dirimere. Principia tamen nonnulla ex fide catholica et ex Instituto nostro recolere intendit et ex iis

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 36.
[2] Cf. Ibid., n. 38.

criteria quaedam eruere, quibus tota Societas singulique sodales iuventur ut, pro talento unicuique a Domino vineae commisso et pro sua in Ecclesia vocatione, seligant quaenam imprimis opera sint a sacerdotibus assumenda, quaenam vero potius aliis relinquenda.

2. In solutione invenienda pro hoc problemate quaedam principia ex doctrina Vaticani Concilii II nos adiuvare poterunt, quae magis ad rem hic agitatam pertinent.

Omnia membra Populi Dei participant in sacerdotio Christi necnon in una missione Ecclesiae; pro diverso tamen gradu vel statu in quo constituuntur, diversa quoque munera eis incumbunt, quae autem omnia ad invicem ordinantur atque mutuo sese complent [3].

Presbyteri « vi sacramenti ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis ..., ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur ... Suum ... munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu ... Pro fidelibus autem paenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et alleviationis summe funguntur ... Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt » [4].

Hoc sacerdotale ministerium, in unitate ordinis presbyteratus, diversa officia complectitur: evangelizationem non credentium, catechesim, ministerium paroeciale vel supraparoeciale, scientias investigandas aut tradendas, participationem sortis ac laboris operariorum et multa alia opera apostolica vel ad apostolatum ordinata [5].

Laicorum quidem proprium est ut, in medio mundi officiorumque saecularium vitam agentes spirituque evangelico ducti, « fermenti instar ad mundi sanctificationem velut ab intra conferant, sicque praeprimis testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentes, Christum aliis manifestent » [6]. Non tamen ad eos solos haec apostolatus ratio pertinet [7], sed suo quoque modo ad sacerdotes, quibus insuper incumbit ut laicos suum apostolatum et in Ecclesia et in mundo exercentes efficaciter iuvent [8].

Religiosi vero tam ex statu clericorum quam laicorum vocantur ut consecratione sua Deo summe dilecto totaliter mancipentur et in vita Ecclesiae peculiari suo charismate testimonium reddant « mundum transfigurari Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudi-

---

[3] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 10; *Presbyterorum ordinis*, n. 2.
[4] Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 28.
[5] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, nn. 4, 8.
[6] Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 31; cf. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2, 5.
[7] Cf. Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 31; *Gaudium et spes*, n. 43.
[8] Cf. Conc. Vat. II, *Apostolicam actuositatem*, n. 25.

num »[9], et sic, suo quisque modo, illius missioni salvificae prosint[10].

3. Regula suprema pro hoc nostro apostolatu, prout ex charismate peculiari sancti nostri Fundatoris[11], e Formula Instituti[12] et Constitutionibus[13] necnon ex viva traditione historiae Societatis apparet, est maius Dei obsequium et universalius bonum animarum in quam maxima disponibilitate erga voluntatem Dei, in Ecclesia et iuxta temporum adiuncta, praesertim per Romanum Pontificem, nobis manifestatam.

Societas diversis membris constat, quorum « secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis suae proprium gradum »[14], alii sunt sacerdotes, alii vero non. Omnes tamen in unum finem apostolicum toti corpori Societatis praestitutum unanimiter conspirant.

Ad munus sacerdotale quod attinet, tum Formula Instituti tum Constitutiones clare asserunt sacerdotes Societatis esse « potissimum ... ad quodcumque verbi Dei ministerium »[15] et ad administrationem sacramentorum destinatos[16]; alia autem opera non solum non excludunt sed expresse commendant sacerdotibus[17], « prout ad Dei gloriam et commune bonum visum erit »[18].

Cum Ignatius pressius determinat regulam supremam nostri apostolatus, declarat: « ... cum possint, qui de Societate sunt, operam suam collocare ubi bona spiritualia quaeruntur et etiam ubi corporalia, in quibus etiam misericordia et caritas exercetur, ... si utraque simul praestari non possunt, priora (ceteris paribus) secundis semper essent praeferenda »[19]. Ope clausulae « ceteris paribus » sanctus Ignatius nos docet ipsum principium praeeminentiae operum spiritualium subordinari regulae pro eo supremae ac fundamentali.

4. Ut ex principiis supra allatis activitatis nostrae criteria recte inferri possint, sequentes distinctiones prae oculis sunt habendae.

---

[9] CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 31.
[10] Cf. Ibid., n. 43.
[11] Cf. *Exerc.*, nn. 23, 98.
[12] Cf. Form. Inst. Iulii III, nn. 1, 2.
[13] Cf. *Const.*, P. VII c. 1 n. 1 [603]; c. 2, D [622].
[14] Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1.
[15] Ibid.; cf. *Exam.*, c. 2 n. 6 [30]; *Const.*, P. IV Prooem., A [308]; P. VII c. 1 n. 1 [603]; c. 4 n. 6 [645], et passim.
[16] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1; *Const.*, P. IV c. 8, n. 4, D [406-407]; P. VII c. 4 n. 5, C [642-643].
[17] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 1; *Const.* P. VII c. 2, E [623]; c. 4 n. 9 [650].
[18] Form. Inst. Iulii III, n. 1; Cf. *Const.*, P. VI c. 3 nn. 7, 8, D [591-593]; P. VII c. 4 n. 9 [650]; P. IX c. 6 n. 4 [793].
[19] *Const.*, P. VII c. 2, E [623].

Ad ipsum sacerdotium quod attinet, accurate distinguendum est inter naturam eius intimam, in institutione Christi fundatam, et formas eius historicas concretas in quibus — secundum diversitatem culturae, structurae socialis et morum — illud quasi incarnatur. Illa est ordinis dogmatici ac proinde immutabilis; hae vero, Spiritu Sancto impellente et sub ductu Hierarchiae, iuxta criteria prudentialia situationi hodiernae concretae accommodari debent [20].

Omnes insuper nostri etiam Scholastici et Coadiutores temporales, ut in collegiis et aliis operibus communibus, simul participant in unitate apostolatus quem Societas utpote corpus sacerdotale exercet. Unusquisque vero sacerdos sua ordinatione a Deo vocatur ut in concretis adiunctis vitae suum sacerdotium ad actum deducat.

Quo plenius haec vocatio intellegatur, alios etiam aspectus distinguere oportet. Societatis enim sacerdos est homo a Deo creatus et insertus in aliquo populo. Est etiam vir baptizatus et confirmatus, qui ut talis, tamquam « frater inter fratres » [21], participat sacerdotium commune omnium fidelium. Est praeterea religiosus Societatis: utpote religiosus, professione votorum se Deo in Ecclesia consecravit in « praeclarum signum Regni caelestis » [22]; utpote membrum Societatis, eius religiosa consecratio exercetur in corpore apostolico. Est insuper presbyter, cooptatus proinde ordini presbyterorum, in hierarchica communione cum ordine episcopali, cuius caput est Petri successor.

Hi omnes aspectus debent ab unoquoque sacerdote pro se integrari in unam ac personalem concretam spiritualitatem, ut eos, unctione Spiritus et providentia Superiorum, ad organicam et vivam cohaesionem et perfectionem adducat. Vitandae ergo sunt, ad spiritualitatem et activitatem sacerdotalem quod attinet, omnes solutiones seu tendentiae unilaterales, in quibus unus tantum aspectus — sive humanisticus sive religiosus sive sacerdotalis — ita extollitur, ut hac elatione alii deprimantur.

Congregatio Generalis XXXI, supraexposita prae oculis habens, haec statuit:

II. *Decretum*

5. Multiformis activitas sacerdotum Societatis profluit et a natura ac missione presbyteratus et a charismate ac regula suprema nostri Instituti.

---

[20] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 22.
[21] Ibid., n. 9.
[22] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 1.

6. Cum presbyteri, ordinis episcopalis cooperatores, per ipsam ordinationem, subordinatu gradu, consecrentur ad ministerium verbi, quod multiformiter exercetur, ad sacramentorum dispensationem et ad pastorale familiae Dei regimen, hae ministerialis apostolatus formae iure meritoque peculiari aestimatione habendae sunt.

7. Cum autem Christus, Caput Ecclesiae, totum mundum redintegret in Regnum Patris, sacerdotis est, tamquam signum et ministrum huius activae Domini praesentiae adesse vel collaborare cum omnibus conatibus humanis qui ad illud Regnum instaurandum concurrunt.

8. Cum nostris temporibus haec collaboratio urgenter requiratur ad praeparationem evangelicam vel ad praesentiam Ecclesiae instaurandam seu extendendam ope inquisitionis scientificae et muneris docendi, imprimis in scientiis sacris et ope laboris socialis inceptis necnon mediorum communicationis socialis, huiusmodi collaboratio consideranda est ut genuina forma apostolatus sacerdotum Societatis. Praesertim quidem ante oculos habere oportet illos campos in quibus persona humana tota in discrimen vocatur, uti sunt scientiae hominis et educatio iuventutis.

9. Etsi Congregatio Generalis intendat magis aperire Coadiutoribus temporalibus viam ad omnia munera apostolica et responsabilitates quae eorum statui conveniunt; et ex alia parte, exoptet maiorem collaborationem cum laicis in apostolatu, hoc nullo modo significat, ut ex antea allatis rationibus constat, sacerdotes Societatis a campis qui laicorum vel Coadiutorum temporalium magis proprii sunt esse avertendos.

10. Selectio unius alteriusve formae apostolatus fiat iuxta normas traditas in decreto de ministeriis aptius deligendis et promovendis, ubi regula ignatiana ad situationem hodiernam applicatur, ita ut in ministeriis nostris ad proportionem quam aptissimam accedamus.

11. In destinandis sacerdotibus ad diversa ministeria attendant Superiores non solum ad obiectivas necessitates apostolatus sed etiam ad vocationem et dona particularia mittendorum, iuxta praxim nostri Fundatoris. Omnes autem parati sint, in quam maxima disponibilitate erga Dei voluntatem, ad urgentiores universalioresque necessitates Ecclesiae, per Superiores expressas, sublevandas.

12. Sacerdotes Societatis, quorum apostolica activitas praesertim in campis ordinis temporalis exercetur, ceteris omnibus sacer-

dotibus in uno presbyterali pro hominibus ministerio uniti [23], enitantur ut sacerdotium in totam suam activitatem redundet, in primis per orationem, testimonium vitae sacramque Eucharistiam, in qua « totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus » [24], et per quam homines cunctaeque res creatae ad Patrem adducuntur.

24. - De servitio missionali

In Ms. act. 61, 63-65, 92.

1. Dei Patris « fontali amore » homines libere creati et gratiose vocati congregandi sunt ut filii in Filio; per Cuius missionem Deus « in historiam hominum novo et definitivo modo intrare decrevit » [1].

Filius Unigenitus a Patre missus est ut salvaret quod perierat et homines ab Ipso redemptos coadunaret per Spiritum Sanctum in unum Corpus Mysticum, quod est Ecclesia.

Sicut Filius a Patre missus est, ita et Ipse apostolos misit [2] tamquam salutiferae caritatis praecones, eisque hoc sollemne praeceptum dedit: « euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos; ... ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » [3].

Christi mandati memor, Ecclesia « in mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent » [4]. Igitur « finis proprius activitatis huius missionalis est evangelizatio et plantatio Ecclesiae in populis vel coetibus in quibus nondum radicata est » [5].

2. Ad hoc annuntiandi Evangelii opus providentissimus Deus, inter ceteros Evangelii praecones, sanctum Parentem nostrum Ignatium eiusque socios advocare dignatus est, illorum nempe corda zelo animarum inflammando, quo prius Hierusalem ad iuvandos infideles se conferre cuperent [6], ac deinde, a proposito perficiendo impediti, totos se Christi Vicario offerrent, ut ille ipsis eam dominicae vineae partem assignaret quae magis eorum laboribus indigeret [7].

---

[23] Cf. Conc. Vat. II, *Presbyterorum ordinis*, n. 8.
[24] Ibid., n. 5.
[1] Conc. Vat. II, *Ad gentes*, nn. 2, 3.
[2] Cf. Io 20, 21.
[3] Mt 28, 19-20.
[4] Conc. Vat. II, *Lumen gentium*, n. 17.
[5] Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 6.
[6] Cf. I. A. de Polanco, *Sumario de las cosas más notables ...*, n. 57; Id., *De vita S. Ignatii*, cap. VII; S. Rodrigues, *De origine et progressu Societatis*, cap. II: MHSI Mon. Ign. Font. Narr., I 185; II 567; III 20-25.
[7] Cf. *Const.*, P. VII c. 1, B [606].

Nascens itaque Societas, per hanc sui in manus Vicarii Christi oblationem, Ordo apostolicus ad laborandum « apud fideles et infideles » [8] est constituta atque intime particeps facta missionalis totius Ecclesiae mandati.

Societas igitur, utpote pars peregrinantis Ecclesiae, universalem illius missionem pro viribus amplexa, spiritu missionali exardescit; unde non potest animarum zelum ita cum suis filiis non communicare, ut tum fidei defensio tum ipsius propagatio fiat illis una eademque vocatio. Haec autem apte describitur in Formula Instituti a Iulio III approbata: « Quicumque in Societate nostra ... vult sub crucis vexillo Deo militare ... proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae ut ad fidei defensionem et propagationem ... praecipue intendat » [9].

3. Congregatio Generalis XXXI, prae oculis retinens gravissima illa Concilii Vaticani II verba « In praesenti rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi, urgentius vocatur ad omnem creaturam salvandam et renovandam » [10], ac conscia de tanta humani generis parte nondum christiana, quo melius propriae vocationi missionali et Ecclesiae desideriis respondeat. haec media impensius adhibenda constituit:

4. Nostri sibi persuasum habeant activitatem quae tendit ad dilatandam Ecclesiam in iis coetibus et populis apud quos nondum plene constituta est non reservari quibusdam tantum e Nostris qui secundam quasi vocationem ad hoc acceperint, sed omnibus Nostris pari ratione parique ardore enitendum esse ut huic vocationi missionali magnanimiter respondeant. Omnes igitur Nostri, nec ii solum qui id petunt, possunt vi vocationis in Societatem ad missiones mitti. Illi autem e Nostris qui in terris missionum nati sunt, sese alacriter conscios reddant de sua gravi responsabilitate plantandi Ecclesiam cum radicibus profundis in propria patria. Nihilominus illi etiam parati sint ad servitium missionale in aliis populis suscipiendum [11].

Eos tamen mittendos eligant Superiores qui sint solidis virtutibus ornati, plane disponibiles, neque solum ad linguas discendas apti sed capaces se inserendi in novam culturam. Inter eos autem qui seliguntur, ne desint qui talibus intellectus dotibus sint praediti ut in apostolatu intellectuali et in scientifica, culturali et religiosa investigatione eminentiores evadere valeant [12].

---

[8] Cf. Form. Inst. Pauli III et Iulii III, n. 3; *Const.*, P. VII c. 1 n. 1 [603]; c. 2, C [621]; P. IX c. 3, F [750].

[9] Form. Inst. Iulii III, n. 1.

[10] Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 1.

[11] Cf. Ibid., n. 20.

[12] Cf. Ibid., n. 34; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, III, n. 22.

Omnes vero Nostri activitati missionali dediti conentur, iuxta mentem Conciili Vaticani II, eadem via procedere « ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, oboedientiae, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem, ex qua per resurrectionem suam victor processit. Nam sic in spe ambulaverunt omnes apostoli » [13].

5. Ut Societas plene respondeat tum hodiernis necessitatibus Ecclesiae tum essentiali suae vocationi, proportio sociorum activitati missionali deditorum omni nisu augeatur. Summopere autem incrementum missionalis actionis Societatis exoptandum est ex vocationibus in ipsis locis missionum fovendis. Superiores igitur sibi persuadeant hanc formationem sociorum ex ipsis novellis Ecclesiis provenientium praecipuam Societatis ad opus missionale contributionem constituere.

6. Ad proprium activitatis missionalis finem plene obtinendum Nostri allaborantes, haec prae oculis habeant:

a) Cum iuxta mentem Concilii Vaticani II « Ecclesiae novellae in Christo radicatae apostolorumque fundamento superaedificatae in admirabile commercium ... omnes divitias nationum quae Christo datae sunt in hereditatem » [14] assumere debeant, omnes Nostri inter gentes laborantes, non solum personas caritate prosequantur et elementa positiva earum religionis revereantur [15], sed etiam, in omnibus quae fidei sensuique christiano non adversantur, magni aestiment earum culturam, consuetudines et traditiones [16].

b) Medium principale in opere plantationis Ecclesiae est praedicatio Evangelii, quod summopere omnibus commendatur; ubi vero haec praedicatio directa impossibilis pro tempore sit, omnibus aliis mediis enitendum est ut « caritatis et beneficentiae testimonium Christi » praebeatur [17].

c) Maximi aestimandum est opus educationis « per scholas diversi generis, quae considerandae sunt non tantum tamquam medium eximium ad formandam et provehendam iuventutem christianam, sed simul ut servitium summi valoris hominibus, maxime vero nationibus progredientibus » [18]. Sic educatio evadet insignis quaedam praedicatio, qua omnes valores humanae culturae in ipsis populis nondum christianis inventi assumuntur, elevantur et Deo Patri per Ecclesiam offeruntur.

Eadem de causa sollicite et fraterne adiuventur illi qui ex patria in alias regiones, studiorum causa, demigrant, quique saepissime au-

---

13 Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 5; cf. *Exerc.*, nn. 95, 98, 167.
14 Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 22.
15 Cf. Conc. Vat. II, *Nostra aetate*, n. 2.
16 Cf. Conc. Vat. II, *Ad gentes*, nn. 9, 11, 15, 16, 18-22, 25, 26; C. G. XXX d. 54.
17 Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 6.
18 Ibid., n. 12; cf. *Gravissimum educationis*, n. 9.

xilio spirituali destituuntur. Huiusmodi iuvenes — ac ceteri si qui sint sive opifices sive alii — adiuvari debent per insertionem in vitam socialem et catholicam populorum inter quos degunt: quapropter, in regionibus ubi huiusmodi viri exteri inveniuntur, commendatur Provincialibus ut quosdam de Nostris huic operi libenter assignare parati sint [19].

d) Licet nullum ministerii genus a Nostris sit alienum, ea tamen imprimis seligere oportet quae vel urgentiora vel universaliora sint; inter quae commendantur cooperatio in formatione cleri dioecesani, in formatione religiosorum et religiosarum, formatio laicorum ad apostolatum, usus mediorum communicationis, apostolatus socialis, actio oecumenica, qua tollatur scandalum ex divisione inter christianos exsurgens, et dialogus cum religionibus non christianis [20].

e) « In aedificationem corporis Christi » [21] commendatur cooperatio cum Episcopis, collaboratio fraterna cum clero tum dioecesano tum regulari et participatio in conferentiis religiosorum [22].

7. Omnes Nostri qui missionibus applicantur optime praeparari debent et quantocius, opportuno tamen tempore, mitti, prout indoles individuorum et condiciones regionum exigere videantur.

Quae praeparatio, sive pro iis qui mittuntur sive pro iis qui ex novellis Ecclesiis sunt oriundi, complectatur oportet adaequatam, pro cuiusque condicione, cognitionem linguae, historiae, culturae et religionis ipsorum populorum, quae omnia in tota formatione sed praesertim in cursu philosophiae et theologiae prae oculis habenda sunt.

Omnes autem Nostri ubique terrarum in theologia missionum apte instruantur et per nuntios constanter ex missionibus accipiendos animarum zelum alere satagant.

8. Natura missionalis totius Societatis operibus splendescat oportet; quapropter:

1° a) Provinciae opera missionalia sibi concredita tamquam integralem partem, aeque ac alia Provinciae opera, considerent, eaque pecunia et hominibus adiuvent eo maiori ardore quo maiori indigentia premuntur, quod valet etiam de territoriis quae in Viceprovincias independentes vel in Provincias iam erecta sunt.

b) Provinciales post susceptionem muneris opera missionalia sibi concredita visitent, ut de eorum necessitatibus certiores fiant, et liberales sese exhibeant in illis iuvandis.

c) Commendatur ut in Provinciis quibus opera missionalia concredita sunt sit quidam Pater peritus in rebus missionalibus, qui

---

[19] Cf. Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 38; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, III, n. 23.
[20] Cf. Conc. Vat. II, *Ad gentes*, nn. 15, 34.
[21] Eph 4, 12.
[22] Cf. Conc. Vat. II, *Ad gentes*, n. 33; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, III, n. 21.

specialem curam de missionibus gerat ac in « planificatione » apostolatus Provinciae necessaria consilia Provinciali et Consultoribus praebeat.

2° Nostri opus missionum cum diligentia apud omnes fideles promoveant et vocationes missionarias foveant.

3° Summopere curetur ut cognitio missionum sive per periodica de re missionali sive etiam interdum per alia periodica magis magisque diffundatur.

4° Nostri, pro sua quisque parte, aspirationes laicorum inserviendi populis in via evolutionis fovere et adimplere conentur. Societas universa inspirationem christianam exercere valebit in ipsis conatibus socialibus et oeconomicis a diversis organis susceptis ad bonum illorum populorum.

5° Ad meliorem informationem, coordinationem et collaborationem inter nos et pro Nostris in servitio missionali operantibus amplietur Secretariatus Missionum.

9. Exoptat Congregatio Generalis XXXI ut Societas pro sua parte se in servitium Ecclesiae universaliter missionalis offerat, ut « claritas Dei quae in facie Christi Iesu resplendet per Spiritum Sanctum omnibus illucescat » [23].

25. - De itineribus missionariorum

In Ms. act. 41, 107.

Reditus in Provinciam originis consideratur quid normale in beneficium missionis et missionariorum. De eius frequentia standum est normis generalioribus ab A. R. P. Generali statuendis, quarum applicatio secundum adiuncta est penes Provinciales.

26. - De oecumenismo

In Ms. act. 77-79, 101, 102, 115, 121.

I. *Introductio*

1. A Concilio Vaticano II Societas Iesu, una cum fidelibus omnibus, decreta *Unitatis redintegratio* et *Orientalium Ecclesiarum* declarationemque *Dignitatis humanae* filiali devotione accipit. Congregatio Generalis XXXI omnibus sodalibus Societatis commendat ut, per orationem et studium, spiritum et doctrinam horum decretorum sua faciant. Memores sint ipsam oecumenicam mentalitatem atque activitatem omnem fundari in spiritu veritatis et sinceritatis, in spi-

[23] Conc. Vat. *Ad gentes*, n. 42.

ritu continuae renovationis internae et praesertim in spiritu amoris. Sanctis desideriis et deprecationibus illam unitatem plenam prosequantur quam ipse Pater per Sanctum Spiritum Ecclesiae Christi Filii sui praeparat. Se iam cum aliis christianis vera quadam communione congregari sciant, atque una cum ipsis se fratres esse agnoscant eorum quoque omnium qui in Deum credunt Eumque adorant.

2. Quoad culpas autem adversus unitatem a sodalibus Societatis olim vel recentius commissas, Congregatio Generalis XXXI se humili confessione associat ipsi Concilio, commemorando testimonium Ioannis: « Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus Eum et verbum Eius non est in nobis » [1]. « Humili igitur prece veniam petimus a Deo et a fratribus seiunctis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris » [2].

3. His positis Congregatio Generalis XXXI quasdam practicas orientationes Nostris commendare intendit. Haec applicari debent ratione habita praeparationis uniuscuiusque, adiunctorum loci et praesertim ordinationum Hierarchiae.

II. *De institutione oecumenica Nostrorum*

4. Ut apta in Nostris habeatur institutio oecumenica haec commendantur: Scholastici, tempore studiorum, solidam acquirant cognitionem historiae et spiritualitatis Ecclesiarum et Communitatum seiunctarum. Theologi praesertim audiant sacram theologiam spiritui oecumenico conformem. Ubi hoc opportunum variis ex rationibus videatur, cursus specialis de theologia orientis vel reformationis tradatur. In lectionibus theologiae pastoralis etiam attendatur ad quaestiones, aliquando arduas, quae in quibusdam regionibus mixtae religionis exsurgere possunt. Professores curent facta historica et doctrinas serena obiectivitate interpretari [3]. Omnes denique vitent praeiudicia et modos loquendi offensivos, et eliminare nitantur, secundum dicta Concilii, « verba, iudicia et opera, quae fratrum seiunctorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondeant, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddant » [4].

5. Institutio oecumenica nequit esse tantum intellectualis, sed ad ipsam formationem spiritualem pertingere debet, cum verus oecumenismus sine interiore conversione non detur [5].

---

[1] 1 Io 1, 10.
[2] Conc. Vat. II, *Unitatis redintegratio,* n. 7.
[3] Cf. Ibid., n. 10.
[4] Ibid., n. 4.
[5] Cf. Ibid., n. 7.

6. Meminerint contactum personalem cum fratribus seiunctis eximie valere ut exstirpentur praeiudicia saecularia et ut melius cognoscantur eorum fides, amor Christi vitaque spiritualis, necnon difficultates, etiam conscientiae, quas erga Catholicam Ecclesiam ipsi experiuntur.

Quapropter, ubi hoc fructuose fieri potest, alterius confessionis professores vel ministri, occasione data, invitentur ut conferentias tradant, atque fraterne excipiantur, eorumque invitationes libenter Nostri accipiant.

Quodsi non longe a nostro scholasticatu exsistit seminarium alterius confessionis, iuvare potest praebere Scholasticis occasionem conversandi cum paribus.

7. Fratres Coadiutores, ratione habita formationis religiosae et officii concrediti, in rebus oecumenicis sic instruantur, ut per orationem et scientiam adaptatam necnon per commercium personale, si quod illis obtigerit, et ipsi huius activitatis Societatis participes fiant.

8. Enitendum est ut nonnulli inter Nostros praeparentur periti in re oecumenica iuxta necessitates diversas regionum, qui doctrinam ac vitam spiritualem tum catholicam tum fratrum seiunctorum plane perspicere addiscant. Sic apti fient, qui vel nostris Scholasticis accuratam instructionem proponant, vel in variis Provinciae operibus, ut collegiis, paroeciis et sic porro, suo consilio et opere praesto sint, vel conventibus oecumenicis competenter participent, vel denique sua reflexione et scriptis theologiam oecumenicam foveant et ulterius progredi faciant.

III. *De oecumenismi exercitio*

9. Celebratio liturgica a nobis digne et reverenter peracta, tam Eucharistiae quam sacramentorum, saepe plus confert ad eliminanda praeiudicia quam eruditae controversiae. Insuper, ubi Ordinarii loci hoc permittunt, aliquas formas publicas orationis communis cum fratribus seiunctis Nostri celebrent, praesertim ad unionis gratiam a Christo Domino impetrandam. Octiduanae preces ad unitatem Ecclesiae impetrandam, quae quotannis in multis regionibus celebrari solent, multum commendantur Nostris.

10. Promovenda sunt studium et usus Sacrae Scripturae, quippe quae de se maxime foveant unitatem catholicorum cum ceteris christianis[6]. Quo maiorem enim Sacra Scriptura habebit influxum in nostram spiritualitatem, in cultum liturgicum et in theologiam, eo

[6] Cf. Ibid., n. 21.

maior fiet unitas omnium in Christo credentium, nam ex eodem fonte haurient aquam salutarem.

11. Societas Iesu ex toto corde aliis qui eidem operi oecumenico in Ecclesia incumbunt, adiutorium dare et ab aliis accipere parata sit. Talis enim cooperatio signum unitatis est, quae iam in Ecclesia exsistit et simul stimulus eandem ulterius promovendi.

12. Contactus oecumenici, sive indirecti per libros et periodica, sive directi et personales, foveantur a Nostris secundum specialem indolem regionum, Provinciarum et domorum.

a) Qui munere educationis funguntur, tum exemplo tum doctrina, omnes alumnos spiritu oecumenico imbuant. Et dialogum cum suis paribus apud fratres seiunctos instituere et cooperationem cum eorum institutionibus inire studeant.

In elaborandis nostrarum universitatum programmatibus inquisitionis scientificae pro exegesi biblica, theologia dogmatica, historia ecclesiastica, sociologia religiosa et similibus, cooperatio cum christianis seiunctis quaeratur, cum specialis inde utilitas prospicietur.

b) Qui de rebus socialibus curant vel operibus misericordiae se dant, vel etiam collaborant in organizationibus internationalibus ad pacem et unionem inter populos fovendas et paupertatem in mundo debellandam, conscii sint quomodo fratres seiuncti ex sua in Christum fide vivum iustitiae sensum et sinceram caritatem erga proximum hauserint. Cum iis cooperationem quaerant, immo ubi iam adest, magis magisque eam perficiant.

c) Qui pastoralibus ministeriis per opera in paroeciis, per Exercitia Spiritualia etc. incumbunt, cum suis paribus in aliis Ecclesiis et Communitatibus de parallelis vel communibus problematibus sermonem miscere et cooperationem inire studeant, etiam in difficilioribus quaestionibus, uti sunt matrimonia mixta vel similia.

d) Qui activitati missionali operam navant, memores scandali nostrarum divisionum apud populos non-christianos, spiritum et cooperationem oecumenicam foveant, ut — quantum fieri potest — unitate testimonii omnium credentium lux Christi clarius inter non-christianos fulgeat, et scandalum divisionis per sinceritatem mutuae aestimationis et caritatis minuatur. Ex alia parte circumspecte cavendum est ne inde fideles in periculum syncretismi seu indifferentismi cadant. Quod periculum tamen, praesertim apud excultos, potius per solidam institutionem doctrinalem et educationem ad profundiorem amorem Ecclesiae evitatur quam per timidam seclusionem ab aliis christianis.

13. Ne progressui unitatis potius noceant quam prosint, meminerint Nostri non leve esse opus oecumenicum nec zelo imprudenti

individuali prosequendum. « Nihil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur » [7].

In activitate igitur oecumenica Nostri omnes praescriptiones et orientationes Sanctae Sedis et eorum quibus motum oecumenicum moderari competit, fideliter observent.

IV. *Commendationes A. R. P. Generali*

14. Insuper Congregatio Generalis XXXI sequentes commendationes A. R. P. Generali proponit, ut pro sua prudentia provideat:

1° Velit consilium de re oecumenica, compositum ex viris peritis a diversis nationibus, constituere, simulque unum ex Assistentibus vel Consiliariis peritis tamquam Delegatum pro re oecumenica fovenda nominare.

2° In quantum id inservire potest promotioni motus oecumenici, curet ut, sive a Nostris solis sive in collaboratione cum aliis, fundentur instituta vel domus studiorum pro peritis et doctorandis, et quidem in notis centris oecumenicis.

3° Provideat ut textus liturgici ad Societatem pertinentes vel alia documenta officialia, ut Ratio Studiorum et similia, recognoscantur secundum spiritum oecumenicum et in specie vocabula offensiva eliminentur.

27. - De institutionibus pastoralibus, Residentiis et Paroeciis

In Ms. act. 43, 44, 91, 95-97, 116.

I. *De Institutionibus pastoralibus*

1. In hodiernis Ecclesiae adiunctis, opera seu institutiones pastorales quae ad maius Dei obsequium et efficacius bonum animarum iuxta spiritum vocationis nostrae exortae sunt, dummodo fini sibi proposito adhuc respondeant et a Hierarchia approbentur, renovandae et enixe sunt promovendae. Supprimantur vero illae quae aptari non valeant, iudicio etiam habito Episcoporum et laicorum dirigentium. Sollerter quaerant Nostri novas formas institutionum pastoralium, secundum traditionem et spiritum Societatis, ad contemporaneas necessitates sublevandas; doctrina enim Concilii Vaticani II circa apostolatum pastoralem non secumfert uniformitatem sed potius proponit harmonicam pluralitatem, iuxta diversitatem charismatum, omnium inceptorum pastoralium [1].

---

[7] Cf. Ibid., n. 11.

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 20.

2. Ut in hac accommodatione integer floreat nostri charismatis spiritus:

1° Nostri praesertim instituendi sunt, sed etiam alii ex utroque clero adiuvandi, ad vere et recte tradenda Exercitia spiritualia, per quae fideles adducantur ad intimam cognitionem Domini ut Ipsum magis ament Eumque sequantur [2].

2° Omnes magni faciant animoque recolant mysterium Cordis Christi in vita Ecclesiae, idque ita experiantur ut in omni activitate apostolica Eius cognitionem apud alios promoveant, ut sic fructus diversorum ministeriorum in dies augeatur; « nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est totius Ecclesiae mirabile sacramentum » [3].

In officiis et laboribus obeundis, B. Mariae Virginis patrocinio etiam confidant, et munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido ubique ostendant [4]. In sancta enim Ecclesia et in nostra traditione Virgo Maria « locum occupat post Christum altissimum nobisque magis propinquum » [5].

3° In omni apostolatu suo, operarii nostri, iuxta desideria Concilii Vaticani II, spiritum renovationis liturgicae, oecumenicae et pastoralis necnon paedagogiam fidei magno et aperto animo participent et pro viribus diffundant.

4° Opera nostra sub ductu Superiorum incipiant et pergant, non autem modo individualistico et disperso. Promoveatur cooperatio tum inter Nostros, amice et omnibus viribus in eundem finem apostolicum conspirantes, tum cum aliis, religiosis et sacerdotibus dioecesanis et laicis. Libenter Nostri participent et collaborent in « planificatione » pastorali ab Episcopis proposita, humili et sincero desiderio serviendi Ecclesiae [6].

5° In selectione et « planificatione » ministeriorum et operum pastoralium Nostrorum necnon in determinatione locorum ubi haec ministeria exerceantur, sedulo attendantur ea quae in decreto de ministeriis nostris aptius seligendis continentur. Ut Nostri in re pastorali hodie melius integrentur, oportet ut vere apti et competentes sint, ideoque formandi sunt operarii nostri:

a) et per formationem genericam in cursu studiorum, de qua iam provisum est in decreto de Scholasticorum institutione;

b) et per formationem specialem, ita ut Nostri qui ad ministeria destinantur habeant sufficientem peritiam in aliqua re pasto-

---

[2] Cf. *Exerc.*, n. 104; *Const.*, P. IV c 8 n 5, E [408-409].
[3] CONC. VAT. II, *Sacrosanctum Concilium*, n. 5.
[4] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 55.
[5] Ibid., n. 54.
[6] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 45; *Christus Dominus*, nn. 33-35; *Perfectae caritatis*, n. 23. Vide infra, 177, decr. 48.

rali (v. g. in verbo Dei praedicando, in Exercitiis tradendis, in catechesi, in directione spirituali, in oecumenismo, in theologia spirituali, in pastorali familiari vel operaria);

c) et per cursus periodicos in suis regionibus instituendos, ita ut Patres iam ministeriis laborantes novis adiumentis continuo aptentur.

II. *De Residentiis*

3. Residentiae in hoc decreto intelleguntur communitates destinatae sive ad munus pastorale [7] sive ad quaelibet alia munera apostolica, excepta institutione iuventutis, quae, secundum Constitutiones, aliud genus domiciliorum constituit [8].

4. Hae Residentiae, unum genus cum sint, diversa nomina, formas et ministeria habere possunt, secundum exigentias hominum, temporum et rerum [9]; nec tantum in eis exercentur opera quae ministeria stricte sacerdotalia sunt, sed etiam illa omnia quae, secundum condicionem nostram [10] et secundum exigentias Ecclesiae Christi in mundo moderno assumenda erunt, prout in constitutione pastorali *Gaudium et spes* proponitur.

5. Residentiae sint « communitates vivae », in quibus sodales sentiant se laborare ad eundem finem assequendum, atque eodem moti animo communicent alii cum aliis anxietates et gaudia. Quod ut facilius assequi valeant, oportet ut communitates ne nimis numerosae sint, et ut ordinentur, in quantum fieri possit, secundum coetus naturales laboris.

Statutis temporibus communitas coadunetur, sub directione Superioris vel alicuius periti ab eo designandi, ad recognoscendum laborem, ad investigandum in communi tam methodos quam earum fructus et ad quaestionibus etiam actualibus studendum.

Sodalibus auxilium praestabunt instrumenta laboris domi invenienda, ut sunt libri, periodica specializata et alia.

Iuvenes operarii per peritos Patres in ministeria pastoralia fraterno modo inducantur.

6. Tota domus ita sit aptata ut sodales orare, laborare, quiescere queant, secundum exigentias sui apostolatus [11]. Moderante Superiore,

---

[7] Cf *Epit. Inst.*, n. 29 § 1, 5°.
[8] Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 27 [289].
[9] Cf. *Epit. Inst.*, n. 29 § 1, 2°, 5°-7°.
[10] Cf. CONC. VAT. II, *Lumen gentium*, n. 31; *Const.*, P. VI c. 3 n. 7 [591].
[11] Cf. CONC. VAT. II, *Perfectae caritatis*, n. 15; PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 26.

ipsa disciplina domestica cum necessaria flexibilitate accommodetur, iuxta decretum de vita communitaria.

7. Secundum Constitutiones nostras [12] et etiam secundum novas dispositiones Concilii [13] domus ad apostolatum destinatae eminere debent testimonio « collectivo » et « efficaciori » paupertatis.

Sodales qui in Residentiis commorantur, possunt vivere ex fructu laboris, iuxta decretum de paupertate huius Congregationis Generalis, sed « omnem speciem luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis vitent » [14], gratuitatem ministeriorum ament [15], et in solo Deo fiduciam constituant [16]. Diligenter et concrete novas formas paupertatis pro indole sua exquirant et urgeant [17], v. g. largius exercitium hospitalitatis, communicationem fraternam bonorum [18], egenorum sustentationem, etc.

8. Iuxta spiritum Societatis, maxime autem iuxta iteratam Ecclesiae voluntatem, Congregatio Generalis enixe hortatur Provinciales ut erigant et foveant Residentias inter opifices et inter coetus hominum magis neglectos, ibique Nostri speciali ratione, vitam cum Christo paupere ducentes, apostolatum suum diversimode exerceant [19].

III. *De paroeciis*

9. Abrogatur decretum n. 233 in Collectione Decretorum.

10. In loco apto ponatur novum decretum huius tenoris:

1° Societas nostra libenter amplectitur voluntatem Ecclesiae a Concilio Vaticano II expressam, ut religiosi secundum necessitates ab Episcopis vocati « in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant », paroecialibus non exceptis [20].

2° Cura animarum paroecialis in genere, mutata Ecclesiae disciplina circa paroecias religiosis commissas, iam dicenda non est contraria principiis Constitutionum. Sed propter rei gravitatem competit Praeposito Generali, omnibus circumstantiis consideratis, iudicare utrum aliquae paroeciae accipiendae vel relinquendae sint. Tex-

---

[12] Cf. *Const.*, P. VI c. 2 nn. 2-4 [555-560].

[13] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 23.

[14] Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13; cf. *Exam.*, c. 4 n. 26 [81]. Vide supra, pag. 109, decr. 18, n. 7.

[15] Cf. *Exam.*, c. 1 n. 3 [4]; *Const.*, P. VI c. 2 n. 7 [565].

[16] Cf. *Const.*, P. VI c. 2 n. 2 [555].

[17] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 23.

[18] Cf. Conc. Vat. II, *Perfectae caritatis*, n. 13.

[19] Cf. C. G. XXVIII d. 29 n. 8; C. G. XXIX d. 29 n. 5.

[20] Conc. Vat. II, *Christus Dominus*, n. 35, 1.

tus conventionum de paroeciis cum Ordinariis a Praeposito Generali approbandi sunt.

IV. *Commendationes ad Superiores*

11. Urgeant Superiores, A. R. P. Generali approbante:

1° ut examini Commissionis pro delectu ministeriorum [21] subiciantur institutiones apostolicae Provinciae et regionis ad recognitionem instituendam, ita ut maiore cum libertate Nostri Ecclesiae hierarchicae inserviant;

2° ut moderatores operum sincere pastorali actuali sese accommodent, v. g. in opere Exercitiorum, in missionibus popularibus; ut Nostri cooperentur cum programmate renovationis Congregationum Marianarum vel Apostolatus Orationis in regionibus ubi, fraterna concordia auditisque laicis dirigentibus, Episcopi et Superiores maiores intendunt ea renovare, ut efficacius foveantur;

3° ut Nostri, secundum traditionem Societatis et vota emissa, magni faciant doctrinam christianam pueros et rudes per se ipsos vel per alios, quaesita occasione, docere; novas formas hodiernae catecheseos et paedagogiae fidei aptis institutionibus promovere; necnon auxilium spirituale in nosocomiis et carceribus praebere;

4° ut, quamprimum propter eorum momentum et urgentiam ad renovationem nostrorum ministeriorum, creentur cursus ad directores Exercitiorum formandos, in quibus investigetur « sensus genuinus textus ignatiani », immo fiat vera « re-elaboratio » in ipsis Exercitiis spiritualibus ad eorum divitias spirituales homini moderno explicandas, easque exprimendas in conceptibus theologiae Concilii Vaticani II [22].

28. - De apostolatu educationis

In Ms. act. 97-100, 115, 123.

I. *Introductio*

1. Hodie ubique terrarum, sive agitur de nationibus evolutis sive de iis quae in via evolutionis sunt, clare agnoscitur momentum educationis in efformanda vita sociali et praesertim in iuvenibus initiandis ad vitam hominumque consortium. Immo vero nullus a Statuum moderatoribus habetur valor maior educatione civium, sine qua natio seu civitas nequit sese ulterius evolvere et proprio munere,

---

[21] Vide supra, pag. 127, decr. 22.

[22] Cf. Paulus VI, Alloc. *Ed ecco* ad Foederationem Italicam Exercitiorum Spiritualium, 29 dic. 1965; Id., Epist. *We are happy* ad R. J. Card. Cushing, 25 iul. 1966.

sive nationali sive internationali, secundum huius aetatis exigentias perfungi.

2. Hoc vero « gravissimum educationis momentum eiusque influxum semper maiorem in socialem huius aetatis progressum » [1] attente perpendens, Ecclesia iterum asserit suas partes se habere in educationis progressu atque amplificatione. Ut hoc autem munus expleat, omnia quidem apta subsidia adhibere vult, sed praesertim instrumentum illud cuius « peculiare momentum » [2] agnoscit, scholas nempe seu instituta educationis, in quibus magistri christiani et Ecclesiae renovationem promovere et eius beneficam salutaremque praesentiam in mundo hodierno, praesertim intellectuali, servare atque augere debent [3].

3. Nemo est qui non videat diebus nostris ubique celeriter efformari novam societatem humanam et structuram futuram, nam novae ita sparguntur ideae ut possimus facile intellegere alium in mundo hodierno et cogitandi et vivendi modum enasci. Fautores autem idearum novarum, praesertim qui ex centris altioris culturae atque investigationis proveniunt et suas ideas per centra educationis systematice promovent, per modos vulgarizationis modernos valde efficaces influxum exercent crescentem in totam culturam socialem. Cum vero hic influxus in dies magis tendat ad conceptionem atheisticam et agnosticam et sic saepius exerceatur in ipsis centris educationis, christifidelium praesentia in illis est summi momenti, siquidem vult Ecclesia pro viribus suis contribuere ad mentalitatem futurae societatis tempestive formandam atque educandam in reverentiam Dei et plenitudinem Christi.

4. Societas Iesu, quae per tot saecula fere semper et ubique terrarum munus docendi ex suo Instituto diligenter exercuit, nunc sub influxu impulsuque Concilii Vaticani II per hanc Congregationem XXXI confirmare vult quanti aestimet apostolatum educationis, et sodales enixe hortatur ut sedulo constanterque hunc momentosum apostolatum magni faciant.

Sunt autem inter Nostros qui aut sentiant instituta educativa Societatis in aliquibus mundi regionibus iam fere inutilia evasisse et ideo deserenda esse; aut agnoscant quidem efficacitatem eorum etiam nostris temporibus, sed, propter urgentiam aliorum ministeriorum in quibus Nostri forsan efficacius laborare possint, affirment necessitatem vel saltem convenientiam relinquendi campum educationis scholaris vel laicis vel religiosis ex proprio instituto huic apo-

[1] Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis*, Prooemium.
[2] Ibid., n. 5.
[3] Ibid., Conclusio.

stolatui exclusive deditis. Cui problemati omnino reali et urgenti haec Congregatio censet nullam solutionem uniformem imponendam esse. Solutio enim quae requiretur necessario diversa erit in diversis rerum adiunctis, et sic a Superioribus inveniri debet, iuvantibus sodalibus, secundum normas pro delectu ministeriorum necessitatibus uniuscuiusque Provinciae vel regionis applicatas.

Scopus autem huius decreti est, primo, ut Societas nostra sentiat cum Ecclesia de peculiari momento et efficacitate apostolatus educationis, nostris praesertim temporibus; secundo, ut scholae nostrae emineant non tam numero vel magnitudine quam doctrina, qualitate instructionis et servitio Populo Dei praestito; tertio, ut Nostri aperti sint ad novas formas huius apostolatus, hodiernae aetati speciali modo accommodatas, et in iis investigandis et creandis strenui, sive eae in ipsis nostris institutis sive extra ea evolvantur; quarto, denique, ut laicis qui nobiscum in hoc apostolatu magno animo sese impendunt, porta aperiatur ad maiorem cum Nostris collaborationem, sive in magisterio sive in administratione sive in ipsa directione.

5. Apostolatum vero educationis, ut patet, Nostri diversimode exercere possunt, sive in centris propriis, sive collaborando cum aliis institutionibus. Magna enim datur varietas his diebus sive agitur de collegiis et universitatibus, sive de formatione opificum, sive de scholis sic dictis normalibus in quibus magistri efformantur. Quae formae apostolatus educationis a Societate adhibendae sunt secundum adiuncta concreta, quae discernere debent Superiores iuxta normas de ministeriis seligendis.

In hoc delectu nostri apostolatus educationis, ratio etiam habeatur de novis mediis communicationis socialis, praesertim de radiophonia et televisione. Haec enim media praebent aptissima instrumenta ad nova systemata et methodos paedagogicas adhibendas, quia diffusionem maximam obtinent, ad eos perveniunt qui alias privantur scholis, et ad praesentem « culturam imaginis » sunt valde accommodata.

Institutiones educativas proprias Societas habeat, ubi vires et circumstantiae id permittant et maius Dei et Ecclesiae servitium inde speretur. Etenim in illis invenitur efficacissimum instrumentum ad nostrum apostolatum educationis promovendum, nempe ad fidei et culturae synthesim efficiendam; nam per ipsas scholas obtinetur cum imprimis durabilis stabiliorque in sociali communitate praesentia, tum labor collegialiter ductus, tum per ipsos alumnos influxus in eorum familias pertransiens, ita ut schola fiat centrum apostolatus in civitate.

Si quando autem scholas claudi vel aliis tradi conveniat, quaerant Superiores, consulto loci Ordinario et approbante P. Generali, modum ad hoc faciendum aptissimum.

II. *Decretum*

6. Educationis apostolatus magni fiat a Nostris ut unum ex primariis Societatis ministeriis, speciali modo ab Ecclesia nostra aetate commendatum. Multum enim confert, per humanae culturae traditionem eiusque in Christum integrationem, ad personarum atque societatum profectum in finem a Domino intentum, « ut sit Deus omnia in omnibus » [4].

7. Caritatis officium erga homines a Christo redemptos praestare hic apostolatus intendit, ex una parte, ut fideles efformentur viri non tantum exculti, sed in vita sive privata sive civili vere christiani, qui ad hodiernum apostolatum allaborare possint ac velint; ex altera vero parte, ut non-christiani, simul cum formatione plene humana et ad populi servitium ordinata, progressive ad Dei agnitionem et amorem, vel saltem ad acceptationem valorum vere moralium, immo et religiosorum, adducantur [5].

8. Curent Provinciales, rationem habendo tum consilii peritorum tum commissionis pro delectu ministeriorum, ut educationis apostolatus, una cum aliis ministeriis, iuxta hominum, locorum et temporum adiuncta, vere et constanter aptetur. Curent etiam Provinciales ut viri vere periti in re educationali praeparentur.

9. Collaborantes cum Episcopis, aliis religiosis et ceteris civibus, vigilent Nostri ut Societatis activitas in complexum operis pastoralis et educativi totius regionis vel nationis inseratur. Immo, in mundo pluralistico, ubi dialogus fieri potest et optatur, libenter cooperentur cum aliis organizationibus, etiamsi hae neque ab Ecclesia neque a Societate dependeant. Quare considerent Nostri momentum speciale collaborandi cum iis organizationibus internationalibus quae educationem praesertim apud nationes minus evolutas promovent.

10. a) Seligantur, in quantum id fieri potest, alumni e quibus sperari potest maior profectus et validior in societatem influxus, ex quacumque sunt condicione sociali.

b) Ut hoc criterium selectionis omnibus pari iure applicetur, strenui sint Nostri in propugnandis illis requisitis iustitiae distri-

---

[4] 1 Cor 15, 28; cf. Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis*, Prooemium; *Coll.* d. 131; C.G. XXVIII d. 31 n. 1.

[5] Cf. *Coll.* d. 136 § 1; C.G. XXVIII d. 31 n. 1.

butivae secundum quae subsidia publica ita erogari debeant ut parentibus vera libertas detur pro filiis suis scholas secundum conscientiam suam seligendi [6].

c) Donec vero haec iura obtenta fuerint, ut iuvenes bonis dotibus praediti nostras scholas facile, secundum Constitutiones [7] et antiquum Societatis usum, frequentare possint, ii praesertim qui e novis nationibus veniunt, conentur omnes Nostri vel publicas vel privatas bursas scholares fundare ope nostrorum olim alumnorum vel eorum qui speciali amicitia aut apostolico zelo Societati vinciuntur [8].

11. Institutiones educativae propriae ne aperiantur nisi ubi et quando ad commune Ecclesiae bonum magnum momentum sint habiturae, et praeterea suppetat copia Nostrorum qui ad haec munia sint idonei, quin probationes aut studia Nostrorum detrimentum inde capiant [9]. Investigent Superiores utrum magis conveniat proprias scholas condere vel retinere, an potius in aliquibus adiunctis in scholis publicis vel ab aliis directis docere.

12. a) Prima Nostrorum cura sit ut discipuli christiani, una cum litteris et scientiis, doctrinam et mores qui sint christianis digni hauriant. Ad quod maxime conferet si, praeter congruum tempus tribuendum doctrinae christianae et religioni docendis, iuxta methodos modernas, curetur ut ab omnibus Nostris bonum exemplum tam operositatis et deditionis quam vitae religiosae alumnis praebeatur [10].

b) Speciali modo conari debemus ut alumnos nostros vera caritate Christi, iuxta doctrinam socialem Ecclesiae, imbuamus. Discant et ipsi opificem revereri atque gratitudine prosequi; doceantur esurire et sitire iustitiam illam quae vult ut omnibus hominibus tribuatur iusta remuneratio sui laboris, ut aequior sit distributio bonorum temporalium, pleniorque et universalior communicatio bonorum spiritualium [11].

c) Ad liturgicam et personalem orationem progressive efformentur iuvenes. Prout vero maturiores evadent, exercitia pietatis iis proponantur potius quam imponantur.

d) Selecta opera spiritualia et apostolica, quae vere sint medium efficax ad alumnos bene efformandos, ut Congregationes Marianae, rite instituantur, dirigantur atque ab omnibus magni fiant, qui-

---

[6] Cf. Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis*, n. 6.
[7] Cf. *Const.*, P. IV c. 15 n. 4 [478].
[8] Cf. C. G. XXVIII d. 31 n. 3.
[9] Cf. *Coll.*, d. 133.
[10] Cf. *Coll.*, d. 136 § 1.
[11] Cf. Ioannes XXIII, *Mater et Magistra*: A. A. S., 53 (1961) 401-464; Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 29; I. B. Janssens, Instr. de apostolatu sociali, 10 oct. 1949: Act. Rom. XI (1949) 720-721.

bus gradatim introducantur nostri alumni atque educentur in opera apostolica aggredienda.

e) Momentum speciale directioni alumnorum spirituali tribuatur, quippe quae medium sit valde utile tum ad sensum responsabilitatis ediscendum tum ad propriam vitam spiritualem ordinandam et ad voluntatem divinam de proprio statu vitae inveniendam. Sedulo quoque promoveantur omnia conamina ut vocationibus, tum sacerdotalibus tum religiosis, novum detur incrementum ad sublevandas Ecclesiae hodiernae necessitates.

f) Ad discipulos non-christianos quod attinet, curandum est per totum cursum academicum, praesertim in scientia morali docenda, ut efformentur viri et sano iudicio morali et solidis virtutibus praediti. Quare in hac educatione primatum obtinere debet efformatio tum verae rectaeque conscientiae moralis tum firmae voluntatis agendi secundum eam. Hoc enim modo optime praeparantur viri ad influxum salutarem in familiam et societatem exercendum, immo ad patriae serviendum et praemium vitae aeternae consequendum.

13. a) Meminerint Nostri munus docendi neque certo temporis spatio neque certis sodalibus esse restringendum [12]. Testimonium omnes dent vitae religiosae et apostolicae; sibi persuasum habeant opus commune successibus privatis praevalere; atque sese perpetuo renovare tum spiritu tum intellectu satagant. Ad hunc finem Superiores promoveant investigationes, experimenta, creationem novarum methodorum institutionis, et curent Nostris suppeditare bibliothecas, media audio-visualia, conferentias peritorum, accessum ad congressus, aliaque iuvamina.

b) Scholasticos autem et Coadiutores iuniores ad collegia missos peculiari cura prosequantur Superiores ac Praefecti spiritus [13]. Memores esse debent quod magisterium instituitur in profectum ipsorum, ut et eorum virtus perficiatur, indoles efformetur, dotes manifestentur et ipsi quoque in studiis proficiant. Sed etiam ratio habeatur de valido adiutorio quod ipsi praestent in labore educationis, et ideo in responsabilitate communi et in consiliis discutiendis suam quoque partem, iuxta scholarum ordinationes, habeant.

14. Pro sua parte conferat Societas oportet ad adiutorium praestandum iis plurimis filiis Ecclesiae qui in scholis non-catholicis instituuntur. Sollicitudinem quam Ecclesia de illis habet sedulo in mentem revocent Superiores. Solliciti de spirituali omnium iuvenum formatione, attente et libenter audiant eos Episcopos qui Societatis collaborationem in hoc ministerio petant, praesertim ad moderanda

[12] Cf. *Coll.* d. 142.
[13] Cf. *Coll.* d. 145.

centra catholica pro studentibus, ad munera capellanorum obeunda necnon ad docendum in ipsis scholis non-catholicis [14].

15. a) Sollicite excolantur iuvenes qui ex patria in alias regiones studiorum causa his temporibus saepe demigrant, atque ii potissimum qui, cum inter ceteros emineant, deinceps in patriam reversi, duces suae gentis futuri esse praevidentur, sive catholici sunt sive non [15].

b) Eos qui olim nostri alumni fuerunt, utpote qui fructus sunt totius nostri operis educativi, nostra conversatione prosequamur, ut christiane et apostolice in societatem inserantur, invicem in muneribus fungendis sese adiuvent atque, per vincula strictius in dies nectenda cum Societate, operibus nostris influxu suo faveant [16].

16. Scholae elementares, ubi opus sit, condi et regi possunt; sunt enim magni momenti in educatione neque Instituto repugnant. Attamen sine vera et magna necessitate non accipiantur, ne propter sociorum penuriam maius bonum impediatur. Ubi vero assumuntur, nostris sacerdotibus in quantum fieri potest ne committatur nisi religiosa institutio [17].

17. Cum tempore studiorum secundariorum multi iuvenes (12-18 annos nati) et personalitatem assumant in qua culturam humanam et vitam religiosam aut coniungant aut disiungant, et bona vel mala orientatione maxime afficiantur, perpensis argumentis quae nostris diebus adversus scholas secundarias saepius afferuntur ab iis qui sese intra ministeria pastoralia continere mallent, Societas denuo asserit iuvenum institutionem, iuxta nostri Instituti principia, etiam in docendis disciplinis sic dictis profanis, esse omnino conformem vocationi nostrae nostraeque indoli sacerdotali. Immo vero est ministerium cui Societas proprium incrementum hucusque maxime debet [18].

18. Scholae secundariae, sive novae condantur sive veteres retineantur, in dies perfectiores evadant oportet, cum paedagogice, tum ut sint culturae et fidei centra pro laicis cooperatoribus, pro alumnorum familiis alumnisque antiquis, et illorum ope pro tota regionis communitate. Foveant etiam Nostri cooperationem arctiorem cum alumnorum parentibus, quibus prima responsabilitas educationis incumbit [19].

---

[14] Cf. Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis*, nn. 7, 10.
[15] Cf. C. G. XXX d. 51 § 2.
[16] Cf. C. G. XXVIII d. 31 n. 4.
[17] Cf. *Coll.* d. 132.
[18] Cf. *Coll.* d. 131.
[19] Cf. Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis*, n. 3.

19. a) Suas singulae Provinciae habeant ordinationes de scholis secundariis, propriis necessitatibus congruentes [20].

b) Ad materias quod attinet, formatio nostrorum alumnorum ad humanitates, sive in litteris quae classicae dicuntur, sive in litteris modernis, sive in scientiis, sit secundum genuinam traditionem culturalem uniuscuiusque nationis vel regionis.

c) Porro, ubi necessitas vel magna utilitas id suadeat, aliae scholae, ut sunt technicae et agrariae, laudabiliter erigi possunt [21].

20. a) Disciplinae ita tradi debent ut multiplicitate rerum animus adolescentium non obruatur, atque omnes eorum facultates apte evolvantur et ad altiora studia disponantur. Immo, adiuventur nostri alumni ut ipsi per se progredi possint, et ut crescant in iis animi firmitas, iudicii ac sensibilitatis rectitudo, sensus aestheticus, capacitas verbo et scripto sese exprimendi, sensus communitatis et civilis socialisque officii atque intellectus ponderatio [22].

b) Quod ad docendi methodum attinet, servetur in omnibus materiis, quantum fieri potest, methodus Societatis propria, quae in Ratione Studiorum commendatur. Ideo omnes familiaria habeant ea sanae paedagogiae principia, quae a S. P. Nostro in Constitutionum Parte IV sobrie exponuntur, in ratione Studiorum evolvuntur et a scriptoribus Societatis haud paucis luculenter explicantur [23].

21. De obligatione Missae cotidianae in nostris convictibus scholarum mediarum imponenda vel auferenda Provincialium est providere, consulto Praeposito Generali, pro variis locorum atque hominum condicionibus [24].

22. Scholae quae dicuntur Apostolicae, retineri et erigi possunt ubi, omnibus perpensis adiunctis, ad maiorem Dei gloriam profuturae videantur [25]: iis autem applicentur quae praeprimis de scholis secundariis dicuntur.

23. Coeducatio in scholis secundariis ne admittatur nisi cum approbatione P. Generalis [26].

24. a) Propter momentum semper crescens universitatum et scholarum superiorum in formatione totius communitatis humanae, in iis procuranda est praesentia Societatis eiusque sacerdotum. Quare magis magisque formentur professores qui, tum in institutis a No-

---

[20] Cf. *Coll.* d. 139.
[21] Cf. *Coll.* d. 140 § 1.
[22] Cf. *Coll.* d. 140 § 2.
[23] Cf. *Coll.* d. 140 § 3.
[24] Cf. C. G. XXX d. hist. 17 n. 3.
[25] Cf. *Coll.* d. 135.
[26] Cf. C. G. XXX d. hist. 17 n. 1.

stris directis, tum etiam in aliis, non solum disciplinas superiores docere, sed etiam ad earum progressum per investigationem scientificam conferre et alumnos quosque optimos ad munus investigandi efformare valeant [27].

b) Inter facultates quae ad nostras scholas superiores pertinent, suas partes imprimis habeant theologia et philosophia, quantum pro varietate locorum conferunt ad maius Dei servitium [28].

c) Prohibitio Constitutionum ne in Iure Canonico attingatur pars illa quae foro contentioso inservit, ita intellegenda est: « nisi Generalis aliter expedire iudicaverit » [29].

25. Institutio sacerdotalis, ut opus maximi valoris, inter praecipua Societatis ministeria est annumeranda. Quapropter seminaristas qui universitates nostras frequentant Nostri speciali cura prosequantur, et seminariis clericalibus quorum directio a Societate suscipitur moderatores et magistri ex optimis viris destinentur [30]. Si autem agatur de seminariis dioecesanis, clara cum Episcopo conventio ineatur, a Sancta Sede approbanda [31].

26. Non tantum iuvenes sed adulti educandi sunt tum in progressibus suae professionis, tum in conatibus ad humaniorem magisque christianam reddendam vitam coniugalem, familiarem, socialem, tum ad meliorem fidei intellegentiam [32].

27. a) Ad mentem Concilii Vaticani II, commendatur intima collaboratio cum laicis. Nam, ex una parte, iuvamen iis praebere possumus in eorum formatione per magistrorum scholas, conventus, Exercitia spiritualia aliaque opera adaptata, et per amicale commercium vitaeque testimonium. Ex altera vero parte, considerent Nostri momentum pro ipsa Societate talis collaborationis cum laicis qui naturales pro nobis mundi hodierni interpretes semper erunt et sic efficax auxilium nobis constanter in hoc apostolatu praebebunt. Quare consideretur num ipsis tradi possint eae partes quas assumere parati sint in ipso educationis labore, sive agitur de munere docendi, sive de ipsa administratione et oeconomica et academica, sive etiam de directione [33].

b) Proderit etiam investigare utrum expediat necne instituere in aliquibus scholis superioribus nostris consilium gubernativum,

---

27 Cf. C. G. XXX d. 51 § 1.
28 Cf. *Coll.* d. 137 § 1.
29 Cf. *Coll.* d. 137 § 2.
30 Cf. Conc. Vat. II, *Optatam totius,* n. 5; *Coll.* d. 134.
31 Cf. Paulus VI, *Ecclesiae sanctae,* I, n. 30 § 1; *Coll.* d. 134.
32 Cf. Conc. Vat. II, *Gravissimum educationis,* Prooemium et n. 9.
33 Vide infra, pag. 162, decr. 33.

partim a Nostris partim a laicis compositum, ad quod responsabilitas tum dominii tum gubernationis pertineat.

28. Cum valde exoptent homines nostrae aetatis novas ampliores que intercommunicationes per quas et unio et progressus internationales foventur, Nostri vere solliciti sint ut, tum apud alumnos atque antiquos alumnos, tum apud alia communitatis socialis membra constanter promoveantur ea tentamina et media quae ad maiorem efficacioremque collaborationem inter nationes ducere possunt.

29. Nominentur Praefecti seu Directores educationis, qui et Provincialibus auxilium praestabunt in dirigendo toto opere educationis, et ita inter se coniungi poterunt ut tota Societas beneficio gaudeat studiorum et progressuum quae forsan in diversis mundi regionibus perficiantur.

30. In unaquaque Provincia vel regione habeatur consilium educationis permanens peritorum, qui Superiores in hoc apostolatu iuvent, conficiendo et constanter adaptando ordinationes de scholis nostris, propriis necessitatibus congruentes [34].

31. Ad adiuvandum P. Generalem in promovendo toto opere educativo, condatur secretariatus educationis, cuius munus sit colligere et distribuere informationes de apostolatu educationis Nostrorum necnon fovere consociationes alumnorum antiquorum eorumque periodicos congressus.

32. Abrogatur d. 141 Collectionis Decretorum.

29. - De labore et investigatione scientifica

In Ms. act. 65, 66, 68, 69, 103.

1. a) Laborem scientificum, praesertim investigationis proprie dictae, Nostri magni faciant atque inter maxime necessaria ministeria Societatis habeant. Est enim genus apostolatus valde efficax, longaevae Societatis traditioni, iam ab eius primis temporibus, omnino congruens [1], commendationibus pontificiis, praesertim hoc postremo

[34] Cf. *Coll.* d. 139; C.G. XXVIII d. 31 n. 2.

[1] Cf. CH. CLAVIUS, *Discursus de modo et via qua Societas Iesu ad maiorem Dei honorem et animarum profectum augere hominum de se opinionem, omnemque haereticorum in litteris aestimationem, qua illi multum nituntur, convellere brevissime et facillime possit*: Arch. Rom. S.I., *Hist. Soc. 5c*, fol. 185-187; S. ROBERTUS BELLARMINO, Rect. Coll. Rom. (approbante Patre Aquaviva), *Decretum de formandis magistris mathematices* (a. 1593): Arch. Rom. S.I., *Epp. NN. 113*, pag. 184; V. CARRAFA, Ad Praep. Prov. Austriae, 17 aug. 1647: Arch. Rom. S.I., *Austr 5*, pag. 1116.

saeculo pluries iteratis, plene respondens [2], et necessitatibus hominum nostrae aetatis maxime accommodatum, cum optimum sit elementum ad dialogum cum ipsis, etiam non credentibus, instaurandum et prosequendum, ad eorum fiduciam in Ecclesiam comparandam atque ad fidei et vitae synthesim elaborandam et edocendam.

b) Hoc ante omnia intellegendum est de scientiis sacris ceterisque cum ipsis directe connexis, quae in activitate scientifica Societatis primas partes obtinere debent; sed etiam de scientiis quae positivae vocantur, tum de iis quae ipsum hominem et societatem respiciunt, tum de mathematico-naturalibus necnon de technicis ex ipsis profluentibus, quae mentalitatem nostri temporis profunde informant.

2. Nostri ergo huic labori scientifico a Superioribus destinati tali muneri, quod quodammodo integrum hominem requirit, forti atque abnegato animo sese tradant; caventes autem ab illusione se aptius Deo servituros in aliis occupationibus quae magis pastorales videri possint, totam suam vitam in hoc holocausto divinae Maiestati offerant, ita tamen ut cum aliis apostolicis Societatis activitatibus connexionem non amittant; sese denique in hoc ipso labore scientifico vere religiosos atque sacerdotales viros praebere enixe conentur, illud prae oculis habentes, se talem laborem assumpsisse in oboedientiam veritatis christianae et in servitium Populi Dei, sive ad praesentiam Ecclesiae inter homines communitatis scientificae dilatandam, sive ad ditandam intellegentiam ipsius Revelationis ex progressu omnis cognitionis humanae.

3. Provinciales vero ne deterreantur ex necessitatibus aliorum operum Provinciae quominus labori scientifico tempestive et definitive eos applicent quos dispositos et etiam de peritorum iudicio vere aptos invenerint, in vita tamen religiosa bene probatos; nec ita applicatos sine gravi necessitate ab hoc labore avertant, tunc vel maxime cum iam formationis curriculum, etiam postdoctorale, perfecerint et cum fructu laborare inceperint. Cum vero plurimae ex scientiis positivis iuvenilem aetatem, ut quis in ipsis insignis evadere possit, non raro exigant, ne vereantur opportunas mutationes in cursu ordinario studiorum Praeposito Generali, si opus sit, pro ipsis proponere, ad mentem decreti de Scholasticorum institutione in studiis. Meminerint vero omnes nostri sacerdotes iis studiis applicati, eo magis se de propria scientia theologica ampla et firma debere esse sol-

[2] Cf. Leo XII, *Quod divina Sapientia*, 28 aug. 1824: Bull. Rom. Cont., VIII (Prati, 1854), 95-117; Leo XIII, *Ut mysticam Sponsam*, 14 mart. 1891: Leonis XIII P. M. Acta, XI, 60-66; Pius XI, Alloc. *Ecco dilettissimi*, 12 mart. 1934: Act. Rom. VII (1934) 643-648; Pius XII, Alloc. *Siamo particolarmente*, 29 sept. 1935: Act. Rom. VIII (1935) 84-86.

licitos quo magis in aliqua scientia profana eminuerint in hunc maxime finem ut suum scientificum apostolatum maiore cum dignitate et fecunditate exercere valeant.

4. Curent Superiores, praesertim maiores, ut illi qui scientiis colendis sint applicati, inquirendi, studendi ac scribendi labori se primario impendant: ad hoc otium et necessaria auxilia illis praebeant; ipsis agnoscant « iustam libertatem inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus peritia gaudent » [3]; consociationibus nationalibus et internationalibus de propria specializatione nomen dare illis permittant atque earum coadunationibus, cum id expedire videatur, assistere; foveant denique ut Nostri, non solum in centris propriis, sed etiam in publicis universitatibus atque scientificis institutionibus, iuxta diversarum regionum necessitatem et opportunitates, propriam operam impendant, et ita cum laicis ad totam humanam culturam spiritu christiano permeandam et mundum ad Deum finem ultimum melius ordinandum intimius collaborent.

5. Commendantur Provincialibus coadunationes periodicae parvorum coetuum e Nostris in diversis scientiis, praesertim affinibus, peritis, qui statis temporibus commercium interdisciplinare colant et, post accuratum examen status apostolatus scientifici in unaquaque regione, maiorem collaborationem omnium in scientiis laborantium inter se procurent et Superiores in laboribus scientificis « planificandis », coordinandis, aptandis, promovendis vel etiam derelinquendis consilio adiuvent, ita ut vires in hoc apostolatu impensae ad suum finem obtinendum efficacius ordinentur.

30. - De artibus in Societate colendis

In Ms. act. 112-114, 119.

I. *Introductio*

1. Ecclesia, quae semper ac summa generositate artibus favebat, nunc iterum earum momentum extollit [1]. Maximum scilicet influxum nostris praesertim temporibus opera artis exercere valent, sive ad evolutionem expressionemque personalitatis humanae, sive ad aedificationem civilis societatis, sive ad mutuam hominum unionem, quae quidem unio viam ad unionem cum Deo sternit.

Per artes enim datur accessus peculiaris ad cor humanum, quo fit ut homines saepe moveantur, non tantum argumentis rationalibus sed etiam operibus artis.

---

[3] Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 62.
[1] Cf. Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 62.

2. Sub patrocinio Societatis multi artistae eximii et non pauci ipsius Societatis sodales eminuerunt superioribus hisce saeculis in poesi, in pictura. in musica, in arte scaenica et dramatica, in architectura. Tum in mundo occidentali tum in regionibus missionum omnes hae artes ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum a filiis Societatis intense promovebantur. Quae traditio etiam in hodierna Societate continuatur, in qua plures Nostrum bonae notae artistae non solummodo artes excolunt, sed per hanc suam activitatem intellegentiam ac aestimationem magis profundam doctrinae evangelicae promovent.

II. *Decretum*

3. Congregatio Generalis XXXI, intuens simul et traditionem Societatis et signa temporum, consciaque momenti artium ad aedificationem Regni Dei, vult fovere activitatem sodalium qui hoc in campo ad maiorem Dei gloriam allaborant.

4. Tempore formationis praebeantur Nostris opportunitates artes cognoscendi et aestimandi tamquam pars institutionis generalis, ut omnes melius praeparentur ad apostolatum in societate moderna, cui apostolatui artes validum auxilium offerre possunt.

5. Curetur ut qui qualitates eximias in hoc campo ostendunt eas promovere possint, et modum discere quo activitatem suam artisticam inserere valeant in contextu vitae sacerdotalis et religiosae. In missionibus autem conentur Nostri his artibus plene uti in labore apostolico ad nuntium Christi spargendum.

6. Praeterea commendatur mutuum commercium inter sodales Societatis qui huic activitati artisticae incumbunt.

31. - De Domibus in Urbe interprovincialibus

In Ms. act. 100, 102-104, 106, 118.

1. Congregatio Generalis XXXI, attento speciali momento Pontificiae Universitatis Gregorianae necnon Institutorum consociatorum Biblici et Orientalis in servitium Ecclesiae, suas facit commendationes a Congregationibus praecedentibus factas [1], ut universa Societas haec communia opera, tum in subsidiis praebendis, tum praesertim in professoribus parandis, efficaciter adiuvet.

---

[1] Cf. C. G. XXIX d. hist. 17 n. 2; d. 32; C. G. XXX d. 18 n 1.

2. Congregatio Generalis XXXI omnibus Provincialibus illa quoque opera vel domos romanas commendat, quae sive toti Societati concreditae sunt, ut Statio Radiophonica Vaticana, Specula Vaticana et Collegium Russicum, sive bono universae Societatis inserviunt, ut Institutum Historicum Societatis Iesu et Collegium S. Roberti Bellarmino.

3. Pro operibus quorum cura et responsabilitas Societati universae per A. R. P. Generalem incumbunt, omnes Provinciae pro viribus illam responsabilitatem participare debent. Hoc vero officium Provinciales prae oculis habeant, et statutis temporibus cogitent de uno alterove socio ad ista opera destinando.

4. Commendationes A. R. P. Generali:

a) Congregatio Generalis XXXI commendat A. R. P. Generali ut fieri curet elenchum, Provincialibus communicandum, professorum et aliorum sociorum qui intra proximum triennium, quinquennium et decennium his domibus romanis necessarii fore videantur.

b) Commendatur A. R. P. Generali ut constituat « Consilium Administrativum » permanens, a quo adiuvetur in administrandis his operibus, sibi a Sancta Sede commissis, praesertim quoad opes et personas necessarias. Hoc autem Consilium includat, praeter moderatores horum operum, aliquos Provinciales ex variis regionibus.

c) Ad generaliores autem orientationes in rebus academicis iuxta temporum exigentias recognoscendas, pariter commendatur A. R. P. Generali ut constituat « Consilium pro Planificatione Academica », a quo adiuvetur in regendis operibus sibi a Sancta Sede commissis, scilicet Pontificia Universitate Gregoriana consociatisque Institutis. Huius vero Consilii, constantis ex membris istius Universitatis et Institutorum necnon ex aliis peritis sive Nostris sive externis, munus erit consilia praebere A. R. P. Generali de orientatione et « planificatione » academica horum operum, servatis statutis Pontificiae Universitatis Gregorianae et Institutorum.

d) Praeterea Congregatio Generalis commendat A. R. P. Generali ut Statuta institutionum academicarum Societatis in Urbe, cooperante collegio professorum, recognoscantur, simul vero examinetur num collegio professorum in gubernatione academica, ut in ea maiores partes habeat, votum consultivum, immo in quibusdam rebus definiendis votum deliberativum concedendum sit.

5. Ceterae quoque domus romanae quae directe ab A. R. P. Generali dependent, sed quae quarundam tantum Provinciarum curae committuntur, ut Collegia nationalia vel regionalia et « Civiltà Cattolica », commendantur pariter providentiae Praepositi Generalis et Provincialium quorum illae intersunt.

6. Opportuna cura habeatur de Fratribus Coadiutoribus qui undique ex Provinciis Romam advenerint, tam quoad linguam, quam quoad adaptationem psychologicam et spiritualem. Praeterea, si optimis servitiis Romae praestitis iterum sint ad Provincias originis regressuri, curent Superiores ut hoc opportuno tempore fiat, ut in illis et psychologicam readaptationem perficere et servitia in opere apostolatus ulterius praestare possint.

32. - De apostolatu sociali

In Ms. act. 23, 24, 32.

1. Congregatio Generalis XXXI in memoriam omnium sociorum revocare vult, apostolatum socialem intendere « quam plurimis, immo, quantum per condicionem terrenam licet, omnibus hominibus eam procurare bonorum tum temporalium tum spiritualium etiam ordinis naturalis copiam vel saltem mediocritatem, qua homo per se indiget, ne se sentiat depressum ac despectum » [1]. Latius igitur patet apostolatus socialis quam munus apud opifices similesve coetus magis indigentes ministeria exercendi vel opera socialia sustentandi; quae quidem, ad mentem Congregationum Generalium XXVIII d. 29 et XXX d. 52, impense fovenda sunt, praesertim in regionibus oeconomice minus provectis. Apostolatus autem socialis directe studet ipsas structuras humanae conviventiae omni conatu informare pleniore iustitiae atque caritatis expressione, eo fine ut omnis homo personalem sensum participationis, navitatis, responsabilitatis exercere valeat in omnibus dicionibus vitae communitariae [2].

Ex quo patet apostolatum socialem cum fine apostolico Societatis Iesu omnino congruere, eo nominatim criterio apprime ignatiano quo semper ob oculos habeatur bonum universalius magisque duraturum: sociales enim structurae maximum cotidie exercent influxum in vitam hominis etiam moralem et religiosam; « humanizatio » autem vitae socialis summopere confert ad testimonium evangelicum nostris temporibus reddendum.

2. Quae omnia eo vel magis obtinent quod his nostris diebus acumen problematis socialis ex disparitate inter diversos coetus sociales extenditur ad « globales » disparitates inter sectores vitae oeconomicae, inter regiones unius nationis, inter ipsas nationes vel nationum classes; ex altera parte, problema sociale hodiernum disparitates inter coetus diversae stirpis respicit. Neque iam agitantur tan-

---

[1] I. B. Janssens, Instr. de apostolatu sociali, 10 oct. 1949: Act. Rom. XI (1949) 714.

[2] Cf. Ioannes XXIII, *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*, passim.

tum particulares quaestiones, ut puta de salario laborisque condicionibus, de securitate familiari atque sociali, sed massiva praesertim problemata mundialia de sub-nutritione, de analphabetismo, de sub-occupatione, de super-populatione. Quo fit ut ipsa actio socialis magis magisque provectionem oeconomico-socialem vere humanam respiciat instaurandam.

Societas autem Iesu, utpote quae « in quavis mundi plaga » degat, speciali modo apta videtur quae secundum universalem hanc seu « catholicam » visionem apostolatum socialem exerceat, pro suis viribus enitendo ut minus provectae mundi regiones nationesve a provectioribus « opere et veritate » iuventur totusque universalis motus provectionis oeconomico-socialis spiritu christiano imbuatur, necnon ad praesentiam Ecclesiae conferendo in magnis tum nationalibus tum internationalibus organismis atque conventibus qui hanc provectionem promovere student.

3. Cum denique omnis forma apostolatus Societatis Iesu fluat ex eius missione « ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana », diligenter cavendum est ne apostolatus socialis ad meram activitatem temporalem reducatur, eo vel magis quod in his activitatibus homines saepe unilateralibus « ideologiis » vehementibusque passionibus afficiuntur. Numquam igitur magis quam his nostris diebus ille « universalis amor, qui partes omnes, licet sibi invicem contrariae sint, in Domino nostro amplectatur » [3], apud socios Iesu eluceat oportet, id unum spectantes ut « pacem in terris » instaurare studeant, « in veritate, in iustitia, in amore, in libertate fundatam ». Non igitur prohibentur « ea quae ad vitam publicam christianis principiis imbuendam tendant, dummodo media nostro Instituto consentanea adhibeantur » [4], sub luce doctrinae Ecclesiae et cum debita reverentia erga sacram hierarchiam [5].

4. Quo efficacius exsecutioni mandentur ea quae de apostolatu sociali in decretis Congregationum Generalium necnon in Instructione ad hoc iam dudum statuta sunt, Congregatio Generalis XXXI enixe commendat ut:

a) in programmatione nostrae activitatis apostolicae suas partes obtineat apostolatus socialis inter priora capita [6];

b) toto decursu formationis Nostrorum, tam theoreticae quam practicae, ratio habeatur huius dimensionis socialis omnis nostri apostolatus hodierni;

---

[3] *Const.*, P. X n. 11 [823].
[4] *Coll.* d. 239 § 2.
[5] Cf. C. G. XXVIII d. 29 n. 16.
[6] Cf. Ibid., n. 5.

c) socii ad hunc apostolatum specifice destinandi tempestive seligantur, inter quos ne dubitent Provinciales viros dotibus tum mentis ac iudicii tum virtutis vere eximios assignare, eosque in optimis universitatibus efformare;

d) centra socialia per Provincias vel regiones foveantur ea ratione quae aptior videatur concretis adiunctis cuiusque regionis ac temporis: curent tum investigationem, tum educationem socialem, doctrinalem ac practicam, tum actionem socialem ipsam in fraterna collaboratione cum laicis;

e) centra huiusmodi inter se habeant arcta vincula tam ad informationem quam ad omnimodam practicam collaborationem, atque talis collaboratio etiam foveatur inter centra regionum provectarum et regionum minus provectarum.

33. - De habitudine Societatis erga laicos et eorum apostolatum

In Ms. act. 63-66, 82.

1. Sacri Oecumenici Concilii Vaticani II doctrina et statuta de iusta rerum terrenarum autonomia et de indole saeculari quae laicis propria et peculiaris est [1], necnon de actuosis partibus quas ipsi in tota vita Ecclesiae gerere debent, deque eorum officio et iure ad apostolatum [2], a Societate quoque nostra exigunt ut suam habitudinem erga laicos et eorum apostolatum examinet illamque iuxta normas et spiritum eiusdem Concilii renovet.

2. Nostri omnes clariorem sibi acquirant conscientiam momenti status et vocationis laicorum eorumque apostolatus in Ecclesia, quae in pluribus campis activitatis humanae et regionibus orbis saepe tantum per laicos mundo praesens esse potest. Studeant partem propriam quam laici in missione Ecclesiae habent agnoscere et promovere, necnon eorum iustam libertatem in honore habere.

Iuvamen autem a laicis accipimus ad pleniorem mundi cognitionem et ipsius veritatis christianae intellegentiam, ad vividiorem sensum missionis nostrae « ad fidei defensionem et propagationem », simulque incitamentum ad propriam et continuam conversionem.

3. Hoc sane requirit ut, per fraternum dialogum cum laicis, eorum vitam, cogitandi et sentiendi modos, aspirationes, religiosamque mentalitatem melius perspicere satagamus. Partem congruentem habendo in variis consociationibus vel organizationibus, etiam nationalibus et internationalibus, quae in vitam socialem, scientificam, cul-

---

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Gaudium et spes*, n. 36; *Lumen gentium*, n. 31.
[2] Cf. Conc. Vat. II, *Apostolicam actuositatem*, n. 3; *Gaudium et spes*, n. 43.

turalem necnon religiosam influunt, praesto esse atque inservire possunt Nostri omnibus hominibus, etiam non credentibus.

4. In omnibus adiunctis in quibus cum laicis, sive iuvenibus sive adultis, versamur, exemplum semper praebere debemus vivae fidei, caritatis necnon genuinae erga Ecclesiam fidelitatis, testimonium eximii valoris vitae religiosae exhibentes.

5. Multiplex autem servitium laicis a nobis praestandum est. Imprimis oportet ut impensam operam demus in efformationem illorum — sive iuvenum sive adultorum — ad vitam christianam et apostolatum, eo ut ipsi iuxta exspectationem Ecclesiae suam missionem adimplere suamque responsabilitatem assumere possint.

Quibuscumque autem id iuvare potest, per specialem institutionem ac spiritualem directionem, communicanda plenius est ratio vitae evangelicae secundum Exercitia sancti Ignatii, quae statui quoque laicali valde aptantur: ita ut actus omnes vitae cotidianae, professionalis, familiaris et socialis sincero animo pleniorique libertate ad maiorem Dei gloriam ordinent, voluntatem divinam in omnibus inveniant et perficiant, atque sic etiam sese totos in servitium fratrum devoveant. Quod a nobis imprimis expectant tum Congregationes Marianae renovatae tum variae aliae associationes laicorum, vitam christianam apostolicam intense secundum hunc spiritum colere nitentes.

6. Alia ex parte, laicos in eorum apostolatu adiuvare debemus. Parati sint Nostri, in operibus quae laici ipsi promovent vel dirigunt, cooperationem suam ut consiliarii, assistentes vel adiutores praestare.

Etiam collaborationem laicorum in nostris operibus apostolicis foveamus oportet. Erga illos qui nobiscum allaborant, non tantum iustitia integre servetur, sed etiam cordialis cooperatio e caritate profluens instauretur, atque eis aptis modis ampla pateat participatio simulque responsabilitas in operibus ordinandis, gerendis ac etiam moderandis, servata sane facultate ultimae decisionis penes Societatem ubi ei sit ultima responsabilitas.

Eodem spiritu, eo ut maior respectus habeatur responsabilitatis laicorum in Ecclesia, examinet Societas an quaedam opera a nobis incepta laicis competentibus remitti debeant ad bonum Ecclesiae melius consequendum. In omnibus foveant Nostri cum laicis apostolicam fraternitatem quae unitati missionis Ecclesiae innititur.

7. Cum autem inter nos et illos laicos qui rationis nostrae vitae spiritualis nostrique modi sentiendi et agendi intimius participes facti sunt, arctior communio et consociatio exsistat, illam, salva sane iusta

libertate apostolica, manifestare sciant Nostri, fidelitatem sedulo servando atque sinceram amicitiam colendo necnon fraternam hospitalitatem active demonstrando.

34. - De laicis arctiore vinculo cum Societate devinciendis

In Ms. act. 100-103, 112.

Cum in nonnullis regionibus sint laici qui exoptent ut Societas Iesu eos sibi arctiore vinculo devinciat, quo melius propriam suam vocationem laicalem in Ecclesia ducere possint;

Cumque Societas Iesu, iuxta Concilium Vaticanum II, renovationem spiritualem et apostolicam simul et accommodationem quaerat, diversas vocationum gratias in servitium Ecclesiae et animarum discernendo;

Congregatio Generalis XXXI studium quaestionis de modo quo hoc vinculum et collaboratio magis stabilis et intima obtineri poterit Patri Generali commendat, qui rationem habebit experientiae diversarum regionum.

35. - De mediis communicationis socialis

In Ms. act. 18, 32.

1. Praesentia et influxus novorum mediorum communicationis socialis (radiophoniae, cinematographiae, televisionis) in mundo hodierno intensitate et extensione in dies augentur.

Ex una parte constituunt nostro tempore expressionis instrumenta maximi momenti ideoque nobis praebent aptissima apostolatus subsidia ad plura ministeria Societatis.

Ex alia vero parte talium mediorum diffusio in universa familia humana ita mentes et animos cuiusque aetatis et condicionis afficit, ut vere influxum sane universalem exerceant et proinde determinent quid cogitent, immo quid agant hodierni homines.

2. Unde sequitur quod haec media non amplius considerari oportet ut primario directa ad animi relaxationem, sed potius ut media expressionis et communicationis socialis in praesenti hominum rerumque condicione, quae quodammodo appellari potest « cultura imaginis ».

3. Congregatio Generalis iuxta decretum Concilii Vaticani II de mediis communicationis socialis [1] ordinationes priores recognoscens,

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Inter mirifica.*

haec de apostolatu novorum illorum communicationis mediorum commendare vult:

1° Adhibeantur haec media communicationis socialis utpote instrumenta valde efficacia in pluribus e nostris ministeriis, et speciatim in praedicatione verbi Dei et in institutione iuventutis.

2° Etiam ratio habeatur de specifica opportunitate ab illis mediis provisa, sive quaestiones tractentur, sive personae excolantur, quae non facile aliis mediis et formis apostolatus attingi valeant.

3° Provideatur ut in curriculo formationis nostrae tradatur disciplina de mediis communicationis socialis, unicuique periodo formationis accommodata.

4° Seligantur tempestive a Provincialibus aliqui qui spiritu religioso et aliis dotibus apti sint ut, vario gradu specializationis periti et titulis academicis ornati, competentes fiant in hoc apostolatu exercendo et aliis in ipso dirigendis. Ubi autem opportunum fuerit, aliquod centrum instituatur quod iuvet ad hanc specializationem acquirendam.

5° Quae ab A. R. P. Janssens de secretariatibus (mundiali, regionali et provinciali) statuta sunt, fideliter exsecutioni mandentur, utpote medium necessarium et efficax ad hoc genus apostolatus urgendum et promovendum.

36. - De Statione Radiophonica Vaticana

In Ms. act. 18, 32.

Cum operatio Stationis Radiophonicae Vaticanae concredita sit Societati specialiter a Romano Pontifice, iuvetur illa oportet personis et mediis quam aptissimis, ut suum specialem scopum adimplere possit. Congregatio Generalis Praepositum Generalem rogat ut, investigationibus quae opportunae videbuntur factis, de hoc urgenter et efficaciter curet.

37. - De informationum servitio

In Ms. act. 23.

Congregatio Generalis XXXI, prae oculis habens quanti momenti sit et Societatem et praesertim Praepositum Generalem informatos esse de omnibus quae geruntur in Societate vel extra eam, ipsius vitam aliquo modo affectantia, commendat ut P. Generalis totam quaestionem de informationum servitio tum in Curia Generalicia tum in universa Societate examini subiciat et curet specialistas efformari qui tempore opportuno centra vere efficientia informationum creare

possint. Ex altera parte « Memorabilia Societatis Iesu » revideantur, ita ut, lingua moderna edita, non solum quod « ad aedificationem fuerit » [1] praebeant, sed omne quod « notatu dignum » [2] fuerit, etiam problemata et difficultates quae sese Societati in diversis mundi regionibus offerunt.

[1] *Const.*, P. VIII c. 1, M [675].
[2] Ibid.

VI. DE CONGREGATIONIBUS

38. - De Congregatione Generali paranda

In Ms. act. 108, 109, 120.

1. P. Generalis cum Assistentibus Generalibus curam habeat de omnibus quaestionibus et problematibus quae remote spectant ad futuram Congregationem Generalem.

2. A Congregationibus Provinciarum quae praecedunt Congregationem Procuratorum vel Provincialium, praeter postulata ad P. Generalem et rationes pro cogenda vel non cogenda Congregatione Generali, expedit ut mittantur etiam quaestiones et problemata proponenda futurae Congregationi Generali.

3. Officium est P. Generalis et Assistentium Generalium curandi ut hae quaestiones et problemata, de quibus supra, sub n. 1 et n. 2, apte ordinentur et, ope peritorum, studio subiciantur et praeparentur ad futuram Congregationem Generalem. Ea indicta, haec omnia, cum studiis iam factis, omnibus Provincialibus mittantur, communicanda convenienti modo Congregationi Provinciae.

4. In Congregatione Procuratorum vel Provincialium P. Generalis, cum statum Societatis exponit, rationem habeat etiam horum problematum.

5. Sit intervallum sat longum temporis inter omnes Congregationes Provinciarum et inchoationem Congregationis Generalis.

6. Omnia postulata, cum a Congregationibus Provinciarum tum a privatis mittenda, Romam pervenire debent pluribus (saltem duobus) mensibus, ante Congregationis Generalis initium, prout adiuncta permiserint et P. Generalis vel Vicarius determinaverit. Ipsis tamen Patribus Congregatis licet postulata propria deferre ad normam Formulae Congregationis Generalis, n. 116 § 2 et n. 101 § 6.

7. Committitur P. Generali vel Vicario munus vocandi Romam peritos quam primum post indictam Congregationem Generalem, et constituendi coetus praevios ad postulata colligenda et ordinanda et ad praeparandum rerum tractandarum ordinem pro Congregatione Generali. Qui coetus praevii complendi sunt, statim post Congregationes Provinciarum, cum selectis Electoribus ex variis Assistentiis.

8. Peractis Congregationibus Provinciarum, curetur ut coetibus praeviis significetur uniuscuiusque Electoris peritia et negotiorum in-

tellegentia, quod communicetur etiam cum omnibus Electoribus, ita ut via facilior sternatur ad Commissiones de negotiis in Congregatione Generali constituendas.

9. P. Generalis vel Vicarius curet ut studia et labores a coetibus praeviis exarata et apto ordine disposita communicentur cum Provincialibus et Electoribus.

10. Cum magni momenti sit opera peritorum, convocata Congregatione Generali, cura sit P. Generalis vel Vicarii ut Romae adsit sufficiens copia peritorum, qui Commissionibus in negotiis pertractandis assistere valeant.

39. - De Congregationibus Procuratorum et Provincialium

In Ms. act. 15, 16, 42, 85, 89, 90, 93.

1. Alternis trienniis, loco Procuratorum in Provinciarum Congregationibus electorum, omnes Provinciarum Praepositi Romam in Congregationem convenient, quae vocabitur « Congregatio Provincialium »; ita triennia numerando, ut prima post Congregationem Generalem sit Congregatio Procuratorum, altera Provincialium. Omittitur tamen Congregatio Provincialium eo triennio in quo, ex numero « votorum » Congregationum Provinciarum pro cogenda Congregatione Generali, certo iam constet Congregationem Generalem esse omnino cogendam.

2. Finis huius utriusque Congregationis duplex est:

1° Suffragium deliberativum ferre de cogenda aut non cogenda Congregatione Generali;

2° Duce Praeposito Generali de statu et negotiis Societatis universim praesertim vero de universalioribus apostolatus inceptis conferre, atque, si de Provincialibus agatur, ea colloquia congressusque cum Praeposito Generali instituere, quae tanti momenti sunt ad bonam gubernationem. Nulla tamen his Congregationibus competit potestas legislativa.

3. In ferendo suffragio de cogenda aut non cogenda Congregatione Generali:

1° Provinciales tenentur ad sententiam sequendam quae in Congregatione suae Provinciae probata est, si quidem haec sententia fuerit affirmativa, id est pro Congregatione cogenda, non vero si fuerit negativa.

2° Procuratores numquam tenentur ad sententiam suae Provinciae sequendam, sed eam amplecti debent, quam, acceptis omnibus informationibus, magis in Domino ipsi probaverint.

4. In Provinciarum Congregationibus quae antecedunt Congregationi Provincialium, eligendus est ex Professis vel Coadiutoribus spiritualibus unus Relator, a Provinciali diversus, qui Praepositum Generalem per litteras certiorem faciat de rebus suae Provinciae. Prudentiae Praepositi Generalis committitur iudicare num, praeter hanc relationem scriptam, ipse Relator sit Romam advocandus.

5. Quae hic de Provinciis et de Provincialibus dicuntur, intellegenda etiam sunt de Viceprovinciis independentibus earumque Praepositis.

40. - De Congregatione Provinciae

In Ms. act. 19, 20, 22, 23, 42, 83, 85-88, 97-99, 114, 115, 119, 120, 123.

1. Ius ad Congregationem Provinciae (firmis decr. 44 n. 11 et Form. Congr. Prov. nn. 21-26) habent ratione muneris:

1° Praepositus Provincialis;

2° Superiores locales omnes, quocumque nomine appellentur, qui ordinarie a Praeposito Generali nominantur;

3° Viceprovincialis et Vicesuperiores ad normam Formulae Congregationis Provinciae.

4° Oeconomus Provinciae;

5° Consultores Provinciae.

2. Praeter eos qui ratione muneris ingrediuntur et eos qui ad normam numeri sequentis a Provinciali vocentur, in Congregationem Provinciae convenient quadraginta Patres vel Fratres, prius secundum normas quae sequuntur electi:

a) In hac electione praevia omnes sollemniter Professi et Coadiutores spirituales ac temporales formati, qui sint de Provincia, habent vocem activam, et, nisi iam ratione muneris Congregationem ingrediantur, etiam vocem passivam.

b) Electio fit per schedam Provinciali « soli » missam, in qua singuli electores possunt scribere 25 candidatorum nomina. Suffragia sint personalia, id est ex propria conscientia et cognitione data, atque coram Deo in oratione mature perpensa; licet tamen informationes sub secreto petere ab uno alterove viro prudenti. Electores autem bonum totius Provinciae et Societatis prospiciant, potius quam procurationem rerum alicuius domus aliusve partis Provinciae.

c) Suffragiorum scrutinium, sepositis eligentium nominibus, fit a Praeposito Provinciali cum Consultoribus Provinciae.

3. Praepositus Provincialis, cum suffragio deliberativo coetus scrutatorum, potest ad Congregationem vocare alios tres Patres vel Fratres, qui ingrediuntur supra numerum.

4. Dimidia saltem pars Congregandorum, iis quoque computatis qui supra numerum ingrediuntur, sint Professi quattuor votorum sollemnium. Coadiutores autem temporales formati numerum quinque ne excedant, sed unus saltem eorum Congregationi intersit.

5. In Congregatione Viceprovinciae numerus Congregandorum est viginti, praeter eos qui sive ratione muneris sive ex Vice-provincialis designatione ingrediuntur. Singuli autem electores possunt in scheda scribere 12 candidatorum nomina.

VII. DE GUBERNATIONE

41. - De munere Praepositi Generalis

In Ms. act. 3-7, 33, 34, 41, 46, 49.

1. Congregatio Generalis XXXI, re diu multumque in utramque partem discussa, confirmat Constitutiones quae praescribunt Praepositum Generalem ad vitam et non ad tempus aliquod definitum esse eligendum [1]; facta tamen facultate renuntiandi muneri ad normas retractati decreti 260 Collectionis Decretorum.

2. Decr. 260 Collectionis Decretorum ita retractetur:

§ 1. Praeposito Generali in conscientia et de iure licet gravi de causa, quae imparem laboribus sui officii eum perpetuo reddat, muneri suo renuntiare.

§ 2. Praepositi Provinciales imprimis tenentur in conspectu Dei considerare et efficere quod universali bono Societatis debent in iis quae ad Praepositum Generalem pertinent [2]; quod tamen plerumque, nisi res maxime urgeret, per Assistentes Generales praestabunt [3].

§ 3. Si Assistentes Generales, pro sua Societatis cognitione et amore, maiore saltem ex parte censuerint Praepositum Generalem gravi de causa debere muneri suo renuntiare, eum per Admonitorem moneant.

§ 4. Cum Praepositus Generalis, sive sponte, auditis autem Assistentibus Generalibus, sive ab eis monitus, opportunum censuerit muneri suo renuntiare, Assistentium Generalium et totius Societatis Provincialium suffragia de sufficienti causarum gravitate sub secreto exquirat. Quibus omnibus suffragiis coram Assistentibus Generalibus et Secretario Societatis lectis, si maior pars iudicaverit Congregationem Generalem, quae supremae gubernationi Societatis provideat, esse cogendam, eam Praepositus Generalis indicere debet.

§ 5. Renuntiatio muneris a Praeposito Generali facta vim non habet nisi a Societate in Congregatione Generali fuerit admissa [4].

§ 6. Si Praepositus Generalis, ab Assistentibus Generalibus rite monitus, muneri suo renuntiare sive non potuerit sive noluerit, et eorundem Assistentium maioris partis iudicio bonum Societatis prop-

---

[1] Cf. *Const.*, P. IX c. 1 [719-722]; PAULUS V, *Quantum religio.*
[2] Cf. *Const.*, P. IX c. 5 n. 1 [778].
[3] Cf. Ibid., n. 4 [782].
[4] Cf. C. I. C., can. 186 et 187.

ter causas graviores, quales sunt gravis aegritudo aut senium, spe emendationis ea in parte sublata, multum detrimenti pateretur [5]:

1° Congregatio ad eligendum Vicarium temporarium indicetur, secundum Formulam huius Congregationis;

2° Vicarius temporarius ita electus, consultis Assistentibus Generalibus, quamprimum Provinciales et duos Praepositos Rectoresve cuiusque Provinciae, sollemni quattuor votorum professione antiquissimos, sub secreto certiores faciat, eorumque et Assistentium Generalium suffragia exquirat quid pro bono Societatis faciendum censeant;

3° Omnibus lectis suffragiis coram Assistentibus Generalibus et Secretario Societatis, si maior pars Congregationem Generalem cogendam esse iudicaverit, eam Vicarius indicere debet; interea autem Societatem gubernet ad normam Officii Vicarii [6].

3. In decr. 262 Collectionis Decretorum addatur § 4 his verbis: Praeposito Generali ius est Vicarium Generalem adiutorem nominare, quotiescumque id sibi necessarium vel conveniens videatur.

42. - De itineribus Praepositi Generalis

In Ms. act. 15, 16, 41.

Cum itinera Praepositi Generalis ad Societatem per orbem terrarum dispersam et unionem animorum in Societate fovere et ad pleniorem rerum cognitionem conferre possint, Congregatio Generalis eidem Praeposito Generali commendat ut eiusmodi itinera interdum instituat, quibus personali et paterno cum sodalibus commercio opportunitas praebeatur.

43. - De Vicario Generali post mortem Praepositi Generalis

In Ms. act. 53, 55, 56.

1. Explicite asseratur ius et officium Vicarii Generalis post mortem Praepositi Generalis ad convocandam et parandam Congregationem Generalem secundum normas definitas a Congregatione Generali.

2. Officium Vicarii Generalis ita retractetur, ut ubi agitur de suffragio Assistentium, res intellegatur de Assistentibus Generalibus.

3. Officium Vicarii Generalis, n. 7, ita retractetur, ut Vicarius Generalis debeat habere Consultores quattuor (sensu stricto, i. e. Assistentes Generales) a Societate assignatos, et, si quis ex eis de-

---

[5] Cf. *Const.*, P. IX c. 4 n. 6 [773].

[6] Cf. *Const.*, P. IX c. 4 [766-777]; C. G. VIII dd. 28 et 29; C. G. XII d. 55.

fuerit, Substitutum designatum ad normam n. 12 Officii Vicarii Generalis.

4. In Collectione Decretorum, d. 274, ultima clausula ita retractetur, ut declaretur munus Visitatorum, mortuo Generali, durare quoadusque vel Vicarius Generalis, auditis Assistentibus Generalibus, vel novus Praepositus Generalis aliter statuerit.

5. De suffragio deliberativo Assistentium Generalium (n. 12) et de negotiis non perficiendis (nn. 8-9) melius videtur nihil immutare, praesertim exinde quod (cf. supra, n. 3) iam poterit creari Substitutus Assistentis in locum illius Assistentis Generalis qui in Vicarium fuerit nominatus vel electus.

44. - De Praepositi Generalis Assistentibus et Consiliariis

In Ms. act. 12-15, 20-22, 24-26, 30, 32.

Quo melius Societas suam erga Praepositum Generalem providentiam ad normas Constitutionum agat, et Praepositus Generalis necessario consilio ad res graves quae se offerunt ordinandas et constituendas melius adiuvetur [1], Congregatio Generalis XXXI haec quae sequuntur ad experimentum tantum statuit, proximae Congregationis Generalis iudicio subicienda.

I. *De Assistentibus Generalibus*

1. Ad exercendam providentiam Societatis erga Generalem eliguntur quattuor tantum Assistentes Generales [2].

2. Illi quattuor Assistentes Generales habent votum deliberativum vel consultivum in eis casibus in quibus ius commune etiam in Societate requirit ut Praepositus Generalis habeat consensum suorum Consultorum eosve audiat.

3. Generalis ius est et officium eis alios sufficiendi, si, auditis reliquis Assistentibus Generalibus, eos iudicat, propter notabilem virium imminutionem vel aliam rationem, ita muneri impares, ut exinde Societas grave damnum acceptura praevideatur [3].

Debet tamen Generalis quamprimum Assistentium Generalium et Provincialium approbationem petere, apta eis tradita informatione de electo.

---

[1] Cf. *Const.*, P. IX c. 4 n. 1, A [776-777]; c. 6 n. 10 [803].
[2] Cf. Ibid., c. 5 n. 2 [779].
[3] Cf. *Coll.* d. 269 § 2, 3°.

Approbatio maioris partis Assistentium Generalium et Provincialium requiritur ad validitatem. Quare, nisi postquam de ea constet, novus Assistens Generalis ius non habet ad ferendam sententiam in iis in quibus ex Instituto Assistentes habent suffragium deliberativum, neque ad Congregationes sive Generalem sive Procuratorum vel Provincialium sive ad eligendum Vicarium Generalem temporarium.

4. Si Congregatio Generalis ad negotia convocata declaret velle se ad novorum Assistentium Generalium electionem procedere, priores Assistentes ipso facto a munere cessant, sed possunt ad idem munus iterum eligi.

5. Addendum in numero 136 Formulae Congregationis Generalis: Primi duo Assistentes in eadem sessione singillatim eligentur in scrutiniis diversis et successivis; tertius in sessione sequenti; et quartus in tertia sessione.

6. Omnes dispositiones contrariae, sive in Collectione Decretorum, sive in normis Formulae Congregationis Generalis, sive in Regulis Assistentium, et nominatim in decretis 263, 268 § 1, 269 § 2, 3°, et §§ 4, 5, in Formula n. 130, suspenduntur, donec proxima Congregatio Generalis de dispositione praesenti ad experimentum inducta iudicium ferat. Decretum autem 264, ad id temporis, simpliciter suspenditur.

II. *De aliis Consiliariis Praepositi Generalis*

7. Praepositum Generalem consilio adiuvabunt:

1° Consiliarii Generales, in considerandis praesertim rebus universalibus Societatis;

2° Assistentes Regionales, in considerandis praesertim rebus diversarum regionum Societatis;

3° Consiliarii Periti, in considerandis iis rebus sive totius Societatis sive praecipuorum Societatis operum, quorum ipsi sunt periti.

Hi omnes consilium suum dare poterunt sive singuli sive in communi consultatione congregati, prout Praepositus Generalis illud ab eis exquirat.

8. Consiliarii Generales, Assistentes Regionales et Consiliarii Periti a Praeposito Generali nominantur; qui tamen, antequam Assistentem Regionalem nominet, Praepositos Provinciales illius regionis seu Assistentiae audiat, et si nominatio fiat durante Congregatione Generali, ceteros quoque eiusdem regionis seu Assistentiae Electores.

9. Omnes dispositiones contrariae in decretis Congregationum Generalium praecedentium suspenduntur, donec proxima Congregatio Generalis definitivam sententiam tulerit.

III. *De Assistentium et Consiliariorum Praepositi Generalis iuribus ad Congregationes Societatis.*

10. Assistentes Generales, Consiliarii Generales et Assistentes Regionales ius habent ingrediendi Congregationem Generalem, Congregationes Procuratorum et Provincialium et Congregationem ad eligendum Vicarium Generalem temporarium. Sed Assistentes quidem Generales Congregationem Generalem ingrediuntur pleno iure, i. e. tamquam Electores, cum iure suffragii in electione Praepositi et Assistentium Generalium; Consiliarii vero Generales et Assistentes Regionales ingrediuntur ad sola negotia. Quodsi qui ex his omnibus Assistentibus et Consiliariis durante Congregatione Generali mutentur vel officio defungantur, tam antiqui quam novi idem ius servant.

11. Consiliarii Generales et Assistentes Regionales ratione muneris ius habent ingrediendi Congregationem propriae Provinciae.

12. Consiliarii Periti ratione muneris nullum ius habent ad Congregationes Societatis.

45. - De Visitatoribus

In Ms. act. 16, 41, 53, 55, 56.

1. Decretum 274 Collectionis Decretorum ita retractetur:
Visitatores a Praeposito Generali in Provincias mitti poterunt quando, ad quod tempus, cum qua auctoritate et iurisdictione ipsi videbitur; eorumque munus, mortuo Generali, durat quoadusque vel Vicarius Generalis, auditis Assistentibus Generalibus, vel novus Praepositus Generalis aliud statuerit.

2. Congregatio Generalis Praeposito Generali commendat ut, immutato quidem manente iure nostro de Visitatoribus, hi tamen diu in munere ne maneant neve indefinita auctoritate et iurisdictione polleant.

46. - De Provincialibus

In Ms. act. 17, 18, 44.

1. Congregatio Generalis in memoriam revocat sanctum Patrem Ignatium velle quidem ut « Praepositus Generalis omnem habeat auctoritatem ad aedificationem » [1], et ab illo « ut a capite, universa facultas Provincialium egrediatur, ac per eos ad locales, per hos autem ad singulares personas descendat » [2]; velle ut « sic etiam in qua-

[1] *Const.*, P. IX c. 3 n. 1 [736].
[2] *Const.*, *P.* VIII c. 1 n. 6 [666].

vis Provincia [Praepositus Generalis] eos habeat Provinciales tam probatae fidei, ut qui intellegit, magna ex parte ex his ... bonam gubernationem Societatis pendere »[3], et « quibus multum potestatis conferre possit »[4]. Potestas autem eorum a iure sive communi sive Societatis vi muneris concessa, est « ordinaria ».

2. Hoc modo fiet ut Pater Generalis « laborem cum illis in rebus quae id patiuntur dividendo », plus otii ac temporis ipse habeat ad vacandum rebus universalioribus, « plus etiam lucis ad perspiciendum quid in illis facto opus sit »[5]; « eo melius in toto Societatis corpore subordinatio sanctae oboedientiae servetur, quo clarius intellegant inferiores se a suis immediate Superioribus pendere, et quod sibi conveniat plurimum, immo necesse sit, in omnibus eis subesse propter Christum Dominum nostrum »[6], persuasum sibi habentes « suum Superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare »[7]; atque ipsi Provinciales aliique Superiores cum maiore responsabilitatis sensu ad gubernationem sibi commissam animum applicent, non refugientes consilia seu decisiones per se ipsi capere, sed cum animi fortitudine res magnas in divino servitio aggredientes in eisque constanter perseverantes[8].

3. Proinde Provinciales diligenter audiant suos subditos eosque in Domino dirigant, ratione habita internae cognitionis quam de ipsis habent[9], praesertim Rectores et Superiores locales quos sedulo iuvare debent in munere adimplendo, fiduciam eis praebendo et amplas facultates, prout res postulet, cum eis communicando[10]; foveantque oportet in Provincia vitam religiosam, formationem Nostrorum et apostolica ministeria, semper in omnibus quaerendo maius servitium Ecclesiae Christi. Praeterea, quamquam Provinciales constituti sunt ad regendas suas particulares Provincias, « ad necessitates universae Societatis animum advertant, domus et opera interprovincialia atque internationalia partem sui officii ac suae responsabilitatis considerent, eisque, pro mensura ac ratione singulis Provinciis a Praeposito Generali accommodata, auxilium libenter suppeditent »[11].

4. Insuper, tenentur « Praepositi Provinciales in conspectu Dei considerare et efficere quod universali bono Societatis debent » in

---

[3] *Const.*, P. IX c. 6 n. 6 [797].
[4] Ibid., n. 2 [791].
[5] Ibid., n. 6 [797].
[6] *Const.*, P. II c. 1 n. 2 [206].
[7] *Const.*, P. VIII c. 1, G [667].
[8] Cf. *Const.*, P. IX c. 2 n. 5 [728].
[9] Cf. *Exam.*, c. 4 nn. 35, 40 [92, 97].
[10] Cf. *Const.*, P. IV c. 10 nn. 4, 5, B [423-425]; P. VIII c. 1 n. 4 [662]; *Epit. Inst.*, n. 822.
[11] C G. XXX d. 49 n. 2; cf. *Const.*, P. IX c. 5 n. 1 [778].

iis quae ad Praepositum Generalem pertinent [12]; id vero ordinarie praestabunt per Assistentes Generales, nisi res maxime urgeat [13].

5. Participatio vero Provincialium in gubernatione Societatis exigit ut detur « crebrior communicatio » personalis inter Generalem et Provinciales [14], atque ut P. Generalis bene « cognoscat, quoad fieri potest, conscientias Praepositorum Provincialium » [15], ita ut ex hac intima cognitione et mutua communicatione facilius ad Provinciales influxus capitis « ad praefixum ipsi [Societati] finem necessarius descendat » [16].

6. Quapropter Congregatio Generalis:

a) commendat ut augeatur personalis communicatio Praepositi Generalis cum Provincialibus, non solum eos post aliquod temporis spatium a munere suscepto Romam vocando, ut cum ipso colloqui possint, sed insuper omnes alicuius regionis vel etiam totius Societatis Provinciales, prout opportunum iudicaverit, convocando;

b) nonnulla decreta Congregationum Generalium retractavit, in quibus consensus Generalis petendus necessario requirebatur;

c) prudentiae Patris Generalis committit ut in quibusdam negotiis ampliores facultates habitualiter cum Provincialibus communicet.

47. - De Consultoribus domus et Provinciae seligendis

In Ms. act. 103, 104, 112, 121, 123.

Ut sodales partem habeant vere efficacem in Consiliorum membris seligendis [1], Congregatio Generalis decernit ut:

1° Quod ad Consultores domus attinet, Provincialis mentem sociorum domus exquirat de iis qui officio Consultoris actu funguntur vel posterius fungentur (quod generatim tempore visitationis domus commode fieri potest), et, in Consultoribus designandis, iudicio sodalium debitum momentum tribuat.

2° Quod ad Consultores Provinciae attinet, Superiores locales, auditis subditis, quibus facultatem clare faciant suam mentem exprimendi, et etiam Consultores domorum, in litteris ad Praepositum Generalem ex officio scribendis, suum iudicium mittant de Consultoribus Provinciae, utrum satisfaciant necne, et si non satisfaciunt, de aliis quos ad hoc officium aptos esse iudicent.

---

[12] *Const.*, P. IX c. 5 n 1 [778],
[13] Cf. *Const.*, P. IX c. 4, A [767]; c. 5 n. 4 [782].
[14] *Const.*, P. IX c. 6 n. 2 [791]; cf. P. VIII c. 1 n. 4 [662].
[15] *Const.*, P. IX c. 3 n. 19 [764].
[16] *Const.*, P. VIII c. 1 n. 6 [666].
[1] Cf. PAULUS VI, *Ecclesiae sanctae*, II, n. 18.

48. - De cooperatione interprovinciali

In Ms. act. 16, 24, 30, 47, 77-81, 95.

1. De cooperatione interprovinciali

A) *De cooperatione interprovinciali in genere.*

1. Promoveatur inter totius Societatis membra, cuiuscumque sunt Provinciae, illa aperta et perfecta cooperatio, ab actione apostolica magis ac magis hodie requisita, quam Concilium Vaticanum II omnibus mundi religiosis enixe commendat [1]. Quapropter Congregatio Generalis XXXI, iuxta mentem Congregationis Generalis XXX, quae in eius decreto 49 idem votum iam instanter emisit, iterum ad illam omnium Provinciarum cooperationem re et factis efficiendam socios omnes vehementius hortatur.

2. Indesinenter igitur apud nos foveatur, ab incepta iam formatione, ille spiritus unionis et caritatis qui, omnem speciem particularismi et egoismi etiam collectivi audacter reiciens, ad universale bonum Societatis militantis in Dei Ecclesia prompte ac liberaliter se extendat.

3. Ordinatio et « planificatio » omnium apostolicorum laborum sive Provinciae alicuius vel regionis sive totius Societatis multum conferre potest ad cooperationem inter opera praesertim homogenea Provinciae vel regionis vel totius Societatis.

4. Immo oportet, ne vanis verbis contenti simus, ut necessitates debiliorum Provinciarum vel Missionum quae tum mediis ac instrumentis apostolatus tum opibus et pecunia necnon praesertim et hominibus infeliciter carent, unusquisque Provincialis, ad suae Provinciae commoda non unice respiciendo, quam maxime suscipiat. Praeterea rogatur conventus omnium Provincialium ut, quoties cum Patre Generali praeside cogetur, de illa interprovinciali cooperatione explicite agat.

5. Ita, originis traditionem magnanimiter observans atque Concilii Vaticani II ex corde obsequens praescriptis, Societas nostra, tamquam corpus unicum et apostolicum, eundem et unicum finem sub Iesu vexillo efficacius prosequetur in mundo, nempe omnium hominum in Christo reconciliationem fraternam et salutem.

---

[1] Cf. Conc. Vat. II, *Christus Dominus*, n. 6; *Perfectae caritatis*, n. 23; *Ad gentes*, n. 33; Paulus VI, *Ecclesiae sanctae*, I, n. 2; II, nn. 42, 43; III, n. 21.

B) *De cooperatione oeconomica.*

6. Congregatio Generalis XXXI, considerans necessitatem huius cooperationis oeconomicae, committit Definitoribus de Paupertate ut iure novo et vere apto eam ampliorem reddant, ita ut caritas fraterna Provincialium, quae diversis modis (v. g. sustentatione Scholasticorum vel alio modo) demonstrata est, facilius et universalius exprimatur. Ne restringatur cooperatio oeconomica intra limites donationum pecuniae et opum; impleri enim etiam potest per collaborationem in methodis procurandi auxilium ab externis et in modis utendi pecunia et opibus.

C) *De cooperatione inter Provincias vicinas.*

7. Cooperationis interprovincialis magnum momentum, necessitatem et complexitatem considerans, Congregatio Generalis XXXI non vult regulis vel commendationibus rigidis vel abstractis eius progressum et confirmationem impedire, sed valde commendat ut experimenta varia a P. Generali approbentur in diversis regionibus, ita ut ad concretam, bene aptatam et efficacem cooperationem regionalem perveniatur, ex qua leges aptiores postea melius definiri possint.

D) *De principiis servandis in experimentis instituendis.*

8. Principia tamen quaedam servanda, ut progressus cooperationis interprovincialis omnino congruat cum modo gubernandi Societati proprio, atque experimenta quaedam, inter ea quae fieri possint, specialiter commendanda videntur.

1° De Provincialibus:

a) Progressus cooperationis interprovincialis ne ita multiplicatione negotiorum difficilium oneret Provinciales ut abdicent propriam responsabilitatem erga personas; inter primas eorum officii partes est ut bene cognoscant omnes qui suae Provinciae ascripti vel applicati sint, atque competenter, sincere et probe assumant decisiones quae eos et eorum ministeria tangent. Hoc est enim principium fundamentale omnis gubernationis in Societate, quae imprimis est « Societas amoris », neque constat mera administratione quamvis efficaci.

b) Quaecumque etiam sunt hae leges de cooperatione interprovinciali, inutiles evadent niis Provinciales ipsi gaudeant qualitatibus et dotibus omnino necessariis ut inter eos instaurari possit vera et fecunda collaboratio, illa scilicet mentis intellegentia quae problemata ampliora et profundiora captare possit, necnon illis indolis donis specialibus quae relationes inter pares faciles et sinceras red-

dant. Immo has qualitates prae oculis habeat Praepositus Generalis in nominandis Provincialibus.

2° De coetu Provincialium:

a) Conventus Provincialium habeantur statim ac cooperatio interprovincialis incipitur, quicumque est huius cooperationis modus. Hi enim conventus maximopere fovent comprehensionem mutuam, et apti sunt ut unusquisque ex Provincialibus intellegat problemata aliorum et omnes simul problemata communia. Tali ratione definiri potest bonum commune totius regionis eodemque modo promoveri.

b) Benefica esse potest, saltem aliquoties, praesentia Assistentis Regionalis in hisce conventibus, propter eius cognitionem complexivam totius regionis, ut et conventus ad suos fines consequendos Assistentis consiliis ac iudicio iuvetur, et ipse ad pleniorem informationem Praeposito Generali procurandam aptus fiat.

c) Coetus Provincialium Praeses esse poterit unus ex Provincialibus, qui per breve tempus, v. g. per annum, exerceat hoc officium, et qui etiam de conventuum Provincialium praeparatione, convocatione et conclusionum exsecutione, ope cuiusdam secretarii, curam agat, secundum necessitates obiectivas vel praescriptiones a coetu definitas.

d) Ad cooperationem interprovincialem melius fovendam, valde conferre potest ut periti quidam assignentur pro diversis quaestionibus investigandis et instruendis, v. g. in « planificatione apostolica », in re sociali, educationali, pastorali etc..., qui in aliquibus commissionibus interprovincialibus consocientur et ad conventum Provincialium advocari possint, vel relationem scriptam mittere, quo decisiones interprovinciales, quae saepe maioris momenti sunt, modo magis obiectivo et necessitatibus aptiores fiant.

e) Coetus Provincialium nullam auctoritatem iuridicam in Societate habet. Etiamsi Provinciales in quadam decisione concordent, haec non valet nisi ex auctoritate uniuscuisque Provincialis, salva tamen approbatione P. Generalis, prout a quaestionis natura vel momento requiratur. Si autem Provinciales inter se non consentiunt, res referatur ad Generalem vel ad illum de quo agitur in n. 3° et cui decisionis potestas collata est iurisdictione propria vel delegata.

3° De delegationibus auctoritatis a P. Generali datis:

a) Negotia interprovincialia, in quantum Provincialium potestatem excedunt, solvit Praepositus Generalis, vel ipse per se, vel per viam delegationis.

b) Ad negotium quoddam peculiare solvendum delegatio uni ex Provincialibus aliive Patri conferri potest a P. Generali. Iis autem

quorum officium proprium est consilii penes Generalem, ne crebrius delegetur talis auctoritas.

c) Quando negotia interprovincialia ita multiplicantur ut eorum solutio per media supra dicta difficilior fiat, necesse est ulterius procedere et experimenta profundiora vel etiam nova instituere, v. g. per delegationes auctoritatis a Praeposito Generali collatas et definitas sive Patribus diversis secundum quaestionum varietatem et prout exigit earum momentum vel urgentia sive uni tantum Patri, quo magis complexiva ratione provideat bono communi totius regionis.

d) Hi autem diversi modi vel alii ulterius promovendae cooperationis interprovincialis ita semper ordinentur ut in regione bonum commune et actionis unitas apte procuretur, Provinciales efficaciter adiuventur, et iura omnium sociorum plene serventur (illa nominatim ratione quae supra, sub n. 1°, a, memoratur).

II. De domibus communibus

9. P. Generali committitur ordinatio de domibus communibus statuenda, ita ut normae paulatim ex concreta experientia efformentur cum ea flexibilitate et adaptatione quae finibus illarum domorum requiritur.

III. De domibus in alienae Provinciae territorio erigendis

10. Decr. 275 § 2 Collectionis Decretorum ita retractetur:

Non possunt in eodem territorio constitui plures Provinciae pro diversitate sermonis seu nationis, neque communiter diversarum Provinciarum domus; Generalis autem, in favorem illorum qui pro Christo persecutionem patiuntur, vel ob alias graves causas, auditis Provincialibus quorum interest, concedere potest, sub condicionibus ab ipso approbandis, ut in territorio alicuius Provinciae erigantur domus alterius Provinciae.

VIII. APPENDIX

49. - De secunda sessione seu periodo Congregationis Generalis XXXI

In Ms. act. 41, 42, 44, 46, 49.

1. Congregationi Generali visum est secundam eiusdem Congregationis sessionem ita decernere ut:

1° Dies 15 iulii tamquam ultima dies primae sessionis statuatur;

2° Altera sessio mense septembris, 1966, inchoetur.

2. § 1 - Commissiones quae iam constitutae sunt manent immutatae.

§ 2 - Constituitur Romae commissio coordinans, cuius membra sunt A. R. P. Generalis, PP. Assistentes Generales, Praesides commissionum, et Secretarius Congregationis Generalis.

§ 3 - A. R. P. Generalis, auditis membris commissionis coordinantis, commissionem specialem constituat quae rationem agendi (proceduram) pro sessione secunda conficiat.

§ 4 - Commissionum modus agendi inter sessiones substantialiter idem erit atque in prima sessione, et commercio epistolari absolvetur parvis coetibus interim convocandis.

§ 5 - Constituatur commissio specialis duodecim vel quindecim Patrum, qui statutis temporibus conveniant ad relationes perficiendas, animadversiones colligendas et elaborandas, iudicia definitiva paranda.

3. § 1 - A. R. P. Generalis facultatem habet Provinciales, ex causa proportionate gravi, ante finem Congregationis Generalis mutandi.

§ 2 - Provinciales qui inter duas sessiones munere suo defuncti fuerint ius suum in ordine ad secundam sessionem retinent.

§ 3 - Provinciales vero qui tempore intermedio constituti fuerint ad alteram sessionem tamquam Electores vocandi sunt.

§ 4 - Praescripta §§ 1-3 huius articuli pro hac tantum vice statuta intelleguntur.

4. Provinciae, quae expensis secundae sessionis multum oneratae erunt, ab Oeconomo Generali apto modo adiuventur.

50. - Mutationes Formulae Congregationis Generalis secundum ea quae a Congregatione decreta sunt

In Ms. act. 11, 12, 17, 48, 58-60, 66, 114, 115, 120.

n. 7. - § 1. Ad sola negotia, id est ordinarie post peractam electionem Generalis, admitti debent habentque deinceps ius suffragii ferendi ad omnia praeterquam ad electionem Assistentium Generalium:

1° Consiliarii Generales;
2° Assistentes Regionales;
3° Secretarius Societatis;
4° Procurator Generalis;
5° Oeconomus Generalis;
6° Praepositi Viceprovinciarum et Superiores Missionum ius mittendi Electorem habentium, in quibus Congregatio haberi non potuit, si forte ipsi non sint quattuor votorum sollemnium Professi;
7° Procuratores qui vocati sunt a Praeposito Generali ad maiorem rerum cognitionem habendam, vel qui missi fuerint a suis Provincialibus cum approbatione Generalis, saltem subsecuta eorum missionem.

§ 2. Si durante Congregatione Generali aliqui vel omnes Consiliarii Generales aut Assistentes Regionales mutentur, qui novi nominantur, statim acquirunt ius de quo in § 1, 2° et 3°, qui autem officio defunguntur, pro illa quidem Congregatione hoc ius non amittunt.

n. 25. - § 3. Acta in Congregatione cum aliis extra Congregationem nemo communicet nisi secundum normas quas Praepositus Generalis vel Vicarius Generalis statuerit et Congregatio approbaverit.

n. 56. - § 2 (*addenda*), Deinde approbationi Congregationis proponantur ordo et modus agendorum die electionis secundum id quod statuerit Vicarius Generalis, auditis Assistentibus Generalibus et attentis normis Constitutionum, traditione Societatis et adiunctis temporum.

nn. 71 - 88 *omittantur.*

n. 116. - § 1. Postulata ad Congregationem Generalem deferre possunt, non modo Congregationes Provinciarum, verum etiam omnes de Societate; ne vero absque ratione proportionata, in ipso postulato exprimenda, Congregatio Provinciae praetermittatur.

§ 2. Postulatum quod legem aliquam tangat, debet exponere incommoda secuta vel secutura ex eiusdem legis observatione, et postea tantum aut remedium petere aut solutionem proponere.

§ 3. Rebus quae in Congregatione tractantur, nullo pacto se immisceant qui non sunt de Congregatione, neve Congregatis memorialia informationesve obtrudant, vel ut hanc illamve sententiam sequantur sollicitent.

n. 116 bis. - § 1. Postulatis suis subscribere non tenentur Patres Congregati, dummodo ea Secretario Congregationis vel alicui ex Deputatis ad secernenda postulata ipsi deferant; secus subscribere tenentur, sicuti ii qui non sunt de Congregatione.

§ 2. In omnibus autem postulatis requiritur:

1° ut latine conscribantur;

2° ut debita gravitate polleant ac reverentiam erga Institutum exhibeant; ad quod plurimum proderit ut Instituti minus periti petant consilium peritorum [1];

3° ut postulata singula in separatis foliis exhibeantur, additis nitide et concinne praecipuis rationibus; minime tamen prohibetur quominus argumentum postulati plenius in aliis foliis adiunctis explicetur.

n. 118. - § 1. Ea Instituti praescripta quae ad ius pontificium sive commune sive Societatis proprium pertinent, a Congregatione mutari non possunt, nisi ad ea mutanda Societati a Sancta Sede facultas concessa fuerit. Tractare autem de eis licebit, si prius Congregatio ad plura medietate suffragia tractandum esse statuerit; ante suffragationem praeviam Commissionibus fas erit sensum et argumenta postulatorum exponere. Peracta disceptatione, Sancta Sedes ne adeatur ut aliquid ex illis praescriptis mutet, nisi duae tertiae partes Congregandorum de hac re consenserint.

§ 2. Constitutiones sancti Fundatoris nostri, in iis quidem quae substantialia non sunt, a Congregatione mutari possunt [2]. Ne autem de illis mutandis tractetur nisi postquam Congregatio ad plura medietate suffragia tractandum esse statuerit. Commissiones tamen ante hanc praeviam suffragationem possunt sensum et argumenta postulatorum exponere. Decretum vero de eiusmodi mutatione inducenda non valebit nisi ad duas tertias partes suffragiorum approbatum fuerit.

n. 124. - Decreta omnia ad plura medietate suffragia ferantur, salvis praescriptis n. 118.

---

[1] Vide supra, pag. 55, decr. 4 n. 3 (Decr. 12 § 1 et Decr. 15 § 2).

[2] Vide ibid. (Decr. 14 § 3).

51. - Mutationes Formulae Congregationis Provinciae secundum ea quae a Congregatione decreta sunt

In Ms. act. 19-25, 42, 58-60, 66, 83, 85-91, 97-99, 107, 114, 115, 119, 120, 123.

n. 3. - § 7 (*addenda*). Si neque Congregatio Provinciae haberi neque Praepositus Provincialis, propter religionis insectationem similesve adversas rerum condiciones, aliquem de Provincia suo loco ad Congregationem Generalem mittere vel ad munus Relatoris designare possit, Praepositus Generalis, auditis Assistentibus Generalibus, vel Vicarius Generalis, iisdem consentientibus, aliquem Professum quattuor votorum de illa Provincia nominet sive Electorem, qui loco Provincialis Congregationem Generalem pleno iure ingrediatur, sive Procuratorem ad Congregationem Procuratorum.

n. 6. - § 1. Ius ad Congregationem Provinciae habent ratione muneris:

1° Praepositus Provincialis;

2° Superiores locales omnes, quocumque nomine appellentur, qui ordinarie a Praeposito Generali nominantur;

3° Viceprovincialis et Vicesuperiores, sed ad normam tantum nn. 24-26;

4° Oeconomus Provinciae;

5° Consultores Provinciae.

§ 2. Nullum ius habent solius muneris ratione:

1° Socius Praepositi Provincialis;

2° Instructor tertiae probationis;

3° Magister noviciorum.

n. 7. - § 1. Praeter eos qui ratione muneris ingrediuntur et eos qui ad normam § 6 a Provinciali forte designantur, in Congregationem convenient quadraginta Patres vel Fratres praevie electi.

§ 2. In hac electione praevia:

1° Vocem activam habent omnes sollemniter Professi et Coadiutores spirituales ac temporales formati qui sint de Provincia, ad normam n. 7 bis.

2° Vocem passivam habent iidem, nisi iam ratione muneris Congregationem ingrediantur, et firmis praescriptis n. 13.

3° Electio fit per schedam scriptam, Provinciali « soli » in duplici involucro missam; nomen eligentis scribendum est in involucro interiore, non vero in ipsa scheda.

4° Singuli electores possunt in scheda scribere viginti quinque candidatorum nomina; si quis autem paucos tantum socios Provinciae cognoscat, satis habet aliquot tantum nomina scribere, etiamsi numerum praefixum non compleat.

5° Electores bonum totius Provinciae et Societatis prospiciant, potius quam procurationem rerum alicuius domus aliusve partis Provinciae.

6° Suffragia sint personalia, id est ex propria conscientia et cognitione data, atque coram Deo in oratione mature perpensa. Secreta servanda sunt; licet tamen electori informationem sub secreto petere ab uno alterove viro prudenti.

7° Nemo informationes obtrudat non petenti.

§ 3. Ad validitatem electionis praeviae non requiritur ut omnes et singuli qui vocem activam habent, nuntium de electione facienda opportune acceperint, neque ut duae tertiae eligentium partes responsum dederint.

§ 4. Suffragiorum scrutinium, sepositis eligentium nominibus, fit a Praeposito Provinciali cum quattuor Consultoribus Provinciae. Hic coetus scrutatorum ius habet dirimendi dubia de validitate totius suffragationis et uniuscuiusque suffragii.

§ 5. Post scrutinium edatur elenchus eorum tantum qui ex tota Provincia electi fuerint, nulla ratione habita domus ad quam quisque pertinet.

§ 6. Praepositus Provincialis, cum suffragio deliberativo coetus scrutatorum, potest ad Congregationem vocare alios tres Professos vel Coadiutores spirituales vel temporales formatos, qui in elencho scribentur nomine « Designatorum a Provinciali »; ad hoc autem Provincialis non tenetur. Ita designati Congregationem ingrediuntur supra numerum, ius autem habent non solum ad negotia sed etiam ad electiones in Congregatione faciendas.

§ 7. Dimidia saltem pars Congregandorum, iis quoque computatis qui supra numerum ingrediuntur, erunt Professi quattuor votorum sollemnium. Coadiutores temporales formati numerum quinque non excedent, sed unus saltem eorum Congregationi interesse debet.

N. B. Ulterius etiam, ad normam decreti 52, definiendum est quid sit agendum cum numerus eorum qui in electione praevia electi fuerint, non sufficiat ad complendum praefixum numerum quadraginta Congregandorum.

n. 7 bis (*antiquae §§ 2-5 numeri* 7).

n. 8. - §§ 1-2 *omittantur.*

n. 10 *omittatur.*

n. 16. - § 1. De impedimentis Congregandorum ante inchoatam Congregationem iudicabit Provincialis cum quattuor ex iis qui ad indictam Congregationem ius ex officio habent et commode vocari possunt.

n. 21. - In propria Provincia vocem activam et passivam retinent qui Curiae Generaliciae vel domui aut operi a Generali immediate dependenti assignantur. Secretarius quidem Societatis, Consiliarii Generales, Assistentes Regionales, Procurator Generalis et Oeconomus Generalis necnon Superior huiusmodi domus ius ex officio habent ad ingrediendam Congregationem propriae Provinciae. Omnes tamen ab obligatione adeundi Congregationem a Praeposito Generali dispensari possunt.

n. 28. - § 2. Omnibus autem licet ea quae volunt, privato nomine, Consultoribus, Superiori vel cuilibet ad Congregationem vocato offerre, aut ad Congregationem ipsam mittere, observatis praescriptis n. 74 §§ 2-7.

n. 29. - § 2. Prior ita conficiatur, ut, post Provincialem, describantur ii qui ultima vota emiserunt, secundum antiquitatem huius suae definitivae incorporationis in Societatem, nulla servata praecedentia gradus vel muneris; et si plures eodem die ultima vota nuncuparunt, praeferatur antiquior in religione, deinde provectior aetate; et si in iis omnibus fuerint aequales, ante singulas Congregationes Provinciae, res sorti committatur a Provinciali coram Consultoribus Provinciae. Scholastici vero, si qui sint, inscribantur secundum antiquitatem religionis.

n. 39. - § 2 *omittatur* (*firmis praescriptis n. 86*).

n. 43. - § 3. Acta in Congregatione cum aliis extra Congregationem, praeterquam Electis eorumque Substitutis a Congregatione forte absentibus, nemo communicet nisi secundum normas ad proxime praecedentem Congregationem Generalem latas, salva Praepositi Generalis vel Vicarii Generalis facultate has normas ad proprias Congregationis Provinciae condiciones ulterius accommodandi.

n. 55. - Octavo, statim ac duo Deputati electi fuerint, assignetur, ad plura medietate suffragia non secreta, dies in quo Mittendorum fiat electio; quae si postponenda videatur, nihil impedit quominus ante eam negotia tractentur.

n. 74. - § 1 (*manet*).

§ 2. Postulata haec:

1° Si ad Congregationem Generalem destinantur, apta sint ad Institutum conservandum, promovendum, accommodandum.

2° (*manet*).

§ 3. Congregationi Provinciali fas non est agere de personis; quodsi occasione negotiorum personae indirecte tangi debeant, id debita ac religiosa cum modestia fiat.

§ 4. Congregationi Provinciali agere licet:

1° De substantialibus seu fundamentalibus Instituti, quotiescumque rationes graves adsint [1], quae eo graviores esse debent, quo magis negotium tangat intimam nostram vivendi et operandi rationem [2];

2° De ceteris nostris legibus, eadem mensura proportionis servata [3].

§ 5. Postulatum quod legem aliquam tangat, debet exponere incommoda secuta vel secutura ex eiusdem legis observatione, et postea tantum aut remedium petere aut solutionem proponere.

§ 6. Postulatis suis subscribere non tenentur Congregati, dummodo ea Secretario Congregationis vel alicui ex Deputatis ad secernenda postulata ipsi deferant; secus subscribere tenentur, sicuti ii qui non sunt de Congregatione [4].

In omnibus autem postulatis requiritur:

1° ut latine conscribantur, nisi a Coadiutoribus temporalibus delata fuerint; iisque addatur versio vernacula ipsius postulati et summarii saltem totius argumenti;

2° ut debita gravitate polleant ac reverentiam erga Institutum exhibeant; ad quod plurimum proderit ut Instituti minus periti petant consilium peritorum [5];

3° ut postulata singula in separatis foliis exhibeantur, additis nitide et concinne praecipuis rationibus; minime vero prohibetur quominus argumentum postulati plenius in aliis foliis adiunctis explicetur.

§ 7. Rebus quae in Congregatione tractantur, nullo pacto se immisceant qui non sunt de Congregatione, neque Congregatis memorialia informationesve obtrudant, vel ut hanc illamve sententiam sequantur sollicitent [6].

n. 76. - Postulata omnia ad Congregationem delata, cum rationibus ab auctore postulati additis, cum Congregatis communicentur, iisque significetur quaenam a Deputatione admissa fuerint, quaenam vero reiecta.

n. 81. - § 2. Ut vero a Congregatione approbatum censeatur aliquod postulatum de mutandis substantialibus seu fundamentalibus Instituti vel iure pontificio Societatis proprio vel Constitutionibus, duplex requiritur suffragatio: prior, ad plura medietate suffragia,

---

[1] Vide supra, pag. 55, decr. 4 n. 3 (Decr. 15 § 1).
[2] Vide ibid. (Decr. 12 § 1 et Decr. 15 § 2).
[3] Vide ibid. (Decr. 14 §§ 3-5).
[4] Cf. C. G. XXIX d. 38 n. 28 § 1.
[5] Vide supra, pag. 55, decr. 4 n. 3 (Decr. 12 § 1 et Decr. 15 § 2).
[6] Cf. C. G. XXIX d. 38 n. 28 § 2.

num de ea re agendum sit; altera, ad duas tertias partes, num ipsa res proposita sit approbanda. Ante primam tamen suffragationem licet exponere sensum et argumenta postulatorum.

n. 86 bis. - Curet Praepositus Provincialis ut is qui postulatum ad Congregationem Provinciae miserit, de exitu suae postulationis opportune edoceatur, saltem si postulatum reiectum fuerit.

n. 92. - § 3. (*Addendum in fine*): a) Si neque Congregatio Viceprovinciae vel Missionis haberi neque Praepositus Viceprovinciae vel Superior Missionis, propter religionis insectationem similesve adversas rerum condiciones, aliquem Professum suo loco mittere possit, servetur norma n. 3 § 7.

§ 4. (*Addendum in fine*): 3° Si neque Congregatio Viceprovinciae vel Missionis haberi neque Praepositus Viceprovinciae vel Superior Missionis, propter religionis insectationem similesve adversas rerum condiciones, aliquem sacerdotem mittere possit, servetur norma n. 3 § 7.

n. 93. - § 1 (*manet*).

§ 2. Praeter eos qui ratione muneris ingrediuntur et eos qui ad normam § 3 a Praeposito Viceprovinciae vel Superiore Missionis forte designantur, in Congregationem convenient viginti Patres vel Fratres praevie electi secundum normas n. 7 §§ 2-5, nisi quod singuli electores in scheda scribere possunt duodecim tantum candidatorum nomina.

§ 3. Praepositus Viceprovinciae vel Superior Missionis potest ad Congregationem vocare alios tres Patres vel Fratres ad normam n. 7 § 6.

§ 4. Dimidia saltem pars Congregandorum, iis quoque computatis qui supra numerum ingrediuntur, erunt Professi quattuor votorum sollemnium. Coadiutores temporales formati numerum quinque non excedent, sed unus saltem eorum Congregationi interesse debet.

52. - De Formulis Congregationum perficiendis

In Ms. act. 118, 119, 123.

Ad Formulas Congregationum quod attinet, Congregatio Generalis XXXI:

1° Mandatum et facultatem dat Praeposito Generali ut, cum voto deliberativo eorum Patrum Curiae Generalis qui ius ex officio ad Congregationem Generalem habent:

a) quaestiones, quae necessario exorientur, de proximis Congregationibus Provinciarum, Procuratorum et Provincialium, cum

auctoritate solvat, Formulas harum Congregationum accommodando et, quoad opus erit, etiam mutando;

b) quaestiones iuridicas in ordine ad proximam Congregationem Generalem eiusque Formulam aut ad tempus solvat aut ita parandas curet, ut Congregatio Generalis XXXII iam ab initio eas solvere possit.

2° Eidem Praeposito Generali commendat ut decisiones ita factas et quaestiones solvendas cum Patribus Congregationis Generalis XXXII tempestive ante Congregationem initam communicet.

53. - De Catalogo Censurarum et Praeceptorum

In Ms. act. 110, 111, 119.

Congregatio Generalis, cum exoptet ut universae leges Societatis observentur quidem sed iuxta spiritum et finem propositum a sancto Patre Ignatio, ita ut « loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis, et ut maior gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur » [1], poenas canonicas et praecepta oboedientiae in Catalogo Censurarum et Praeceptorum Nostris impositorum [2] recognoscenda esse decernit. Quapropter sequentes facultates A. R. P. Generali praesenti decreto delegat:

1° ut secundum eius prudens iudicium, cum voto deliberativo eorum Patrum Curiae Generalis qui ratione muneris ius habent ad Congregationem Generalem et auditis in re peritis, poenas canonicas et praecepta quae iure proprio Societatis imponuntur, abrogare possit;

2° ut sub iisdem condicionibus potestatem habeat abrogandi poenas in Constitutionibus statutas [3], necnon facultatem ut possit a Sancta Sede, nomine Societatis, petere abrogationem poenarum iure pontificio particulari statutarum [4].

54. - De praevia censura librorum

In Ms. act. 111, 119.

1. Ut efficacius prospiciatur apostolatui intellectuali per scripta et alia media communicationis socialis a Nostris debita cum libertate et responsabilitate exercendo, attentis simul securitate doctrinae

---

[1] *Const.*, P. VI c. 5 [602].
[2] Cf. *Coll.* dd. 303-315.
[3] Cf. *Const.*, P. VIII c. 6 n. 2, A [695-696]; *Coll.* d. 303 § 2.
[4] Cf. S. Pius V, *Aequum reputamus*; Gregorius XIII, *Ascendente Domino; Coll.* d. 307 § 1. Et vide supra, pag. 56, decr. 4 n. 4.

et bono Ecclesiae et Societatis, Congregatio Generalis XXXI A. R. P. Generali commendat et, quatenus opus sit, facultatem tribuit ut, retento principio generali Constitutionum de praevia censura librorum, normas tamen particulares nostri iuris per modum experimenti pro suo prudenti iudicio et auditis peritis et Assistentibus Generalibus accommodet.

2. In eundem finem expediet ut coetus Provincialium sive Assistentiae sive regionis vel nationis, consultis peritis, accommodationes A. R. P. Generali proponat, quae peculiaribus condicionibus et casibus propriis aptiores visae fuerint.

55. - De quibusdam Decretis abrogandis vel retractandis

In Ms. act. 17, 18, 44, 120, 121, 123.

1. In Collectione Decretorum abrogantur decreta 21, 75 § 3, 78 § 1, 231, 232, 290, 293; ita tamen ut normae in eis contentae vigere pergant ad modum Ordinationum Patrum Generalium [1], donec Praepositus Generalis aliud statuat.

2. Decretum 75 § 3 Collectionis Decretorum ita retractetur:

Litterae ab Admonitore Praepositi Provincialis datae vel acceptae non subiciuntur censurae eiusdem Provincialis.

3. In decr. 212 Collectionis Decretorum haec verba addantur:

Generalis tamen facultatem approbandi delineationes novi aedificii construendi cum Provincialibus communicare potest.

56. - Facultates Praeposito Generali concessae

In Ms. act. 123.

1. Ad opus legislativum Congregationis Generalis XXXI rite perficiendum, Praeposito Generali, cum voto deliberativo eorum Patrum Curiae Generalis qui ius ex officio habent ad Congregationem Generalem, et firmis facultatibus quae in aliis decretis ei tribuuntur, datur facultas abrogandi vel obrogandi decreta praeteritarum Congregationum Generalium quae cum decretis huius Congregationis Generalis XXXI minus consonare videantur.

2. Praeterea Congregatio Generalis XXXI Praeposito Generali concedit:

---

[1] Cf. *Coll.* d. 4.

1° Ut Collegia et Domos Professas, necessitate cogente, ipse dissolvere possit, cum suffragiis tamen deliberativis eorum Patrum Curiae Generalis quibus ex officio ius est ad Congregationem Generalem, et Praepositi illius Provinciae in qua domus dissolvenda sita est.

2° Ut Acta quarundam sessionum, quae Patribus Congregatis tradi non potuerunt, a Praeposito Generali et Assistentibus Generalibus approbentur.

3° Ut quod ad decreta quae finita Congregatione promulganda sunt, eidem Praeposito Generali liceat:

a) Correctiones inducere quae evidenter necessariae forent;

b) Aliquam contradictionem, si qua deprehenderetur, ad mentem Congregationis componere, auditis tamen cum voto deliberativo iis Curiae Generalis Patribus, qui ratione muneris ius habent ad Congregationem Generalem;

c) Decretorum stilum perpolire;

d) Varia decreta, si opus est, in unum decretum coniungere, servato tamen uniuscuiusque tenore;

e) In promulgandis decretis, praesertim decreto de novis normis de promotione ad ultima vota, attenta natura rei, opportunam legis vacationem statuere.

DOCUMENTA AD CONGREGATIONEM GENERALEM PERTINENTIA

1. ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS PAULI VI AD PATRES CONGREGATOS
die 7 maii 1965

Dilecti Filii,

Sincero animo et bene ominatis verbis salvere iubemus vos, dilectissimi Nobis sodales Societatis Iesu, quos hodie coram excipere gaudemus.

Romam vos una simul idcirco convenistis et congressi estis, ut ex praescripto primariae legis Societatis vestrae, postquam terrestri vita functus est Ioannes Janssens, Generalis Praepositus vester, quem vobiscum mortuum deflemus, ad alium deligendum, qui in eius locum succederet, religiosae communitatis vestrae praesidum coetum cogeretis. Arduum hoc est munus, praegravis momenti negotium, quo prosperitas, emolumentum, salus et progressio religiosi Instituti vestri continetur.

Quapropter sano et considerato iudicio, tranquillo sagacis prudentiae consilio omnia librate quae ad rem feliciter explendam pertinent, et, quod potissimum est, puris et ardentibus votis Divini Spiritus invocate lumen ductumque, ut suffragia vestra cum Dei voluntate conspirent: « Ostende quem elegeris » [1].

Nos autem, sollicitudinis vestrae admodum participes, dum precibus vestris Nostras adiungimus, optamus cupimusque vehementer, ut deligendus optimi cuiusque exspectationi par sit, et necessitatibus, in quibus religiosa familia vestra versatur, plene planeque suppetat.

Quali singulari natura et indole, quali efficientia actuosae virtutis Ignatius, sanctissimus legifer pater vester, Societatem vestram voluerit praeditam esse, inter omnes constat. Societatem Iesu, quam et magnanimo et divino quodam instinctu condidit, is voluit cumprimis catholici nominis esse robur solidissimum et Apotolicae Sedi addictum deditumque agmen, exercitata virtute instructum.

Vestrum profecto pernobile insigne, laus vestra perillustris, dos praeclara est « sub Crucis vexillo Deo militare et soli Domino ac

[1] Act 1, 24.

Ecclesiae ipsius sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, servire »[2]. Quo in servando sacramento militiae, si alii religiosi sodales fideles debent esse, vos autem fidelissimi, si alii fortes, vos fortissimi, si alii lecti, vos lectissimi.

Incliti historiae vestrae annales luce clarius ostendunt sanctissimi Parentis placitis filiorum proposita moresque congruisse ac nomen decusque legionis semper fidelis in catholicae fidei et Apostolicae Sedis tutelam vos meruisse.

Vestri Sancti Martyres, Confessores, Ecclesiae Doctores Petrus Canisius et Robertus Bellarmino, innumerus numerus piorum, doctorum strenuissimorumque virorum, quibus sicut caelum sideribus Ordo vester collustratus est, quemadmodum factis dictisque hoc docuerunt, ita iter post futuris ad eadem premenda vestigia exemplum et incitamentum reliquerunt numquam periturum.

Vitae vestrae tenor, qualis addecet bonos milites Christi, operarios strenuos nec umquam reprehendendos, firmiter innitatur oportet sanctitatis moribus, vobis propriae, evangelicae asceseos forma austera et virilis animi robore spectanda; componatur oportet disciplina nequaquam nutabunda nec proprii animi inclinationibus fracta, sed alacri, prompta et omnibus in suis modis et rei effectibus aequa et stabili. Quodsi in exercitu instruendo, ab hoc vel illo agmine vel manipulo non servetur ordinis compages, est veluti si in simphonia fidium vocumque vox abnormis discrepet. Attentam dabit operam curamque eligendus Generalis Praepositus vester, ut concentus vester nullum abruptum sonum eliciat, sed contra sit laus plena integrae fidei pietatisque decora: quem quidem rectum concentum plurimis vestrum contingere gratulando animadvertimus et animadvertendo gratulamur.

Idcirco semper omnibus cavendum est, ut in sentiendo, in docendo, in scribendo, in agendo nolint conformari huic saeculo et circumferri omni vento doctrinae[3] et praeposteris novitatibus concedere, praeter modum proprio indulgentes arbitrio.

Quin potius hanc unusquisque vestrum reputet praecipuam laudem, qua nulli cedendum est, Ecclesiae Matri et Magistrae nostrae deservire, non propria ipsius, sed Hierarchiae consilia, iudicia, opera sequi, et ad rem deducere animarique spiritu afflatuque communionis, potius quam privilegii. Ecclesia agnoscit singulari erga se vos esse filios deditissimos, apprime vos diligit, vos in honore habet et, liceat Nobis audax adhibere verbum, vos reveretur. Nunc maxime, cum ex praescriptis Oecumenici Concilii Vaticani secundi amplissimi pateant apostolatus campi finesque, Ecclesia sancta Dei vestra eget

---

[2] Form. Inst. Iulii III, n. 1.
[3] Cf. Eph 4, 14.

sanctimonia, sapientia, intellegentia rerum, strenuitate, idque a vobis poscit, ut, priscae fidei retinentissimi, de thesauro cordis vestri nova et vetera proferatis in auctum universae gloriae Dei et in humani generis comparandam salutem, in nomine Domini nostri Iesu Christi, quem Deus exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen [4].

Huius sanctissimi nominis, cuius appellatione cumprimis gloriamini, assiduum habetote praesidium ac tutamen et ad dilatandum eiusdem amorem et honorem aemula concipite studia: illinc enim salutis fons verus et inexhaustus oritur profluitque: « Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » [5].

Occasionem, quae Nobis nunc oblata est, libenter arripimus, ut rem summi momenti saltem strictim, at graviter et fortiter attingamus. De formiduloso periculo humanae consortioni instante loquimur, de atheismo scilicet. Qui, ut apud omnes constat, non semper unus idemque patefit, sed varius prodit et panditur, multas induens sibi formas. Quarum certe omnium deterrima putanda est, cum de antitheismo agitur, de pugnaci impietate, quae non solum sententia mentis et actione vitae denegat esse Deum, sed etiam contra theismum arma sumit eo consilio, ut religionis sensum et quidquid est sanctum piumque radicitus evellat. Est atheismus etiam eorum, qui philosophica doctrina ducti asseverant Deum non esse vel eum cognosci non posse, eorum qui omnia in voluptate ponunt, eorum qui omnem religionis cultum et honorem respuunt, cum superstitiosum, inutile, sibi onerosum aestiment vereri Creatorem omnium nostrum, et servire eiusque legi parere, et vivunt sine Christo, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo [6]. Hic est qui nostra aetate atheismus serpit sive apertus, sive occultus, veste saepenumero tectus progressionis, quae ad humanas artes et disciplinas, ad rem socialem attinet.

Societati Iesu, cuius apprime proprium est Ecclesiae et religioni sanctissimae praesidio esse, cum acerbiora tempora vertunt, hoc demandamus munus, ut coniunctis viribus atheismo obsistat validissime sub signo et adiutorio fulti sancti Michaëlis, principis militiae caelestis, cuius ipsa appellatio victoriam vel fulgurat vel futuram portendit.

Quapropter ignatiani sodales, omni experrecta virtute, hoc bonum certent certamen, nullo praetermisso consilio, ut cuncta bene disponantur et feliciter cedant. Ob id igitur investigent, omnigenos

---

[4] Cf. Phil 2, 9.
[5] Act 4, 12.
[6] Cf. Eph 2, 12.

colligant nuntios, typis, si oportet, cudant, inter se disceptent, parent huius rei peculiariter studiosos, sacras preces fundant, iustitia et sanctitate eniteant, pollentes et instructi eloquentia oris et vitae, caelesti coruscante gratia, cui referri possit illud sancti Pauli Apostoli: « Sermo meus et praedicatio mea non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis » [7].

Quod libentius et alacrius perficietis, si mente vestra versaveritis illud munus in quod absolvendum incumbitis, et nova contentione incumbetis, non fuisse lubito vestro statutum, sed munus ab Ecclesia, a Summo Pontifice vobis concreditum esse.

Quam ob rem in legibus et institutis, quibus Societas vestra temperatur, a Paulo III et Iulio III sancitis, haec enuntiata sunt: « Quicumque autem in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suae foribus intellegant, sed, quoad vixerint, memores sint Societatem hanc universam et singulos qui in ea profitentur, sub sanctissimi Domini nostri Pauli Papae III et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli oboedientia, Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur et fide orthodoxa teneamus omnes christifideles Romano Pontifici tamquam capiti ac Iesu Christi Vicario subesse; ob devotionem tamen maiorem ad oboedientiam Sedis Apostolicae et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem et certiorem Spiritus Sancti directionem, summopere conducere iudicamus singulos nos et quicumque eandem in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid hodiernus et alii Romani Pontifices pro tempore exsistentes iusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit... exsequi teneamur » [8].

Huic voto pro sua ipsius religione ac natura prorsus congruere putandum est, ut non tantum conscientiae insideat, sed etiam ex operibus fulgeat et omnibus pateat.

Sanctus Ignatius, pater legifer vester, tales vos voluit, tales Nos quoque volumus, pro certo habentes eam quam in vobis collocamus fiduciam, amplissime impletum iri ac impleta huiusmodi vota Societati Iesu, ubivis ipsa toto orbe terrarum militat, orat, agit, largifluam messem reflorentis vitae et praeclarorum meritorum, quibus digna Deum praemia attribuet, paritura esse.

Haec imo pectore ominati, vobis omnibus sodalibus Societatis Iesu, festae laetaeque coronae, qua hodie circumsaepimur, cunctis inceptis vestris et magnae spei, quae pectora vestra ad pura et celsa attingenda accendit, Apostolicam Benedictionem impertimus.

---

[7] 1 Cor 2, 4.

[8] Form. Inst. Iulii III, n. 3.

2. ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS PAULI VI AD PATRES CONGREGATOS

die 16 nov. 1966

Dilecti Filii,

Voluimus, ut Nobiscum Eucharisticum Sacrificium concelebraretis et participaretis, antequam post absoluta negotia Congregationis vestrae Generalis, singuli ad sedes vestras rediretis et ab urbe Roma, unitatis catholicae veluti centro, in orbis terrarum partes quoquoversus effunderemini; voluimus vos universos persalutare, confirmare, cohortari; et benedicere unicuique vestrum, toti Societati, variis operibus, quae ad Dei gloriam provehitis et quibus in Sancta Ecclesia inservitis; voluimus, ut modo paene sensus movente ac sollemni mandatum apostolicum vobis iterum dari sentiretis, quod muneri vobis praestituto peculiarem indolem tribuit atque vigorem, quasi vobis conferatur rursumque credatur a Patre vestro beato Ignatio, Ecclesiae Christi prae aliis fidelissimo milite: immo quasi a Christo ipso, cuius vices Nos hic in terra, hic in Apostolica Sede, indigne quidem sed veraciter agimus, vobis confirmetur et arcano modo iuvetur et amplificetur.

Hac de causa hunc elegimus locum, sacrum et timore quodam animos perfundentem ob pulchritudinem, maiestatem, praesertim ob significationem imaginum quibus ornatur; locum prae ceteris venerabilem sono precationis humillimae quidem sed pontificalis, quam hic facimus, et quae non solum laudem et gemitum animi Nostri, verum etiam totius Ecclesiae, a finibus terrae, immo totius generis humani complectitur, cuius personam gerimus ministerio Nostro apud summum Deum, atque cui oraculum eius, qui altissimus est, nuntiamus. Hunc locum elegimus, ubi quemadmodum nostis, sortes Ecclesiae exquiruntur ac decernuntur certis temporibus historiae commendatis, quae, ut credere addecet, non voluntate hominum sed Spiritus Sancti auxilio, arcano et amoris pleno, reguntur. Hic eundem Spiritum Sanctum, cum finis piissimo huic ritui imponetur, invocabimus pro Sancta Ecclesia, quae apostolico officio Nostro comprehenditur ac repraesentatur, atque pro vobis, qui estis sodales, moderatores, auctoritate praediti Filii vestrae ac Nostrae Societatis Iesu.

Hac precatione, qua coniunctim Spiritum Sanctum invocabimus, quodammodo sancientur ea quae per hoc tempus magni momenti sollicite egistis; scilicet Societatem vestram et totam eius operam acri examine estis perscrutati, quasi, paulo post celebratum Conci-

lium Oecumenicum Vaticanum secundum, quattuor saecula historiae eius concludentes et novam aetatem vitae religiosae vestrae, in qua militatis, novo mentis habitu novisque propositis incipientes.

Hic igitur coetus, Fratres et Filii dilectissimi, peculiare pondus, ad historiam pertinens, habet, quod vobis ac Nobis datur vicissim describere mutuas definiendo rationes, quae Sanctae Ecclesiae cum Societate Iesu intercedunt et intercedere debent; quam quidem Ecclesiam Nos, e divino mandato, pastorali munere moderamur, et comprehendimus ac repraesentamus.

Quae sunt eae rationes? Vestrum et Nostrum est dare responsum, quod gemino modo perhibetur:

1) Vultisne vos, filii sancti Ignatii, milites Societatis Iesu, etiam nunc, futuris temporibus et semper tales esse, quales fuistis a rerum vestrarum initio usque adhuc in utilitatem Ecclesiae catholicae et huius Apostolicae Sedis? Non esset cur hoc rogaremus, nisi circa eandem Societatem vestram, ut circa alias religiosas familias fieri contingit, ad aures Nostras pervenissent nuntia quaedam et rumores, quae — hoc tacere non possumus — stuporem Nobis iniecerunt et quorum nonnulla Nos affecerunt dolore.

Quarum suasionum insolitarum pravarumque impulsu in quibusdam partibus remotis amplissimae Societatis vestrae dubium exortum est num ea pergere deberet talis esse qualem Sanctus Vir qui eam mente concepit et condidit, sapientissimis ac firmissimis normis composuit, et qualem traditio plurium saeculorum, experientiae diligentissimae usu veluti maturitatem adepta et gravissimis confirmata approbationibus, ad Dei gloriam, Ecclesiae defensionem, hominum admirationem confirmavit? Numquid in mentibus quorundam e vobis opinatio inhaesit ex qua absolutae rationi historicae sint res humanae obnoxiae quae, tempore genitae, eodem tempore necesse sit consumantur, quasi in Ecclesia catholica non insit charisma veritatis, quae permanet, et stabilitatis, quae frangi non potest; cuius charismatis haec petra Apostolicae Sedis imago est et fundamentum?

An respectu apostolici studii, quo tota Societas vestra inflammatur, necessarium visum est, quo maior tribueretur operae vestrae efficacitas, a tot venerandis consuetudinibus recedere, pertinentibus ad rem spiritualem et asceticam atque ad disciplinam, quasi non amplius adiuvarent et impedirent ne sollicitudo pastoralis vestra liberius et ratione magis personali explicaretur? Itaque austera et virilis illa oboedientia, quae semper Societatis vestrae propria fuit, quae eius compagem reddidit evangelicam, exemplo praelucentem, validissimam, visa est minui debere, quasi humanae personae adversaretur et agendi alacritatem praepediret. Qua in re obliterata sunt ea, quae Christus, Ecclesia, ipsa schola vestra spiritualis de eiusmodi virtute

egregie docuerunt. Non ergo fortasse defuit, qui arbitraretur non amplius necessarium esse animo proprio iniungere exercitationem spiritualem, usum videlicet assiduum et impensum orationis, humilem et fervidam disciplinam vitae interioris, discussionis conscientiae, intimi colloquii cum Christo, quasi actio externa sufficeret ad spiritus et perspicaces et fortes et puros servandos, et ipsa per se valeret ad coniungendam mentem cum Deo; quasi haec copia artium spiritualium solum monachos deceret, non potius armatura esset qua Christi miles indigeret omnino.

Fortasse quidam decepti sunt opinantes ad disseminandum Evangelium Christi oportere ut quis instituta saeculi induceret, eius cogitandi agendique modum, eius profanam vitae rationem; scilicet ex naturalismi placitis iudicaverunt de moribus huius aetatis, hac etiam in re obliti praeconi Christi, cum pro munere homines adiret, illius nuntium iis allaturus, non licere iisdem adeo similem fieri, ut sal acrem saporem suum amitteret, apostolus propria sibi virtute destitueretur.

Hae profecto nubes obductae sunt caelo; sed consultis Congregationis vestrae generalis magna ex parte evanuerunt! Etenim, quemadmodum non parvo cum gaudio accepimus, vos ea strenui probitate qua voluntates vestrae semper ducebantur, — postquam historiam vestram, munus ad quod vocati estis, ea quae experientia cognovistis, diligenter et sincere considerastis — vos ipsi decrevistis primariis institutis vestris constanter adhaerere, nec traditionem vestram dimisistis, quae omni tempore apud vos praesenti quadam efficacitate et vigore pollebat.

In Regulas autem vestras peculiares mutationes illas inferentes — quod ob renovationem vitae religiosae, a Concilio propositam, non solum vobis facere licuit, sed, ut faceretis, moniti estis —, nullatenus sacram legem illam violastis, ex qua estis religiosi, immo Societatis Iesu sodales, sed potius remedium attulistis rebus vestris, quatenus eae temporis acti onere premebantur, ac novas vires comparastis ad omnia incepta, futura aetate vobis suscipienda, ita ut hic prosper exitus inter cetera emineret, quae in laboriosis disceptationibus statuistis: exitum dicimus, quo fit ut reapse servetur atque haud dubiis incrementis augeatur non solum corpus Societatis vestrae sed etiam spiritus. Ad hunc vero spiritum quod attinet, vos enixe exhortamur ut, a maiorum vestrorum saluberrimis institutis non deflectentes, in posterum quoque priores partes in vita vestra tribuatis orationi: unde enim nisi a gratia divina, quae ut aqua viva per humiles veluti canales orationis, colloquii cum Deo, praesertim vero sacrae liturgiae ad nos manat, quisque religiosus hauriet caelestia consilia et vires ad suam supernaturalem sanctificationem perficiendam; unde apostolus accipiet impulsionem, ductum, robur, sa-

pientiam, perseverantiam in pugna adversus daemonium, carnem, saeculum committenda; unde amorem concipiet, quo animas diligat propter earum salutem et Ecclesiam construat, praeter opifices quibus huius mystici aedificii, scilicet Ecclesiae, opus pro munere et conscientiae officio est mandatum? Gaudete, Filii carissimi. Haec est ratio, vetus et nova, oeconomiae christianae, haec est forma quae verum religiosum discipulum Christi, apostolum in eius Ecclesia, magistrum fratrum vel fidelium vel alienorum efficit. Gaudete; benevolentia Nostra, quin immo animus Noster communione vobis iunctus solacia vobis praebent vobisque adsunt.

Consulta igitur peculiaria vestra, quae spectant ad institutionem scholasticorum vestrorum, ad obsequium magisterio et auctoritati Ecclesiae praestando, ad rationes perfectionis religiosae, ad normas quibus actio apostolica et adiutrix opera pastoralis vestra recte dirigantur, ad germanam interpretationem decretorum Concilii Oecumenici, ad certum modum quo ad effectum deducantur, et ad alia ex hoc genere quasi responsa habeantur oportet ad interrogationem Nostram. Sane quidem; filii sancti Ignatii, qui nomine sodalium Societatis Iesu gloriantur, adhuc sibi ipsi constant et fidi manent Ecclesiae! Parati sunt et fortes! Nova arma, abiectis armis usu attritis et minus efficacibus, in manibus habent eadem cum oboedientia, eodem cum studio sese devovendi, eadem cum voluntate spirituales victorias pariendi.

2) Nunc vero altera oritur quaestio de definiendis rationibus quas Societas Iesu habet cum Ecclesia et peculiari modo cum Apostolica Sede. Ex oribus vestris quasi colligimus hanc alteram interrogationem: putatne Ecclesia, putatne Successor Sancti Petri Societatem Iesu adhuc esse singularem et fidelissimam militiam suam? putatne eam religiosam familiam, quae minus hanc aut illam virtutem evangelicam colendam ut peculiarem finem sibi proposuit, sed potius constituit, quasi custos et praesidium, defendere ac promovere ipsam Sanctam Ecclesiam et Apostolicam Sedem? confirmaturne ei adhuc propensa voluntas, fiducia, protectio, quibus ei semper datum est frui? asseritne Ecclesia, per os eius qui vos alloquitur, se adhuc indigere et honorari Societatis Iesu ministerio, militantis agminis proprio? estne haec adhuc valida et idonea ad opus hodierni apostolatus, immensum quoad amplitudinem et qualitatem, obeundum?

En, Filii carissimi, responsionem Nostram: ita est! Fidem vobis habemus atque servamus; atque adeo vobis mandatum operis apostolici damus; affectum caritatis gratumque animum Nostrum significamus; benedictionem impertimus.

Hac ipsa hora, sollemni et historiae inserenda, asseverastis, rem novis propositis corroborantes, vos velle retinentissimos esse huius instituti vestri, quod, temporibus quibus restauratrix opera Conci-

lii Tridentini fervebat, Ecclesiae Catholicae ministerio se dedidit. Itaque proclive Nobis est Nosque iuvat iterare verba et acta Decessorum Nostrorum, hac aetate, quae diversa est quidem at non minus restauratrice opera Ecclesiae conspicua, utpote quae subsequatur Concilium Oecumenicum Vaticanum secundum; iuvat Nos affirmare hanc Apostolicam Sedem et sine dubio una simul cum ea Ecclesiam habere carissimam Societatem vestram, donec excellentiam suam studeat collocare in sana doctrina et sanctitate vitae religiosae atque praevalidum instrumentum se praestet ad catholicam fidem tuendam ac propagandam.

Si iidem eritis qui fuistis, non vobis deerit bona existimatio et fiducia Nostra.

Idem de vobis sentiet Populus Dei. Quae enim arcana causa fuit cur Societas vestra tantopere diffunderetur et tanta frueretur prosperitate, nisi singularis institutio spiritualis vestra atque compages ac forma vestra canonica? Quodsi haec institutio et forma eaedem permanebunt et novo usque virtutum et operum florebunt vigore, spes non est vana fore ut progressione quadam augescatis incrementis et perenni gaudeatis efficientia, quod attinet ad Evangelium annuntiandum et aedificandam societatem hominum temporum nostrorum. Nonne vitae vestrae evangelicae et religiosae institutum, historia et forma vestra, quibus aliis estis exemplo, optima defensio et commendatio vestra sunt et quam maxime persuadent ut fides habeatur apostolatui vestro? Nonne in hac firmitate spirituali, morali, ad Ecclesiae communitatem pertinente, nititur fiducia operae vestrae, immo adiutricis operae vestrae?

Sinite Nos dicere, sub finem huius alloquii, magnam spem Nos ponere in vobis. Ecclesia eget adiumento vestro, atque gaudet et gloriatur id a filiis sinceris deditisque, ut vos estis, accipere; Ecclesia suscipit opus quod pollicemini, quin etiam vitam quam offertis; et, cum sitis milites Christi, ad ardua et sacra certamina, in suo nomine ineunda, nunc cum maxime vos asciscit et concitat.

Nonne animadvertitis quantis praesidiis, his ipsis temporibus, opus sit fidei, quam aperto assensu, quam dilucida expositione, quam assidua praedicatione, quam sapienti explanatione, quam plena amoris et magnanima testificatione?

Vobis confidimus, utpote valentibus testibus unius veraeque fidei.

Nonne videtis quas opportunitates praebeat oecumenismus hodiernus sanctae Ecclesiae catholicae servo et apostolo necessitudines cum aliis feliciter constituendi, colloquia prudenter serendi, interpretationes patienter proferendi, dilatandi spatia caritatis?

Qui aptius quam vos ad haec conferent studia atque labores ea mente ut Fratres adhuc a nobis seiuncti nos cognoscant et agno-

scant, nos audiant et gloriam, gaudium, famulatum mysterii unitatis in Christo Domino una nobiscum participent?

Nonne inter vos erunt viri habiles, prudentes, strenui, peritissimi, quod attinet ad mundum huius aetatis christianis principiis imbuendum, quemadmodum in Constitutione pastorali, iam clarescente, describitur, quae a verbis incipit « Gaudium et Spes »? Nonne cultum quem Cordi Iesu tribuitis, adhuc habebitis efficacissimum ad renovandas mentes moresque eiusdem mundi, iuxta Concilii Oecumenici Vaticani secundi hortamenta, et ad creditum vobis munus fructuose exsequendum, ex quo vos oportet atheismo obniti?

Nonne institutioni iuventutis in scholis medii ordinis et in studiorum universitatibus, sive ecclesiasticis sive civilibus, qua summam laudem et maxima merita collegistis, novo ardore incumbetis? Oportet enim memineritis tot animas teneras vobis esse creditas, quae Ecclesiae et hominum societati, si rectis conformentur praeceptis, permagnas utilitates quondam possint afferre.

Quid vero dicamus de missionibus? Nonne missiones, in quibus tot sodales vestri iam mirandum in modum laborant, desudant, dolores tolerant, et curant ut nomen Iesu tamquam sol salutis refulgeat, vobis, quemadmodum olim santo Francisco Xaverio, a Sede Apostolica traditae sunt, cum pro certo haberet vos fore fidei praecones certissimos, audacissimos, ardentissimos ea caritate quam pietas vestra inexhaustam, solacii plenam, ineffabilem reddit?

Quid demum de mundo sentiendum? De mundo, dicimus, duos veluti vultus prae se ferente, quorum alter significat conspirationem eorum omnium qui lucem et gratiam aversantur, alter ingentem familiam indicat humanam, pro qua Pater Filium misit, et Filius se ipse immolavit; hic mundus, qui nunc est, tam potens ac debilis, tam infensus et apertus, nonne vos et Nos ad se vocat cum imploratione mentisque incitatione, quasi ad munus implendum? Nonne hic mundus, veluti fremens et palpitans, hoc loco, in conspectu Christi, nunc ad vos omnes clamitat: venite, venite; exspectat vos — ut ita dicamus — indigentia et fames Christi; venite est enim tempus.

Certe, tempus est, Filii dilectissimi; fidentibus et inflammatis animis ite; Christus vos eligit, Ecclesia vos mittit, Papa vobis benedicit.

3. SUMMUS PONTIFEX APPROBAT DECRETA A CONGREGATIONE GENERALI XXXI LATA DE RELIGIOSA PAUPERTATE ET DE MINISTERIORUM GRATUITATE

6 iunii 1966

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
N. 73533

Dal Vaticano, 6 iunii 1966

Reverendissime Pater,

Post XXXI Generalem Congregationem istius Societatis Iesu, die X mensis Iulii superiore anno habitam, Decretorum textum de religiosa paupertate deque ministeriorum gratuitate, quae unanima prope consensione tunc lata sunt, ad Beatissimum Patrem per humanissimas litteras misisti, quibus de universa re instituisti sermonem, simulque, nomine quoque Sodalium tuorum, petiisti, ut Ipse benigno consilio ea probaret.

Cum enim — sicut scripsisti — norma a « Formula Instituti » tradita, et a Iulio III ven. mem. per Apostolicas Litteras a verbis incipientes « Exposcit debitum », die XXI mensis iulii anno MDL sancita, praesentis temporis rerum adiunctis accommodanda esset, Congregatio vestra Generalis, commemoratam Formulam declarare cupiens, decrevit ut Societatis Iesu Sodalibus liceret, Missarum eleemosynas accipere (n. 2), stipendiis, quae spiritualium ministeriorum occasione offerantur, donari neque ea exigere possint (n. 3), aliorumque laborum (qui nempe ministeria stricte spiritualia censenda non sunt) ab ipsis susceptorum emolumenta, veluti ingenii industriaeque fructus, percipere (nn. 4-5).

Voluit autem Generalis Congregatio haec Decreta Sanctitati Suae subicere, quandoquidem novae regulae, per ea sancitae, a praedictae Formulae littera videntur recedere, vel potestatem excedere, vi eiusdem Formulae ad Generalem Congregationem spctantem, declarandi « quae dubia esse poterunt in ... Instituto, hac Formula comprehenso ».

Re igitur mature perpensa, ratione habita earum condicionum, quas nostra aetate ministeriorum natura atque sustentandae vitae difficultates induxerunt, audito consilio Em.mi D.ni Cardinalis Hil-

debrandi Antoniutti, S. Congregationis de Religiosis Praefecti, Sanctitas Sua eadem Decreta, a te Sibi ad examinandum proposita, approbat atque confirmat, ea omnia derogando quae iisdem Decretis opponuntur, etiamsi speciali mentione digna; quam ob causam, « Formula Instituti » in hac rerum materie in posterum quoque erit interpretanda secundum mentem horum Decretorum, quae, in Congregatione Generali lata, a Paulo Pp. VI probata sunt.

Quae dum in tui notitiam libenter perferenda curo, tibi pariter renuntio, Beatissimum Patrem tibi universaeque Societati Iesu Apostolicam Benedictionem, supernorum munerum auspicem Suaeque benevolentiae testem, peramanter largiri.

Datam vero opportunitatem nanciscor, ut me ea qua par est observantia profitear

Tibi addictissimum
H. J. Card. Cicognani

4. LITTERAE CARDINALIS H. ANTONIUTTI

SACRA CONGREGATIO
DE RELIGIOSIS
Prot. N. 6995/66

Romae, die 12 Novembris 1966.

Reverendissime Pater,

Haec Sacra Congregatio attente examinata petitione a P. T. Reverendissima facta per epistolam diei 30 Octobris, super quaestionem an Congregatio generalis Societatis Iesu, cuius secunda Sessio his diebus celebratur, gaudeat illis requisitis quae in Litteris Apostolicis « Ecclesiae sanctae » exiguntur circa Capitulum speciale a Normis (II, 3) impositum, respondendum censuit:

AFFIRMATIVE, cum Secunda Sessio Congregationis generalis habeatur post diem 11 Octobris 1966 a quo vigere coeperunt Normae ad exsequendum Decretum SS. Concilii Vaticani II « Perfectae Caritatis ».

Haec Sessio plane respondet requisitis pro Capitulo speciali celebrando ad mentem Normarum praedictarum.

Quae dum P. T. Rev.mae communico, vota quam plurima profero ut decisiones et proposita Patrum capitularium in bonum evadant Ecclesiae et inclitae Societatis Iesu, ad maiorem Dei gloriam.

Addictissimus in Christo
Card. ANTONIUTTI
praef.

5. LITTERAE CONGREGATIONIS GENERALIS XXXI AD SUMMUM PONTIFICEM

Beatissime Pater,

Nostra Congregatio Generalis XXXI, duplicem assidui laboris sessionem feliciter concludens, hac gaudet occasione promendi coram Te intimiores animi sensus, gratiasque ex corde agendi ob illam benevolentiam, quam erga nos manifestasti, cum opus exordientes coram admisisti et paterna allocutione animasti; atque labores, quos consiliis ac precibus es prosecutus, hodierna concelebratione velut sacro sigillo cumulare voluisti.

Probe scimus nihil nos gratius Tibi posse facere quam proposita offerre, qualia in Congregatione Generali decrevimus, praescriptis Concilii Oecumenici Vaticani II religiose obsequentes. Volumus enim ut quam missionem Ignatius in Populo Dei suscepit, Ecclesiae Christi sub Romano Pontifice alacriter serviendi, nostra quoque aetate, Societas Iesu fidelissime expleat; apostolica ministeria tum Sanctae Sedis optatis tum hodiernis necessitatibus sedulo accommodet, illud prae primis munus implendo, coniunctis viribus atheismo obsistendi, quod peculiari ratione nobis demandare voluisti.

Ad hunc finem leges nostras novis temporum exigentiis aptare curavimus; simul vero, memores apostolatus efficaciam a nostra cum Christo unione intime pendere, Societatis religiosam vitam renovare ac promovere conati sumus.

Faxit Deus ut proposita nostra plene ad actum deducamus, et Societas sit semper Tibi, Beatissime Pater, totique catholicae Hierarchiae, in opere apostolico validum iuvamen. Non diffitemur fidelitati quam Ecclesiae et Romano Pontifici devovimus, ob humanam fragilitatem, nos aliquando defuisse, et sincere dolemus quod etiam ex nostris sodalibus angoris causae Tibi provenerint. At Benedictio tua Apostolica uberes a Deo nobis impetret gratias, quibus melius, sanctius, efficacius ad maiorem Dei gloriam et animarum bonum allaborare valeamus.

Romae, die 16 novembris 1966.

PATRES CONGREGATIONIS GENERALIS XXXI

A RESTITUTA SOCIETATE XII

R. P. Ioannes L. Swain
VICARIUS GENERALIS
usque ad 22 maii 1965

A. R. P. Petrus Arrupe
PRAEPOSITUS GENERALIS
a die 22 maii 1965

	NOMINA ET COGNOMINA PATRUM	Ortus		Ingressus		Gradus	
	ASSISTENTES ET PROVINCIALES (Cf. Form. C. G. n. 6, 2° et 3°)						
1	P. Severianus Azcona, *Assist. Hispaniae*	8 nov.	1884	10 iun.	1903	2 febr.	1921
2	P. Albertus Moreno, *Assist. Am. Lat. Sept.*	19 apr.	1899	18 mart.	1916	15 aug.	1933
3	P. Franciscus a B. Vizmanos, *Prov. Castell.*	11 oct.	1900	31 aug.	1916	2 febr.	1934
4	P. Petrus van Gestel, *Assist. Germaniae*	10 iul.	1897	26 sept.	1916	2 febr.	1934
5	P. Leo Rosa, *Prov. Ven. Med.*	7 oct.	1898	20 iun.	1920	15 aug.	1936
6	P. Ioannes B. Rocha, *Assist. Am. Lat. Mer.*	13 sept.	1903	29 aug.	1918	2 febr.	1937
7	P. Hieronymus G. D'Souza, *Assist. Indiae*	6 aug.	1897	28 mai.	1921	15 aug.	1938
8	P. Iacobus Martegani, *Assist. Italiae*	24 iul.	1902	22 sept.	1922	2 febr.	1939
9	P. Nicolaus Junk, *Prov. Germ. Inf.*	9 ian.	1904	25 apr.	1922	15 aug.	1939
10	P. Ioannes Richard, *Prov. Mont. Reg.*	11 ian.	1906	7 sept.	1923	2 febr.	1940
11	P. Ioannes R. Boylen, *Prov. Austral.*	21 iun.	1906	8 mart.	1922	15 aug.	1940
12	P. Haroldus O. Small, *Assist. Americae*	21 mart.	1907	14 aug.	1923	15 aug.	1940
13	P. Ioannes J. Foley, *Prov. Wiscon.*	20 nov.	1901	1 sept.	1924	2 febr.	1942
14	P. Ioannes L. Swain, *Vic. Gen., Ass. Angliae*	13 dec.	1907	14 aug.	1925	15 aug.	1942
15	P. Carolus O'Conor, *Prov. Hib.*	25 mart.	1906	1 sept.	1924	2 febr.	1943
16	P. Antonius Kušmierz, *Prov. Polon. Min.*	14 ian.	1910	28 iul.	1925	2 febr.	1943
17	P. Petrus Arrupe, *Prov. Iaponiae*	14 nov.	1907	15 ian.	1927	2 febr.	1943

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
18	P. Iosephus Oñate, *Assist. Asiae Orient.*	18 mart.	1910	25 aug.	1925	15 aug.	1943
19	P. Carolus Fank, *Prov. Germ. Sup.*	10 iun.	1906	22 apr.	1926	15 aug.	1943
20	P. Iacobus I. Shanahan, *Prov. Buffal.*	27 aug.	1907	14 aug.	1926	15 aug.	1943
21	P. Franciscus Burkhardt, *Prov. Extr. Or.*	8 dec.	1902	8 sept.	1926	2 febr.	1944
22	P. Caecilius E. Lang, *Prov. Neo-Aurel.*	27 iul.	1909	20 sept.	1926	25 mart.	1944
23	P. Stephanus Pillain, *Assist. Galliae*	10 maio	1906	23 nov.	1928	2 febr.	1945
24	P. Ioannes B. Sehnem, *Prov. Bras. Mer.*	20 nov.	1908	29 febr.	1928	15 aug.	1945
25	P. Ioannes A. McGrail, *Prov. Detr.*	12 ian.	1911	20 sept.	1928	2 febr.	1946
26	P. Iosephus A. de Sobrino, *Prov. Baet.*	25 mart.	1911	26 nov.	1929	3 febr.	1947
27	P. Lucius Craveiro da Silva, *Prov. Lusit.*	27 nov.	1914	11 iun.	1931	15 aug.	1948
28	P. Iosephus Emman. Vélaz, *Prov. Loyol.*	20 nov.	1914	31 aug.	1930	2 febr.	1949
29	P. Ioannes Terpstra, *Prov. Neerl.*	8 iun.	1912	7 sept.	1931	2 febr.	1949
30	P. Carolus Guaschetti, *Prov. Taur.*	24 mart.	1913	12 sept.	1931	2 febr.	1949
31	P. Ludovicus De Genova, *Prov. Patn.*	28 mai.	1913	14 aug.	1932	15 aug.	1949
32	P. Stephanus Dzierżek, *Prov. Pol. Mai.*	23 sept.	1913	24 sept.	1928	2 febr.	1950
33	P. Victor Mertens, *Prov. Afr. Centr.*	30 sept.	1912	23 sept.	1931	2 febr.	1950
34	P. Eduardus Briceño, *Prov. Colomb. Or.*	15 dec.	1916	4 ian.	1932	2 febr.	1950
35	P. Ioannes R. Connery, *Prov. Chicag.*	15 iul.	1913	30 aug.	1932	2 febr.	1950
36	P. Eduardus Mann, *Prov. Bombay.*	9 mai.	1914	30 aug.	1932	2 febr.	1950
37	P. Vitus Fortier, *Prov. Quebec.*	22 dec.	1911	14 aug.	1933	2 febr.	1950
38	P. Linus I. Thro, *Prov. Missour.*	15 ian.	1913	20 sept.	1931	15 aug.	1950
39	P. Ioannes V. O'Connor, *Prov. Novae Angl.*	26 mai.	1916	30 iul.	1933	15 aug.	1950
40	P. Ioannes F. X. Connolly, *Prov. Calif.*	28 iul.	1915	14 aug.	1933	15 aug.	1950
41	P. Ludovicus González, *Prov. Tolet.*	2 oct.	1916	28 mart.	1932	2 febr.	1951
42	P. Eduardus Ramírez, *Prov. Colomb. Occid.*	8 oct.	1917	13 mart.	1933	2 febr.	1951
43	P. Iosephus Aldunate, *Prov. Chil.*	5 iun.	1917	31 mart.	1933	2 febr.	1951
44	P. Ioannes I. Kelley, *Prov. Oregon.*	20 iul.	1916	30 iul.	1934	15 aug.	1951
45	P. Horatius de la Costa, *Prov. Philipp.*	9 mai.	1916	20 iun.	1935	15 aug.	1951

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
46	P. Ioannes I. McGinty, *Prov. Neo Ebor.*	7 dec.	1913	30 iul.	1935	15 aug.	1951
47	P. Armandus Gargiulo, *Prov. Neapol.*	1 nov.	1917	22 maii	1936	15 aug.	1951
48	P. Franciscus Lacourt, *Prov. Gall. Sept.*	12 febr.	1916	1 oct.	1934	2 febr.	1952
49	P. Iulius Caesar Federici, *Prov. Rom.*	2 oct.	1918	14 oct.	1934	2 febr.	1952
50	P. Eugenius d'Oncieu, *Prov. Gall. Medit.*	2 mart.	1914	15 nov.	1934	2 febr.	1952
51	P. Georgius Ducoin, *Prov. Gall. Atlant.*	16 iul.	1914	25 sept.	1935	2 febr.	1952
52	P. Andreas Varga, *Subst. Prov. Hungar.*	28 mart.	1917	30 iul.	1935	15 aug.	1952
53	P. Ioannes M. Daley, *Prov. Maryl.*	6 iun.	1916	30 iul.	1935	15 aug.	1952
54	P. Daniel Villanova, *Prov. Siculae*	26 nov.	1918	29 aug.	1935	2 febr.	1953
55	P. Iosephus Hoing, *Prov. Belg. Sept.*	27 oct.	1918	23 sept.	1936	2 febr.	1954
56	P. Philippus Laurent, *Prov. Paris.*	24 maio	1913	9 oct.	1937	2 febr.	1954
57	P. Ignatius Rentería, *Prov. Mex. Sept.*	9 nov.	1917	29 aug.	1934	15 aug.	1954
58	P. Gunterus Soballa, *V. Prov. Germ. Or.*	18 sept.	1918	6 apr.	1937	15 aug.	1954
59	P. Ioannes Schasching, *Prov. Austr.*	10 mart.	1917	7 sept.	1937	2 febr.	1955
60	P. Franciscus Crick, *Prov. Ranch.*	24 dec.	1918	23 sept.	1937	2 febr.	1956
61	P. Angelus Tejerina, *Prov. Legion.*	7 oct.	1922	2 sept.	1938	2 febr.	1956
62	P. Raphael Gómez Pérez, *Prov. Mex. Mer.*	5 dec.	1914	31 ian.	1937	15 aug.	1956
63	P. Hippolytus Salvo, *Prov. Argent.*	13 aug.	1920	13 apr.	1937	15 aug.	1956
64	P. Angus I. MacDougall, *Prov. Can. Super.*	11 mart.	1918	30 iul.	1940	15 aug.	1956
65	P. Antonius Aquino, *Prov. Bras. Centr.*	13 dec.	1922	26 ian.	1940	2 febr.	1957
66	P. Ioannes Mª Varaprasadam, *Prov. Madur.*	27 mai.	1924	13 iun.	1942	15 aug.	1959
67	P. Philippus Franchimont, *Prov. Belg. Mer.*	11 iun.	1925	14 sept.	1942	2 febr.	1960
68	P. Petrus Ribas, *Prov. Tarrac.*	24 dec.	1917	21 dec.	1942	2 febr.	1960
69	P. Ioannes Gualb. Fuček, *Prov. Croat.*	1 iul.	1926	30 iul.	1944	15 aug.	1961
70	P. Marianus Madurga, *Prov. Aragon.*	6 apr.	1927	14 aug.	1944	15 aug.	1962
71	P. Terentius Corrigan, *Prov. Angliae*	30 sept.	1915	28 sept.	1939	7 oct.	1964

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
	ELECTORES (Cf. Form. C. G. n. 6, 4° et 5°)						
72	P. Franciscus Robinson, *Elect. Mex. Sept.*	21 ian.	1893	6 sept.	1907	2 febr.	1926
73	P. Ioachimus Salaverri, *Elect. Legion.*	16 febr.	1892	29 sept.	1910	2 febr.	1928
74	P. Ioannes B. Kozèlj, *Elect. Croat.*	25 iun.	1896	4 iul.	1912	15 aug.	1929
75	P. Victor Iriarte, *Elect. Venezol.*	26 febr.	1897	6 mart.	1912	15 aug.	1930
76	P. Gulielmus I. Murphy, *Elect. Novae Angl.*	20 oct.	1895	7 sept.	1914	2 febr.	1932
77	P. Andreas C. Smith, *Elect. Neo-Aurel.*	27 iul.	1898	14 aug.	1916	8 sept.	1933
78	P. Melchior M. Balaguer, *Elect. Bombay.*	15 maii	1900	9 oct.	1915	2 febr.	1934
79	P. Iosephus D. O'Brien, *Elect. Californ.*	2 febr.	1898	15 iul.	1916	2 febr.	1934
80	P. Isidorus Gríful, *Elect. Uruquar.*	23 mart.	1895	11 mart.	1921	2 febr.	1934
81	P. Antonius Romañá, *Elect. Tarrac.*	21 mart.	1900	9 oct.	1917	2 febr.	1935
82	P. Emmanuel Crowther, *Elect. Ceylon.*	4 iun.	1897	1 febr.	1918	2 febr.	1935
83	P. Paulus Dezza, *Elect. Ven.-Med.*	13 dec.	1901	2 dec.	1918	2 febr.	1935
84	P. Eduardus Bulanda, *Elect. Polon. Mai.*	6 oct.	1902	19 sept.	1917	2 febr.	1936
85	P. Iosephus Ant. de Aldama, *Elect. Baeticae*	9 iul.	1903	16 iul.	1918	15 aug.	1936
86	P. Ioannes Murray, *Elect. Angliae*	27 apr.	1897	30 apr.	1919	15 aug.	1936
87	P. Aemilius Ugarte, *Elect. Madur.*	8 febr.	1903	13 sept.	1919	15 aug.	1936
88	P. Ioannes-Mª Le Blond, *Elect. Gall. Sept.*	23 oct.	1899	22 oct.	1916	2 febr.	1937
89	P. Franciscus Xav. Baeza, *Elect. Castell.*	2 dec.	1903	2 mai.	1919	2 febr.	1937
90	P. Leo A. Cullum, *Elect. Philipp.*	4 iul.	1901	21 ian.	1920	2 febr.	1937
91	P. Henricus Klein, *Elect. Germ. Orient.*	18 iul.	1901	31 dec.	1922	2 febr.	1937
92	P. Aemilius Sogni, *Elect. Taurin.*	28 dec.	1903	7 apr.	1920	15 aug.	1937
93	P. Antonius Messineo, *Elect. Siculae*	16 nov.	1897	13 iun.	1920	15 aug.	1937
94	P. Ioannes C. Ford, *Elect. Novae Angl.*	20 dec.	1902	14 aug.	1920	15 aug.	1937
95	P. Petrus Abellán, *Elect. Tolet.*	26 ian.	1905	30 iul.	1920	2 febr.	1938
96	P. Emmanuel González, *Elect. Iapon.*	16 sept.	1904	14 aug.	1920	2 febr.	1938
97	P. Aloisius Renard, *Elect. Belg. Merid.*	23 iun.	1903	23 sept.	1920	2 febr.	1938

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus	Ingressus	Gradus
98	P. Iosephus F. Gallen, *Elect. Maryl.*	19 febr. 1903	14 aug. 1922	15 aug. 1939
99	P. Ferdinandus Barón, *Elect. Colomb. Or.*	30 oct. 1905	24 dec. 1920	2 febr. 1940
100	P. Iacobus Goussault, *Elect. Gall. Atlant.*	14 iul. 1905	21 oct. 1922	11 febr. 1940
101	P. Aloysius Del Zotto, *Elect. Keral.*	4 nov. 1904	15 oct. 1923	31 maii 1940
102	P. Ieremias Hogan, *Elect. Austral.*	26 apr. 1903	31 aug. 1920	15 aug. 1940
103	P. Armandus Cardoso, *Elect. Bras. Centr.*	4 aug. 1906	24 ian. 1922	15 aug. 1940
104	P. Franciscus Xav. Mejía, *Elect. Colomb. Occ.*	3 dec. 1905	16 febr. 1923	15 aug. 1940
105	P. Ioannes Laramée, *Elect. Mont. Reg.*	2 nov. 1905	30 iul. 1923	15 aug. 1940
106	P. Candidus Mazón, *Elect. Aragon.*	22 apr. 1900	7 sept. 1926	15 aug. 1940
107	P. Iosephus Ridruejo, *Elect. Peruv.*	28 iul. 1907	11 oct. 1922	2 febr. 1941
108	P. Iacobus I. McQuade, *Elect. Detroit.*	7 sept. 1905	7 aug. 1924	15 aug. 1941
109	P. Georgius E. Ganss, *Elect. Missour.*	18 sept. 1905	8 aug. 1924	15 aug. 1941
110	P. Iosephus M. Riaza, *Elect. Castell.*	5 mai. 1909	14 iul. 1924	15 aug. 1942
111	P. Albertus A. Lemieux, *Elect. Oregon.*	13 sept. 1908	15 iul. 1925	15 aug. 1942
112	P. Iacobus Alf, *Elect. Buffal.*	6 sept. 1908	14 aug. 1925	15 aug. 1942
113	P. Georgius Mirewicz, *Subst. Pol. Mai*	19 dec. 1909	26 iul. 1925	2 febr. 1943
114	P. Dionysius T. Tobin, *Elect. Iamaic.*	17 ian. 1904	21 sept. 1925	2 febr. 1943
115	P. Laurentius Van Roey, *Elect. Ranchien.*	13 ian. 1905	23 sept. 1925	2 febr. 1943
116	P. Ioannes I. McMahon, *Elect. Neo-Ebor.*	16 febr. 1905	7 sept. 1926	2 febr. 1943
117	P. Clemens Pujol, *Elect. Tarrac.*	16 maii 1908	5 ian. 1933	2 febr. 1943
118	P. Antonius Pinsker, *Elect. Austriae*	12 febr. 1906	7 sept. 1924	15 aug. 1943
119	P. Ioannes Hirschmann, *Elect. Germ. Infer.*	16 maii 1908	23 apr. 1926	15 aug. 1943
120	P. Vincentius Monachino, *Elect. Roman.*	6 febr. 1910	1 febr. 1928	15 aug. 1943
121	P. Carolus Gomes, *Elect. Goa-Poonen.*	5 sept. 1910	10 iun. 1926	2 febr. 1944
122	P. Gulielmus P. Le Saint, *Elect. Chicag.*	18 iun. 1908	2 sept. 1926	2 febr. 1944
123	P. Gulielmus A. Crandell, *Elect. Neo-Aurel.*	12 oct. 1909	7 sept. 1926	2 febr. 1944
124	P. Albertus Giampieri, *Elect. Neapol.*	10 maii 1907	11 nov. 1925	15 aug. 1944
125	P. Iesus Iturrioz, *Elect. Loyolen.*	6 oct. 1909	4 sept. 1927	2 febr. 1945

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
126	P. Antonius Leite, *Elect. Lusitan.*	28 maii	1911	31 oct.	1927	2 febr.	1945
127	P. Victorius Marcozzi, *Elect. Ven.-Mediol.*	28 maii	1908	28 oct.	1928	2 febr.	1945
128	P. Gulielmus González, *Elect. Colomb. Or.*	10 febr.	1912	6 sept.	1927	15 aug.	1945
129	P. Laurentius Fernandes, *Elect. Maduren.*	22 febr.	1906	10 apr.	1929	15 aug.	1945
130	P. Rodericus MacKenzie, *Elect. Can. Super.*	15 nov.	1911	7 sept.	1928	8 febr.	1946
131	P. Ansgarius Mueller, *Elect. Bras. Merid.*	24 mart.	1908	14 sept.	1928	8 febr.	1946
132	P. Antonius Delchard, *Elect. Gall. Sept.*	1 oct.	1902	2 oct.	1929	8 febr.	1946
133	P. Iesus Díaz de Acebedo, *Elect. Loyolen.*	22 maii	1913	25 sept.	1928	15 aug.	1946
134	P. Carolus McCarthy, *Elect. Extr. Orient.*	15 dec.	1911	2 aug.	1929	15 aug.	1946
135	P. Victor Blajot, *Elect. Bolivian.*	11 aug.	1910	15 oct.	1929	2 febr.	1947
136	P. Ioannes Bru, *Elect. Gall. Atlant.*	30 aug.	1904	3 oct.	1932	2 febr.	1947
137	P. Paulus L. O'Connor, *Elect. Chicag.*	10 aug.	1909	2 sept.	1929	3 febr.	1947
138	P. Arthurus F. Shea, *Elect. Philippin.*	30 aug.	1906	7 sept.	1929	3 febr.	1947
139	P. Petrus Smulders, *Elect. Neerland.*	24 nov.	1911	3 sept.	1930	3 febr.	1947
140	P. Simon Maas, *Elect. Neerland.*	21 iun.	1911	7 sept.	1932	3 febr.	1947
141	P. Ioannes Colli, *Elect. Taurinen.*	22 iul.	1913	7 sept.	1930	2 febr.	1948
142	P. Petrus Fransen, *Elect. Belg. Sept.*	10 dec.	1913	23 sept.	1930	2 febr.	1948
143	P. Michael Elizondo, *Elect. Argentin.*	15 apr.	1912	5 ian.	1932	2 febr.	1948
144	P. Emmanuel Acévez, *Elect. Mex. Sept.*	20 dec.	1912	3 sept.	1929	15 aug.	1948
145	P. Franciscus I. Silva, *Elect. Calif.*	5 ian.	1910	2 aug.	1931	15 aug.	1948
146	P. Ioannes I. Reed, *Elect. Buffalen.*	14 aug.	1913	14 aug.	1931	15 aug.	1948
147	P. Fridericus Buuck, *Elect. Germ. Infer.*	6 maii	1909	22 apr.	1936	15 aug.	1948
148	P. Ignatius Gordon, *Elect. Baeticae*	3 iul.	1915	4 iul.	1930	2 febr.	1949
149	P. Georgius P. Klubertanz, *Elect. Wiscons.*	29 iun.	1912	1 sept.	1931	15 aug.	1949
150	P. Franciscus L. Martinsek, *Elect. Patnen.*	12 nov.	1912	30 mart.	1932	15 aug.	1949
151	P. Gustavus Voss, *Elect. Iapon.*	11 oct.	1912	6 apr.	1932	15 aug.	1949
152	P. Franc. von Tattenbach, *Elect. Germ. Sup.*	19 ian.	1910	14 sept.	1929	2 febr.	1950
153	P. Augustinus Fimmers, *Elect. Belg. Sept.*	15 febr.	1914	23 sept.	1931	2 febr.	1950

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
154	P. Eduardus Sheridan, *Elect. Can. Super.*	20 febr.	1912	9 sept.	1933	2 febr.	1950
155	P. Henricus F. Birkenhauer, *Elect. Detroit.*	26 febr.	1914	8 aug.	1933	15 aug.	1950
156	P. Ricardus Arès, *Elect. Mont. Reg.*	7 ian.	1910	7 sept.	1931	2 febr.	1951
157	P. Petrus B. Velloso, *Elect. Bras. Centr.*	6 febr.	1902	23 maii	1933	2 febr.	1951
158	P. Miecislaus Bednarz, *Elect. Polon. Min.*	25 dec.	1917	17 sept.	1933	2 febr.	1951
159	P Sylvester Monteiro, *Elect. Kanarien.*	8 oct.	1912	11 iul.	1934	15 aug.	1951
160	P. Ansgarius Simmel, *Subst. Elect. Germ. S.*	26 nov.	1913	16 apr.	1934	8 sept.	1951
161	P. Rogerius Troisfontaines, *Elect. Belg. Mer.*	21 aug.	1916	23 sept.	1934	2 febr .	1952
162	P. Henricus Gutiérrez M., *Elect. Mex. Mer.*	29 maii	1917	11 nov.	1933	15 aug.	1952
163	P. Gulielmus Maher, *Elect. Angliae*	20 iun.	1916	7 sept.	1935	2 febr.	1953
164	P. Eduardus A. Sponga, *Elect. Maryland.*	12 febr.	1918	7 sept.	1935	2 febr.	1953
165	P. Alphonsus Villalba, *Elect. Aequator.*	27 ian.	1917	14 sept.	1935	2 febr.	1953
166	P. Mauritius Giuliani, *Elect. Parisien.*	13 dec.	1916	23 oct.	1935	2 febr.	1953
167	P. Blasius Arminjon, *Elect. Gall. Medit.*	3 febr.	1917	26 oct.	1935	2 febr.	1953
168	P. Antonius Mruk, *Subst. Pol. Min.*	21 nov.	1914	31 iul.	1930	2 febr.	1954
169	P. Felix Litva, *Subst. Viceprov. Slovak.*	11 maii	1919	30 iul.	1934	2 febr.	1954
170	P. Emmanuel Antunes, *Elect. Lusitan.*	3 nov.	1918	7 sept.	1936	2 febr.	1954
171	P. Ioannes Kerr, *Elect. Hibern.*	6 apr.	1919	7 sept.	1936	2 febr.	1954
172	P. Vincentius T. O'Keefe, *Elect. Neo-Ebor.*	10 ian.	1920	14 aug.	1937	15 aug.	1954
173	P. Robertus Tucci, *Elect. Neapol.*	19 apr.	1921	1 oct.	1936	2 febr.	1955
174	P. Herbertus Dargan, *Elect. Hong-Kong.*	20 apr.	1918	7 sept.	1937	2 febr.	1955
175	P. Carolus Orie, *Elect. Indones.*	21 nov.	1919	7 sept.	1937	2 febr.	1955
176	P. Brendanus Barry, *Elect. Hibern.*	9 moi.	1920	7 sept.	1937	2 febr.	1955
177	P. Salvator Fruscione, *Elect. Siculae*	18 ian.	1918	20 sept.	1937	2 febr.	1955
178	P. Emericus Coreth, *Elect. Austriae*	10 aug.	1919	1 oct.	1937	2 febr.	1955
179	P. Franciscus P. Kelly, *Elect. Australiae*	4 mai.	1915	5 apr.	1938	15 aug.	1955
180	P. Bernwardus Brenninkmeyer, *Elect. Germ. Or.*	19 oct.	1919	20 apr.	1938	15 aug.	1955
181	P. Franciscus Braganza, *Elect. Gujaraten.*	29 ian.	1922	28 maii	1938	15 aug.	1955

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
182	P. Ioannes P. Leary, *Elect. Oregon.*	31 oct.	1919	14 aug.	1938	15 aug.	1955
183	P. Aloisius Achaerandio, *Elect. Centro-Am.*	26 dec.	1921	19 aug.	1938	2 febr.	1956
184	P. Michael A. Fiorito, *Elect. Argentin.*	22 iul.	1916	20 mart.	1939	15 aug.	1956
185	P. Eusebius García Manrique, *Elect. Arag.*	15 nov.	1921	28 sept.	1937	2 febr.	1957
186	P. Ferdinandus Larrain, *Elect. Chilen.*	13 oct.	1921	27 mart.	1939	2 febr.	1957
187	P. Ricardus M. Rosenfelder, *Elect. Patnen.*	25 maii	1917	1 sept.	1939	2 febr.	1957
188	P. Mauritius Eminyan, *Elect. Melit.*	30 apr.	1922	28 sept.	1939	2 febr.	1957
189	P. Andreas Dupont, *Elect. Madecass.*	15 iul.	1921	6 nov.	1939	2 febr.	1957
190	P. Mauritius Rycx, *Elect. Afric. Centr.*	7 oct.	1910	23 sept.	1928	7 oct.	1957
191	P. Abdallah Dagher, *Elect. Prox. Or.*	1 iun.	1914	2 sept.	1932	3 dec.	1957
192	P. Petrus Beltrão, *Elect. Bras. Merid.*	25 febr.	1923	28 febr.	1939	3 febr.	1958
193	P. Henricus Portilla, *Elect. Mexic. Merid.*	4 aug.	1923	12 mart.	1940	15 aug.	1958
194	P. Parmananda C. A. Divarkar, *Elect. Bomb.*	4 oct.	1922	25 iul.	1941	15 aug.	1958
195	P. Lucas Verstraete, *Elect. Ranch.*	31 mart.	1923	7 sept.	1941	2 febr.	1959
196	P. Iosephus Arroyo, *Elect. Tolet.*	9 maii	1926	23 sept.	1941	2 febr.	1959
197	P. Michael Rondet, *Elect. Gall. Medit.*	20 ian.	1923	31 oct.	1942	2 febr.	1960
198	P. Philippus Gentiloni, *Subst. Elect. Rom.*	10 febr.	1924	25 nov.	1942	2 febr.	1960
199	P. Lachlan Hughes, *Elect. Salisb.*	18 ian.	1925	7 sept.	1942	31 iul.	1960
200	P. Iosephus Ćurić, *Elect. Croat.*	1 ian.	1926	7 sept.	1943	2 febr.	1961
201	P. Antonius P. Roberts, *Elect. Jamshedpur.*	8 oct.	1927	7 sept.	1943	2 febr.	1961
202	P. Ioannes Calvez, *Elect. Paris.*	3 febr.	1927	23 oct.	1943	2 febr.	1961
203	P. Marcellus Azevedo, *Elect. Goian. Min.*	18 apr.	1927	1 febr.	1944	2 febr.	1961
204	P. Hervaeus Carrier, *Elect. Quebec.*	26 aug.	1921	7 sept.	1944	2 febr.	1961
205	P. Iulianus Harvey, *Elect. Quebec.*	23 iul.	1923	7 sept.	1944	2 febr.	1961
206	P. Marius Schoenenberger, *Elect. Helvet.*	20 ian.	1920	3 ian.	1945	2 febr.	1962
207	P. Rodulfus de Roux, *Elect. Colomb. Occ.*	21 iul.	1925	5 ian.	1945	2 febr.	1962
208	P. Ioannes L. Thomas, *Elect. Wiscons.*	9 apr.	1910	20 sept.	1930	15 aug.	1962
209	P. Ignatius Iglesias, *Elect. Legion.*	26 maii	1925	11 sept.	1941	15 aug.	1962

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus		Ingressus		Gradus	
210	P. Geraldus Freitas, *Elect. Bras. Sept.*	5 dec.	1927	1 febr.	1945	15 aug.	1962
211	P. Paulus C. Reinert, *Elect. Missour.*	12 aug.	1910	1 sept.	1927	12 sept.	1962
212	P. Emmanuel Segura, *Elect. Paraquar.*	25 oct.	1928	2 oct.	1945	8 dec.	1962
213	P. Ioannes Ochagavía, *Elect. Chilens.*	1 iun.	1928	30 iul.	1945	2 febr.	1963
214	P. Paulus Shan, *Elect. Extr. Or.*	3 dec.	1923	11 sept.	1946	2 febr.	1963
215	P. Albertus Wautier, *Elect. Calcutt.*	17 sept.	1916	23 sept.	1936	22 apr.	1963
216	P. Fridericus Arvesú, *Elect. Antill.*	23 oct.	1922	21 aug.	1946	8 dec.	1963
217	P. Carolus Bresciani, *Elect. Bahiens.*	29 ian.	1912	7 sept.	1929	8 dec.	1964
218	P. Daniel Pasupasu, *Elect. Afr. Centr.*	— —	1921	14 sept.	1953	2 febr.	1965
	OFFICIALES CURIAE GEN. (Cf. Form. C. G. n. 7, 1°-3°)						
219	P. Iacobus W. Naughton, *Secr. Soc.*	7 febr.	1915	1 sept.	1932	2 febr.	1950
220	P. Romulus Durocher, *Oecon. Gen.*	19 oct.	1889	30 iul.	1910	2 febr.	1929
	PROCURATORES A VIC. GEN. VOCATI (Cf. Form. C. G. n. 7, 5°)						
221	P. Thomas Byrne, *Subst. Assist. Angl.*	30 nov.	1904	31 aug.	1922	2 febr.	1941
222	P. Venceslaus F. Feřt, *Proc. Bohem. disp.*	23 dec.	1903	7 sept.	1925	2 febr.	1942
323	P. Paulus Mailleux, *Deleg. pro rit. Byzant.*	13 aug.	1905	23 sept.	1923	15 aug.	1942
224	P. Bruno Markaitis, *Proc. Lithuan. disp.*	17 iul.	1922	31 aug.	1937	2 febr.	1953

I. Patres qui recensentur in Elencho et non adfuerunt secundae Periodo Congr. Gen.

1	P. Ioannes B. Rocha, *Assist. Amer. Lat. Mer.*	Cfr. n. 6
2	P. Ioannes Richard, *prius Praep. Montis Regii*	» » 10
3	P. Antonius Kušmierz, *Praep. Polon. Min.*	» » 16
4	P. Ioannes B. Sehnem, *prius Praep. Brasil. Mer*	» » 24
5	P. Stephanus Dzierżek, *Praep. Polon. Mai.*	» » 32
6	P. Eduardus Mann, *prius Praep. Bombayensis*	» » 36
7	P. Eduardus Bulanda, *Elect. Polon. Mai.*	» » 84
8	P. Antonius Pinsker, *Elect. Austriae*	» » 118
9	P. Fridericus Buuck, *Elect. Germ. Infer.*	» » 147
10	P. Miecislaus Bednarz, *Elect. Polon. Min.*	» » 158

II. Patres qui non recensentur in Elencho et adfuerunt secundae Periodo Congr. Gen.

	Nomina et Cognomina Patrum	Ortus	Ingressus	Gradus
1	P. Candidus Gaviña, *Assist. Reg. Am. Lat. Mer.*	17 maii 1910	28 iun. 1925	15 aug. 1943
2	P. Andreas Snoeck, *Assist. Reg. Angliae*	19 sept. 1910	23 sept. 1928	2 febr. 1946
3	P. Henricus Ostermann, *Praep. Germ. Infer.*	1 maii 1912	15 apr. 1931	3 febr. 1947
4	P. Hyginus Ganzi, *Assist. Reg. Italiae*	10 mart. 1914	4 oct. 1932	2 febr. 1949
5	P. Irenaeus Desrochers, *Praep. Montis Regii*	31 oct. 1914	7 sept. 1932	2 febr. 1950
6	P. Gualterus L. Farrell, *Praep. Detroit.*	7 iun. 1916	7 aug. 1934	15 aug. 1951
7	P. Edvinus Friderichs, *Praep. Brasil. Merid.*	4 iun. 1911	28 febr. 1929	5 febr. 1952
8	P. Ioannes Edwards, *Praep. Neo Aurelian.*	26 sept. 1924	14 aug. 1941	15 aug. 1958
9	P. Hildebrandus Martini, *Praep. Iapon.*	15 febr. 1924	8 maii 1950	15 aug. 1960
10	P. Ioannes Correia-Afonso, *Praep. Bombayensis*	15 iul. 1924	14 aug. 1946	15 aug. 1962
11	P. Iosephus D. Sheehan, *Praep. Wisconsin.*	29 mart. 1918	7 aug. 1936	16 apr. 1966
12	P. Henricus Giraldo, *Praep. Colomb. Occid.*	1 nov. 1914	2 nov. 1929	5 aug. 1966

INDICES TOTIUS VOLUMINIS XIV

I

INDEX ACTORUM

HOC VOLUMINE CONTENTORUM

ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITUS

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

1965

1966

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

1962

1963

II

INDEX ALPHABETICUS

PERSONARUM, LOCORUM, RERUM